
WIDENER LIBRARY
HX JVL3

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Jules RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OPERA OMNIA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS,
VIA JACOBÆA, N° 24.

M. T. CICERONIS

PARS SECUNDA

SIVE

ORATIONES OMNES

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LE CLERC

RECENSITÆ

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SECUNDUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVII

M. TULLII CICERONIS

IN C. VERREM

ACTIONIS SECUNDÆ

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM.

In hac oratione narrantur furta, quæ fecit Verres apud Siculos in re frumentaria.

Ejus quatuor sunt partes. Exordium, ad cap. 5. Constitutio causæ, seu Propositio, ad 6. Contentio, ad 98. Peroratio.

Exordium tria capita complectitur. 1° Benivolentiam sibi conciliat orator. 2° Hortensii respondet objectioni. 3° Petit attentionem.

Propositionem inde orator explicat, qua demonstratur in re frumentaria Verrem neque Siculis, neque civibus romanis qui erant in Sicilia, neque vectigalibus populi romani pepercisse. Inde partes, seu argumenta contentionis tria constituuntur.

Constitutionis prima pars subdividitur in duo membra.

Primum membrum patet usque ad c. 16. Hic expenduntur iniqua Verris edicta, quibus leges et instituta Siculorum evertit; Siculos aratores vexavit, spoliavit.

In altero membro venit orator speciatim ad rem frumentariam : fusissime per multas narratiunculas tractatur ad 69.

Hujus membri rationem et artificium operæ pretium erit diligenter attendere : totum constat confutatione. Poterat Verres in decumis, ob id ipsum quod eas magno vendiderat, summum defensionis propugnaculum sibi constituere, et populo ac judicibus fucum facere, præsertim quum diceret se id fecisse unius populi gratia, quo respublica majus inde emolumentum caperet. Hoc istius consilium præoccupat Tullius, et ipse ultro hanc isti affingit defensionem, quam statim convellit, validissimis argumentis confirmando, non reipublicæ utilitatibus ista quantumvis magna venditione, sed suis unius, Verrem studuisse, innumerabilem numerum frumenti per triennium ab ipsa republica avertendo, quod ipse in lucrum suum convertit. Hac arte magnus oratori campus aperitur, in quo per omnia nefarii prædonis latrocinia facillime decurrat. Probationes petuntur 1° a privatis hominibus, et a civitatibus. Injuriarum utrisque factarum longa subjicitur enumeratio, ad 52; 2° a testimonio, et literis L. Metelli, quibus supra dicta confirmantur, ad 57; 3° a societate Verris cum de-

cumanis, ad 66; 4° ab interpretatione Timarchidis epistolæ, ad 69.

Altera et tertia pars contentionis. Quamvis in prima parte promissis suis orator abunde satisfecisse videatur, et luce clarius demonstrasse, ex Verrina decumarum venditione nullum ad rempublicam emolumentum rediisse : imo illam summarum in socios injuriarum, Verri autem infinitæ prædæ causam fuisse : tamen ut defensionis Verrinæ propugnaculum magis ac magis convellat; et ut ne qua suspicio vel minima resideat in animis judicum, istum respexisse vel tantillum ad commoda populi romani; nova quinque adducit argumenta, quibus, dum superiora corroborat, demonstrando nullum prædandi genus esse in quo indomitus iste prædo Siciliæ nefarie versatus non fuerit, id quod intendit persequitur. Judices quippe necessario convincit istiusmodi hominem de populi commodis ne cogitasse quidem; atque adeo non esse, quod Verris amici illam istius defensionem tantopere jactitent.

Argumenta illa sunt, 1° quod Verres pecuniam publicam fœneratus est; 2° quod multis aratoribus pro frumento nihil solvit; 3° quod iis, quibus solvit, non totum solvit; 4° quod frumenti multo amplius, quam quantum ei in cellam sumere licitum esset, civitatibus imperavit; 5° quod idem frumentum multo pluris æstimavit, quam usquam venderetur in provincia. Horum tria priora in secunda parte, ad 81; duo posteriora in tertia parte, ad 97, explicantur.

Peroratio, seu potius conclusio, fit per apostropham ad judices, quos ad severitatem acuit.

Interpretationem hic priusquam diversæ orationis partes in synopsi explicentur subjici pretium fore operæ duximus quorumdam verborum, quæ, quia sæpius hac in oratione occurrunt, semel exposita lectoris laborem allevabunt.

Frumentum, est nomen commune, quod triticum, milium, far, hordeum complectitur; et omnes denique fruges quæ legumina non sunt. Plin. ex Theophr. lib. XVIII, cap. 9.

Medimnus, seu medimnum in neutro, apud Ciceronem; seu medimna in femineo apud Isidorum, qui in hujus verbi etymo illepide argutatur; Græcis erat mensura aridorum : puta tritici, hordei, etc. denique cujusvis frumenti, et leguminum. Varinus

Phavorinus in Comment. Gr. linguæ, medimnum atticum diserte septem modiorum facit; uti et Nepos in Attici vita, cap. 2, his verbis « universos frumento donavit Atticus, ita ut singulis septem modii [nam sic habent ex manuscriptis optimæ editiones] tritici darentur, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur ». Quini modii siculi, medimnum siculum; romani seni, medimnum romanum conficiebant, teste Perizon. ad Ælian. Var. Hist. VI, 12, in quo consentit cum Vinc. Contar. de frument. largit. cap. 10. Itaque modius siculus sexta sui parte capacior erat romano. Hunc Tullius, non illum intelligit lib. III in Verr. cap. 44 sq. et quoties sex ait modios in medimno contineri.

Modius, seu modium in neutro, nam utrumque etiam reperitur apud Ciceronem et alios, romana erat mensura tum aridorum, tum liquidorum, partem amphoræ tertiam continens. In hoc etiam verbo mire argutatur Isidorus, Orig. XIV, 25. Modum modii non unum ubique fuisse modo demonstravimus. Modium romanum non disparem facit Budæus, ei mensuræ quam nostrates, inquit, i. e. Parisienses, vocant, *un boisseau*. Sed huic doctissimi viri sententiæ repugnat ipsa veritas. Nam modius romanus, teste Plinio, nunc vicenas, nunc vicenas quinas, et senas, libras pendit, pro tritici natura : ita ut recte statuere videamur ternas et vicenas libras in modium farris. Sed libræ illæ romanæ sunt, unciarum duodecim; quarum singulæ nona sui parte sunt unciis nostratibus leviores : atque illæ duodecim respondent uni et viginti semunciis nostratibus. Itaque ternæ et vicenæ libræ romanæ, quas modio romano assignavimus, conficiunt semuncias nostrates 483, seu libras parisienses quindecim, et semuncias tres. Modius parisiensis pendit tritici libras parisienses viginti. Igitur quarta parte fere capacior est romano modio parisiensis. Vir eruditissimus modium siculum, qui modio romano erat capacior, ut diximus, cum nostrate comparasset aptius. Quum enim quini modii siculi senos romanos redderent, modius ille pendere debebat libras nostrates denas et octonas, præterea uncias fere tres; atque ad parisiensis modii pondus proxime accedebat.

Quæres quantum frumenti ex Sicilia Romam quotannis in cibaria populi romani transportaretur. Duplici nomine frumentum pendebat Sicilia reipub. Decumanum gratuitum, seu vectigal;

et emptum. Hujus genus erat duplex : decumanum emptum, seu alteræ decumæ; et imperatum ex lege Terentia-Cassia lata anno 680. Ad frumenti utriusque emptionem aratoribus ex senatusconsulto pecunia erogabatur.

In alteras decumas ferme ad nonagies, seu, novem milliones sestertium, gall. 1,845,000 fr. Verri quotannis a senatu decretum est, quod aratoribus solveret. Pretium constitutum decumano frumento empto in singulos modios erant sestertii terni. Cic. infra, cap. 70. Ita τὸ nonagies erat pretium trium modium millionum, seu quinquies centenum millium medimnum quæ Romam e Sicilia quotannis advecta sunt Verre prætore. His adde tantumdem frumenti decumani vectigalis; nam venalis decumani tantum ab aratoribus exigebatur, quantum ex primis decumis, seu ex decumis vectigalibus fuisset. Cic. ibid. Denique lege Terentia quotannis emebantur ab aratoribus imperati tritici nomine, modium octingenta millia. Cic. ibid. Quæ summa illi superiori ex binis decumis addita conficit sexagies octies centena millia modiorum, quæ, Verre prætore, Sicilia quotannis misit reipubl. Huic modiorum numero, quantumvis immani, addit etiam Vinc. Contar. lib. X, de frum. largit. Ex Sicilia, inquit, aut decumarum, aut emptionis nomine, advecta Romam sunt quotannis ad octogies bis centena modium millia. Quo auctore id scripserit doctus ille Italus, non plane assequor : nisi forte, quia decumæ pendent ex anni ubertate, et aliquando amplissimæ, aliquando minimæ sunt, rationem suam in decumis amplissimis instituerit. Nos Ciceronem sequuti sumus ducem, qui post Verris præturam, decumani frumenti numerum qui fuerat isto prætore, statuere recte potuit. Ut ut sit, ex supra dictis maxime demonstratur quanta fuerit in illa insula rei frumentariæ abundantia; ut non immerito « Cato ille sapiens cellam penariam reipublicæ, nutricem plebis romanæ » Siciliam nominaverit; ut auctor est Cicero supra, lib. II, cap. 2. Neque est jam quod mirere tritici modium in Sicilia fuisse plerumque, teste Cicerone, sestertiis binis aut ternis; gall. quatuor, aut sex assibus.

Restat ut de Hierone et de lege Hieronica, quorum multa mentio fit præcipue hac in oratione, pauca subjiciam. Volenti plura dabit illustrissimus Rollinus, t. X. Hist. Ant. initio. Hiero,

alter ejusdem nominis, patrem habuit Hieroclem, nobilem virum, cujus origo a Gelone, antiquo Siciliæ tyranno, manabat. Virtute et prudentia meruit, ut inter rarissima humanæ felicitatis exempla cum primis numeraretur. Amplissimum enim Syracusarum imperium non jure successionis, etsi a majoribus quondam occupatum; neque violentia et cædibus, sed admiratione virtutis est consequutus. Semel autem partum regnum singulari semper clementia, dexteritate, et fide administravit. Accessit fortunæ indulgentia insignis: nam et vitam integris omnibus sensibus ultra nonagesimum annum produxit; et tantis opibus, tanta gloria floruit, ut æqualium regum vix ulli concederet. Anno ætatis suæ trigesimo, vel trigesimo primo, Olympiadis CXXVI, secundo, magistratus Syracusiorum creatus est. Septimo post anno rex Syracusarum et sociarum civitatum est declaratus. Regnavit annos quinquaginta quatuor. Tanto hoc tempore constanter coluit amicitiam Romanorum. Excessit e vivis anno altero, aut tertio Olymp. CXLI, anno 215, vel 214, ante Christum. Hiero fuit in imperio moderatus; in alloquio blandus; in negotio justus: rexit populos animo paterno potius, quam regio. Itaque cunctis velut patre amisso in orba civitate lugentibus, funus ejus factum est magis amore civium et caritate, quam cura suorum, celebre. Polyb. lib. I; T. Liv. lib. XXIV, cap. 4; Justin. lib. XXIII, cap. 4; Casaub. in Polyb. cap. 5, etc. Jam ad legem Hieronicam.

Sicilia frugum erat feracissima, ut modo demonstravimus. Hæ erant unæ fere totius insulæ divitiæ. Ex his pendebatur amplissimum Hieroni vectigal; quippe quod omnis ager ex parte decima regi vectigalis erat. Decima pars frugum ex arationibus illi per decumanos exigebatur. Alia vectigalia non habebat. Sed ne qua fraus suboriretur aliquando, quæ aut regis rationibus, aut aratorum rebus officeret, hoc cavit Hiero præclaris institutis; quibus populi juxta ac suis consuluit utilitatibus. « Omnibus custodiis subjectum aratorem decumano tradidit, ut neque in segetibus, neque in areis... grano uno posset arator sine maxima pœna fraudare decumanum; atque ita diligenter jura decumano constituit, ut ab invito aratore plus decuma non posset auferre. » Infra, cap. 8. Non ita multo post Hieronis mortem, Syracusanum ejus regnum ad Romanos pervenit. Quæ ubique regum fuerant,

Romanorum fuere. Syracusanis cetera, cum libertate, ac legibus suis, servata sunt: sed ager eorum, qui prius Hieronis, jam reip. decumanus factus est, eodem modo, atque iisdem institutis, quibus ante imperium populi romani fuerat: neque lex decumarum venditionis, neque vendendi aut tempus, aut locus commutatus est. Omnia lege Hieronica, id est, ex Hieronis institutis semper deinceps facta sunt: ut Syracusanis jucundior esset nova sua conditio, « si ejus regis, qui Siculis carissimus fuerat, non solum instituta, commutato imperio, verum etiam nomen maneret ». Infra, cap. 6.

Ceterum de hac tota rei frumentariæ expositione plura et apertiora dabunt quæ omnino necessaria ad calcem hujusce orationis ex Desjardins subjunximus.

SYNOPSIS.

In magnificentissimo exordio Cicero demonstrat, eum, qui nulla privatim læsus injuria, nullo præmio adductus hominem scelestum, libidinosum, perfidum, rapacem, crudelem accuset, sibi ipsi hanc legem imponere, ne in ejusmodi vitiis deprehendatur, quæ in isto reprehenderit, 1, 2. Seque nullam aliam ob causam Verri inimicum esse, quam quod omnia contra omnium bonorum causam, rationem, utilitatem, voluntatemque fecerit, 3. Neque vero causam esse aliam cur Hortensius aliique nobiles ei faveant, quam quod lucrum ex ejus divitiis capiant, sperentque alios etiam ei similes suis cupiditatibus inservituros, 4.

Jam tres facit orator hujus orationis partes, et se de fraudibus ac furtis Verris, primum in frumento decumano, deinde in empto, postremum in æstimato acturum ostendit, 5.

Primum igitur agit de furtis Verris frumento decumano. Siciliæ civitates non omnes eodem jure utebantur. Septendecim enim olim bello subactæ erant; horum ager quum esset jure belli publicus populi romani factus, a victoribus hac lege est iis redditus, ut a censoribus locaretur. Nonnullæ fœderatæ erant et liberæ eædemque immunes. Reliquarum omnium ager decumanus erat, h. e. aratores decumas pendebant frumenti exarati; idque appellabatur *frumentum decumanum*. Has decumas vendere solebant prætores licitantibus, ita ut venditione legem Hieronicam

observarent. Redimere autem plerumque solebant equites romani, alias publicani, si decumas emissent, decumani appellati, 6. Verres, tota venditionis ratione sine auctoritate senatus mutata, primum certos instituit nomine decumanos, re vera ministros ac satellites cupiditatum suarum, quorum in numero princeps fuit Apronius homo teterrimus : hoc enim maxime Verres usus est ad fortunas aratorum vexandas ac diripiendas, 7-9. Primum Verres edictum dedit : quantum decumanus edidisset aratorem sibi decumæ dare oportere, ut tantum arator decumano dare cogeretur. Sic aratores, traditi Apronii decumani libidini et avaritiæ. Addiderat quidem in edicto, se in decumanum, si plus sustulerit, quam debitum sit, in octuplum judicium daturum; sed si usu venisset, ut arator posceret octupli damnari Apronium, recuperatores Verres dabat, de cohorte sua, quorum judicio aratores etiam in justissima causa inferiores discedebant, 10-13. Edixerat etiam ne quis frumentum de area tolleret ante, quam cum decumano pactus esset, 14. Deinde ut arator decumano, quo vellet decumanus, vadimonium promitteret, etsi erat in juribus Siculorum ne extra suum forum vadimonium promittere cogerentur, 15. Hæc omnia Verrem turpissimi quæstus sui causa instituisse confirmatur, 16. In quo ostenditur vanam esse ejus gloriationem, se magno decumas vendidisse, et hac ratione bene meritum esse de ærario populi romani; provinciam autem sic fuisse ejus institutis exhaustam, ut successor Metellus peteret a Siculis, ut sererent, et ararent, neque tamen antiquum sationis modum assequi posset, etsi lege Hieronica se decumas, ut antea venditurum, ostendisset. Nullum igitur populo romano lucrum e Verris rationibus accessisse, maximum vero ipsum e depredatione aratorum quæstum fecisse, 17-20. Jam sequuntur exempla injuriarum in ratione frumentaria, I. Privatim singulis factarum; ubi narratur quid in Nymphonem Centuripinum, 21. In Xenonem Menenum, 22. In Polemarchum Murgentinum aliosque, commiserit, 23. Neque vero Siculis solis, sed etiam civibus romanis et equitibus infestum fuisse, quod potissimum narratione de C. Matrinio et Q. Lollio confirmatur, quos injuriis et contumeliis coegit, ut ad Apronii leges conditionesque venirent, 24, 25. His breviter repetitis, 26; sequuntur, II, publicæ injuriæ in civitates commissæ. Ab Agyrinensibus vi, minis, imperio eripuit

tritici medimnum XXXIII et præterea H-S LX, 27-31. Simili ratione Herbitenses spoliavit, quos etiam teterrimis mulieribus Pippæ et Tertiæ vectigales esse coegit, 32-35. In quo simul ostenditur eum de capite vectigalium populi romani remisisse, quod ne Sullæ quidem concessum fuerit, 35, 36. Sequuntur aliarum civitatum exempla, quibus alios Apronii asseclas improbos homines tamquam canes immisit, qui vi ac injuria frumentum, aut pecunias raperent. Sic ad Liparenses A. Valentinum, 37. Ad Tissenses Diognotum Venerium (h. e. e servis Veneris Erycinæ) misit, 38. Amestratinos pecuniam præter decumas M. Cæsio, Sex. Vennonio, Banobali Venerio, 39. Petrinos P. Nævio Turpioni, Halicyenses eidem, Segestanos Symmacho dare coegit, 40. Ubi simul ipsos quoque senatores in Sicilia summis injuriis affectos esse docet, 41. Similes injuriæ in Thermitanos, in Ennenses, 42. In Calactinos, Mutycenses, Hyblenses aliasque civitates memorantur, 43. Copiosius deinde versatur in demonstranda immani præda ex Ætnensium, 44, 45, et Leontinorum agro capta, 46-49. Itaque vanam esse Verris gloriationem, se decumas magno vendidisse, quum sit perspicuum eum bona fortunasque aratorum non populi romani, sed sui quæstus causa vendidisse, 50. Nam agrum decumanum propter istius avaritiam desertum esse, aratores profugisse, 51, 52, et qui manserint (quæ vix decima pars fuerit aratorum), ipsos quoque agros relicturos fuisse, nisi Verris successor L. Metellus literas Roma misisset, quibus se decumas Hieronica lege venditurum ostenderet, Siculosque, ut quam plurimum sererent, rogaret. Ejus rei causa recitantur literæ a Metello ad Cn. Pompeium et M. Crassum, ad M. Mummium prætorem et ad quæstores Urbis missæ, 53-55. Tantam vero acerbitatem Verris, tantum scelus in aratores fuisse, ut homines propter injurias licentiamque decumanorum mortem sibi ipsi consciverint, 56. Ipsum vero Apronium aliosque sæpe dictitasse, perparvum ex ingentibus lucris ad sese, plurimum ad prætorem pervenisse, 57-62. Cujus rei novum argumentum affert hoc, quod agri Leontini decumas quum pluris vendere posset, noluerit tamen his addicere qui contra Apronium licerentur, sed Apronio multo minoris tradiderit, 63, 64. Ipsos etiam amicos defensoresque Verris male de ejus improbitate judicasse; quod primum confirmatur Metelli dicto, qui

quum C. Gallius postulasset ab Apronio, ut ex edicto suo judicium daret in Apronium, «quod per vim aut metum abstulisset», tamen ei non concessit, quum diceret, præjudicium se de capite C. Verris per hoc judicium nolle fieri, 65. Deinde uberius declaratur ex epistola quadam Timarchidis, Verris liberti et accensi, ex qua tota familiæ, i. e. libertorum, scribarum, accensorum, Verris disciplina cognosci poterat, 66-68. In quo simul Verri hoc exprobratur quod filium prætextatum omnibus modis depravaverit, et ad suas turpitudines erudiverit, 69.

Secunda orationis pars versatur in Verris furtis in *frumento empto* commissis. Quum enim Verres ex senatusconsulto et ex lege Terentia et Cassia (lata A. U. C. 680, a duobus coss. C. Cassio et M. Terentio) emere deberet frumentum in Sicilia; emundi autem duo genera essent, unum alterarum decumarum (h. e. ut quantum ex primis decumis fuisset, tantum emeretur pretio in singulos modios constituto H-S ternis) alterum imperatum, h. e. quod civitatibus æqualiter esset distributum in quo tritici modium ıɔccc millia erant emenda, pretio in singulos modios constituto H-S quaternis) quumque pro omni isto frumento per singulos triennii annos prope H-S centies et tricies (656,000 fr.) Verri erogatum esset, Cicero demonstrat hanc pecuniam ita ab eo laceratam esse, ut probari possit eum omnem hanc pecuniam domum suam avertisse, 70. Primum ostendit, eum hac pecunia publica ex ærario erogata ad quæstum suum sic abusum esse, ut eam binis centesimis usuris fœneraretur. Id confirmatur literis P. Vettii Chilonis, 71, 72. Deinde permultis civitatibus Verrem pro frumento empto nihil omnino solvisse demonstrat: exemplo potissimum Halesinæ civitatis, cui quum in annos singulos sexaginta tritici millia modium imperavisset, pro tritico nummos abstulit, quanti erat in Sicilia triticum; quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. In primis docetur Æneæ Halesini narratione, eum, quum omnis frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta, solitum esse frumentum, quod, alterarum decumarum nomine, vel quod imperatum esset, emendum erat, improbare, et pro eo pecuniam exigere; deinde quantum frumenti Romam esset mittendum, tantum de suo quæstu ac de sua copia frumenti mittere, 73-77. Postremo Cicero ostendit Verrem ex omni pecunia quam arato-

ribus solvere debuerit, certis nominibus deductiones fecisse; primum pro spectatione et collybo; deinde cerarii nomine; tertio scribæ nomine binis quinquagesimis detractis, 78, 79. Idque scribis concessum esse æque improbat, atque illum annulum aureum, quo Verres scribam suum in concione donaverat, 80.

Tertia pars orationis Verris furta in *frumento æstimato* persequitur. Ex senatusconsulto et ex legibus frumentum Verri in cellam sumere licebat; idque frumentum senatus ita æstimaverat, quaternis H-S (82 centes.) tritici modium, binis hordei. Verres primum numerum ad summam tritici adjecit, deinde tritici modios singulos cum aratoribus denariis ternis, id est, duodenis sestertiis æstimavit. Jam hoc quidem Cicero non reprehendit, eum frumentum quod in cellam sumi oporteret æstimasse, et pecuniam pro frumento abstulisse; hanc enim rationem ab aratore primum profectam esse, aut ab ea civitate, cui hoc frumentum in cellam imperaretur; quum aut frumentum vendidisset, aut servare vellet, aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollet; itaque ab iis petitum esse in beneficii loco, ut sibi pro frumento, quanti frumentum esset dare liceret. Sed Verris crimen ex eo pendere dicit, quod ab aratoribus, quum H-S ternis tritici modium vendere non possent, Verres injustissima æstimatione ab iis pro singulis modiis ternos denarios, id est, H-S duodenos exigeret, 81, 82. Neque vero Verrem dicere posse illos aratores vecturæ difficultate adductos ternos denarios dare maluisse. Nam nec alio portandum fuisse, et in Sicilia, quo quisque frumentum vehere jussus esset, ibi tantidem frumentum emere potuisse, quanti domi vendidisset, 83, 84. Immanem igitur aratoribus injuriam factam esse, quod Verres, quam pecuniam acceperat a senatu ad frumentum in cellam emendum, retinuerit, et insuper pecuniam ab aratoribus exegerit, 85-87. Tum ostenditur non posse Verrem hac ratione excusari, quod alii idem fecerint, 88. Neque tamen plena dignitatis et auctoritatis exempla priorum prætorum proferri posse, qui hanc rationem in frumento æstimato tenuerint. Unum M. Antonii factum nihil ad excusandum valere, quum ei potius perniciosum sit dicere se in re improbissima voluisse hunc Antonium imitari. Sacerdotem autem et Sex. Peducæum nihil simile fecisse, 89-93. Denique Cicero contendit, si crimen hoc ad plures pertineat, id ubicumque factum sit,

improbe factum, et quicumque fecerit, eum supplicio dignum esse, 94, 95. Simul refutat Hortensium, qui etiamsi palam hoc non dicat, tamen ita dicat, ut judices suspicari et cogitare possint, hanc rationem æstimationis frumenti ad commodum senatorum, et ad utilitatem eorum, qui judicent, qui in provinciis cum potestate, aut cum legatione se futuros aliquando esse arbitrentur, pertinere, 96. Ex quo nihil aliud consequi ostendit, quam ut judicia a senatu ad alium ordinem transferantur, 97.

In extrema oratione Cicero judices admonet, ut cognita jam tota re frumentaria sibi certo persuadeant, amissam esse populo romano Siciliam, fructuosissimam atque opportunissimam provinciam, nisi eam Verris damnatione recuperent, efficiantque, ut, quum istius scelere arationes tota Sicilia desertæ atque a dominis relictæ sint, hoc judicio aratores in agros, in ædes suas revertantur, 98.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN C. VERREM
ACTIO SECUNDA.
LIBER TERTIUS.

DE RE FRUMENTARIA.

ORATIO OCTAVA.

I. OMNES, qui alterum, judices, nullis impulsi inimicitiis, nulla privatim læsi injuria, nullo præmio adducti, in judicium reipublicæ causa[1] vocant, providere debent, non solum[2] quid oneris in præsentia tollant, sed etiam quantum in omnem vitam negotii suscipere conentur[3]. Legem enim sibi ipsi dicunt[4] innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt; atque eo magis, si id, ut ante dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi

I. 1. *Reipublicæ causa.* Communi utilitate commoti. Sic de Officiis, II, 16, hanc suam laudat agendi rationem: «Sed hoc quidem, inquit, non est sæpe faciendum, nec umquam nisi reip. causa, ut duo Luculli; aut patrocinii, ut nos pro Siculis».

2. Vox *solum* abest ab aliquot edd. nec in Pall. aut Franc. legitur.

3. *Conentur.* Meditentur. Quo sensu sæpius apud Terentium usurpatur.

4. Olim *indicunt.* Meliorem lectionem ex duobus MSS eruit Gruter. Ab eisdem abest *continentiæ.*

utilitate communi. Nam qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua re ipse ab religione [5] officii declinarit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus ejusmodi civis laudandus ac diligendus est, qui non solum ab republica [6] civem improbum removet, verum etiam se ipsum ejusmodi fore profitetur ac præstat, ut sibi non modo communi voluntate [7] virtutis atque officii, sed etiam ut quadam magis necessaria ratione [8] recte sit honesteque vivendum. Itaque hoc, judices, ex homine clarissimo atque eloquentissimo, L. Crasso [9], sæpe auditum est, quum se nullius rei tam pœnitere diceret, quam quod C. Carbonem umquam in judicium vocavisset : minus enim liberas omnium rerum voluntates habebat, et vitam suam pluribus, quam vellet, observari oculis arbitrabatur. Atque ille his præsidiis ingenii fortunæque [10] munitus, tamen hac cura continebatur, quam sibi, nondum confirmato consilio, sed ineunte ætate, susceperat. Quo minus etiam perspicitur [11] eorum virtus et inte-

5. *Religione.* Officium quod religiose colendum est, violaverit. Garaton. ad Philippic. II, 40, conj. « regione ». Male.

6. Sic codd. Parisiens. Olim, *reipublicæ.* Ernest. non habet « ab ».

7. *Communi voluntate.* Eo studio virtutis atque officii, quod commune omnibus est.

8. *Magis necessaria ratione.* Quia sibi hanc virtutum legem imponit, quæ vitiis in reo accusatis sunt contrariæ.

9. *L. Crasso.* Summus hic orator, annos natus unum et viginti, seditiosissimum ac eloquentissimum hominem C. Carbonem, initio anni 634 majestatis, quod Gracchanæ seditionis et Africani necis socius fuisset, accusavit. Et ille se a judicum severitate morte voluntaria vindicavit. Celebratum fuit rei Carbonis hoc publicum judicium magno populi concursu, et meminit Cicero plurimis in locis accusationis hujus, in qua primum L. Crassus eloquentiæ summæ dedit experimentum. Cf. indic. historic. Errat autem auctor Dialog. de Orat. cap. 34, qui nono decimo ætatis anno L. Crassum causam hanc egisse dicit; et multo magis Val. Maximus, qui, III, 7, 6, scribit C. Carbonem a L. Crasso damnatum et in exsilium missum fuisse.

10. *Fortunæ.* Nobilitatis.

11. Cod. Metell. *percipitur;* codd.

gritas, qui ad hanc rem adolescentuli, quam qui jam firmata ætate descendunt. Illi enim, antequam potuerunt existimare, quanto liberior vita sit eorum, qui neminem accusarint, gloriæ causa atque ostentationis accusant: nos, qui jam, et quid facere, et quantulum judicare possemus, ostendimus [12], nisi facile cupiditates nostras teneremus, numquam ipsimet nobis præcideremus istam licentiam libertatemque vivendi.

II. Atque hoc ego plus oneris habeo [1], quam qui ceteros accusarunt (si onus est id appellandum, quod cum lætitia feras ac voluptate); verumtamen [2] hoc ego amplius suscepi, quam ceteri: quod ita postulatur ab omnibus, ut ab iis se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. Furem aliquem aut rapacem accusaris? vitanda tibi semper erit omnis avaritiæ suspicio. Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cavendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur [3]. Ego in uno homine omnia vitia, quæ possunt in homine perdito

duo Paris. *præcipitur*, quod Gulielm. jam in excerptis Hittorpii probaverat. Recepit Beck. hoc sensu: Intelligitur antea qualis eorum virtus futura sit. At enim de præsenti, non de futura virtute adolescentium agitur. Standum ergo vulgatæ.

12. *Ostendimus*. Nos qui jam monstravimus, quid et in tota vitæ ratione et judicio ac mente præstare possemus, numquam hanc liberam et nullo ab adversario impugnatam vitam ipsi nobis ademissemus, nisi facile cupiditatibus imperaremus.

II. 1. Lambin. conjicit *subeo*. Frustra, quum eodem modo Verr. V, 15, sic loquutus.

2. *Verumtamen*. Usitatum verbum superioribus iterandis.

3. *Deprehenditur*. Ut enim ait Juvenalis, « Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? »

nefarioque esse, reprehendo: nullum esse dico[4] indicium libidinis, sceleris, audaciæ, quod non in istius unius vita perspicere possitis. Ego[5] in isto reo legem hanc, judices, mihi statuo; vivendum ita esse, ut isti non modo factis dictisque omnibus, sed etiam oris oculorumque illa contumacia ac superbia, quam videtis, dissimillimus esse, ac semper fuisse videar. Patior non moleste, judices, eam vitam, quæ mihi sua sponte antea jucunda fuerit, nunc jam mea lege[6] et conditione necessariam quoque futuram.

III. Et in hoc homine sæpe a me quæris, Hortensi, quibus inimicitiis, aut qua injuria adductus, ad accusandum descenderim. Mitto jam[1] rationem officii mei, necessitudinisque Siculorum: de ipsis tibi inimicitiis respondeo. An tu majores[2] ullas inimicitias putas esse, quam contrarias hominum sententias, ac dissimilitudines studiorum et voluntatum? Fidem sanctissimam in vita qui putat, potest ei non inimicus esse, qui quæstor consulem suum, consiliis commissis[3], pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit? Pudorem[4] et pudicitiam qui colit, potest animo æquo istius quotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domesti-

4. *Dico* in ed. 1483 et in Manut. ac Nauger. abest.

5. Ernest. scribendum putat, *Ergo in ist. r.* librarios ratus initium præcedentis periodi huc iterum revocasse. J. V. L.

6. *Mea lege*. Quam mihimet ipsi mea voluntate statui atque indixi.

III. 1. *Mitto jam*. Quia satis superque de his in Divin. 1 dixit.

2. *An tu majores*. Objecerat Hortensius indignum esse, Ciceronem tam acriter in Verrem invehi, nulla privata adductum inimicitia. Cui respondet Cicero primo; nullam inter bonos ac malos consensionem exstare posse ostendendo; dein Verris flagitia enumerando, quæ justa Ciceronis odia maxime excusant.

3. *Commissis*. Cum illo communicatis, ejus fidei commissis.

4. *Pudorem*. Hic ad animum; *pudicitia* ad corpus refertur. — *Meretriciam disciplinam*. Exempla impudicitiæ quæ a meretricibus solent dari. — *Domestica lenocinia*. Domesticos

cum lenocinium videre? Qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana spoliarit omnia, qui ex thensarum orbitis[5] prædari sit ausus, inimicus non esse qui potest? Qui jure æquo omnes putat esse oportere, is tibi non infestissimus sit, quum cogitet varietatem libidinemque decretorum tuorum[6]? Qui sociorum injuriis, provinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Asiæ, vexatione Pamphyliæ, squalore et lacrymis Siciliæ concitetur? Qui civium romanorum jura ac libertatem sanctam[7] apud omnes haberi velit, is non tibi plus etiam, quam inimicus esse debeat, quum tua verbera, quum secures, quum cruces ad civium romanorum supplicia fixas recordetur? An, si qua in re contra rem meam decresset aliquid injuria, jure me ei inimicum esse arbitrarer[8]; quum omnia contra omnium bonorum rem, causam, rationem, utilitatem, voluntatemque fecerit, quæris, cur ei sim inimicus, cui populus romanus infestus sit? qui præsertim plus etiam, quam pars virilis postulat[9], pro voluntate[10] populi romani oneris ac muneris suscipere debeam.

IV. Quid? illa[1], quæ leviora videntur esse, non

perductores illos quibus ad oppugnandam pudicitiam utitur.

5. *Ex thensarum orbitis.* Ex via, qua thensæ, seu sacri currus, deducuntur. Nempe quum Verres in prætura, viam in qua deorum statuæ thensis impositæ per pompam ducebantur, ornandam curavisset, iniqua et improba ratione pecuniam inde coegit. Prædationem istam fusius explicat Verr. I, 59. Confer etiam Verr. V, 72.

6. *Decretorum tuorum.* Quæ ex jure et æquitate numquam, semper ex libidine descripsisti.

7. *Sanctam.* Inviolabilem, qualem eam præstant leges Porciæ et Semproniæ. Vid. Verr. V, 61.

8. Hotom. et Manut. *arbitrarere.*

9. An *postulet?* Ernest. Sed nihil opus. Schütz.

10. *Pro voluntate.* Qui, ut obsequar voluntati et studio populi rom. de me optime meriti, plus suscipere debeam quam meæ vires patiuntur.

IV. 1. *Quid? illa.* Ciceroni non satis est ostendisse Verrem a se merito accusari, nisi etiam Hortensium, Metellos ac nobiles ceteros Verris fautores convincat iniquitatis, quod bel-

cujusvis animum possunt movere? quod ad tuam ipsius amicitiam, ceterorumque hominum magnorum atque nobilium, faciliorem aditum istius habet nequitia et audacia, quam cujusquam nostrum virtus et integritas? Odistis hominum novorum industrias; despicitis eorum frugalitatem; pudorem contemnitis; ingenium vero, et virtutem depressam exstinctamque cupitis[2]. Verrem amatis. Ita credo: si non virtute, non industria, non innocentia, non pudore, non pudicitia; at sermone, at literis, at humanitate ejus delectamini. Nihil horum est: contraque[3] sunt omnia quum summo dedecore ac turpitudine, tum singulari stultitia atque inhumanitate oblita. Huic homini si cujus domus patet, utrum ea patere, an hiare[4] ac poscere aliquid videtur? Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt[5]; hunc liberti vestri, hunc servi ancillæque amant; hic quum venit, extra ordinem vocatur; hic solus introducitur: ceteri, sæpe frugalissimi homines, excluduntur. Ex quo intelligi potest, eos vobis esse carissimos, qui ita vixerunt[6], ut sine

suam tam impuram amplectantur. Hos ergo Tullius in contemptum et invidiam vehementissime rapit, dum ab eis novorum hominum industriam proculcari, frugalitatem despici, ingenium et virtutem deprimi clamitat, ac avaritiam illorum detegit, qua sola adducti Verrem in fidem suam receperunt.

2. *Cupitis.* Quia timetis nimirum ne parto ex laboribus suis splendore ignavam nobilitatem vestram obscuret. Vid. infra Verr. V, 81; et eadem de re confer Marii orationem apud Sallust. Bell. Jugurth. 83.

3. *Contra.* Vitia omnia e contrario apud Verrem et summa infamia, et summa stultitia sunt oblita, i. e. fœdata et turpata: a verbo *oblino*.

4. *Hiare* proprie dicuntur pulli avium ad escam; metaphorice est avide expetere. Hinc Verr. II, 54: «Reperiebam Verrem tantum avaritia semper hiante atque imminente fuisse». *Hiantes cupiditates* apud Tacit. Hist. I, 12. Domus *hiat*, i. e. dominus domus aperto ore, seu avidissime prædam concupiscit.

5. *Diligunt.* Quia semper ab eo donati recedunt.

6. *Ita vixerunt.* Iis se flagitiis ac sceleribus macularunt, ut sine vestra opera, cujus vobis mercedem prolixe ac cumulate persolvunt, judicum se-

vestro præsidio salvi esse non possint. Quid? hoc cuiquam ferendum putas esse, nos ita vivere in pecunia tenui, ut prorsus nihil acquirere velimus; ut dignitatem nostram, populique romani beneficia, non copiis, sed virtute tueamur: istum, rebus omnibus undique ereptis, impune eludentem[7] circumfluere atque abundare? hujus argento dominia vestra[8], hujus signis et tabulis forum comitiumque ornari[9], præsertim quum vos vestro Marte[10] his rebus omnibus abundetis? Verrem esse, qui vestras villas suis manubiis[11] ornet? Verrem esse, qui cum L. Mummio certet; ut plures hic sociorum urbes, quam ille hostium, spoliasse videatur? plures hic solus villas ornamentis fanorum, quam ille fana spoliis hostium ornasse? Et is erit ob eam rem vobis carior, ut[12] ceteri libentius suo periculo vestris cupiditatibus serviant?

V. Verum hæc et dicentur alio loco[1], et dicta sunt: nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca ante fuerimus a vobis, judices, deprecati. Superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus: id fuit nobis

veritati eripi non possent. — Ernest. conjic. *vixerint*.

7. *Eludentem*. Nobis insultantem, et ita judices fallentem, ut simul eos ludibrio habeat. Vide notas Duker. et Drakenborch. ad T. Liv. lib. II, cap. 45.

8. Sic pl. MSS et Nonius, IV, 125. Al. *domus vestras*, quam lectionem e vett. edd. revocavit Grævius. Frustra. *Dominia* sunt regna poculorum, seu magisteria. Nonius Marcellus etiam v. *dominus*: « Sic, inquit, appellatur convivii exhibitor, unde et *dominia* convivia ». Tunc enim maxime ostendebatur argentea supellex.

9. *Ornari*. Ludos edituri magistratus solebant forum et comitium, quæ fori pars erat, aulæis, signis aliisque rebus pretiosis exornare. Vid. Sueton. in Jul. 10.

10. *Vestro Marte*. Vestris artibus; propriis viribus et rapinis, sine ullo aliorum adminiculo.

11. *Suis manubiis*. Spoliis quasi ex hoste captis, quum Verres socios populi rom. hostium loco habuerit.

12. *Ut ceteri*. Ut ceteros provinciales magistratus hoc vestro amore ad spoliandum invitetis, unde possint vestras cupiditates explere; *suo* tamen *periculo*, nam etsi præsidio vestro innitantur, fieri tamen potest ut pœnas judicio persolvant.

V. 1. *Alio loco*. In sequentibus libris, in quibus sæpe in nobilium ava-

gratum admodum. Sed multo erit gratius, si reliqua voletis attendere: propterea quod in his omnibus, quæ antea dicta sunt, erat quædam ex ipsa varietate ac novitate[2] rerum ac criminum delectatio. Nunc tractare causam instituimus frumentariam; quæ magnitudine injuriæ et re[3] criminibus ceteris antecellit; jucunditatis in agendo et varietatis minus habebit[4]. Vestra autem auctoritate et prudentia dignissimum est, judices, in audiendi diligentia non minus religioni[5] tribuere, quam voluptati. In hac causa frumentaria cognoscenda hæc vobis proponite, judices, vos de rebus fortunisque Siculorum omnium, de civium romanorum, qui arant in Sicilia, bonis, de vectigalibus a majoribus traditis, de vita[6] victuque populi romani cognituros. Quæ si magna, atque adeo maxima vobis videntur; quam varie et quam copiose dicantur, exspectare nolite. Neminem vestrum præterit, judices, omnem utilitatem opportunitatemque provinciæ Siciliæ, quæ ad commoda populi romani adjuncta sit, consistere in re frumentaria maxime: nam ceteris rebus adjuvamur ex illa provincia; hac vero alimur ac sustinemur.

Ea causa tripertita, judices, erit in accusatione. Primum enim de decumano[7], deinde de empto dicemus frumento, postremo de æstimato.

ritiam invehitur.—*Dicta sunt.* Nempe in Divinatione et Actione prima.

2. Cod. Metell. *Nobilitate.* J. V. L.

3. Sic Gruterus e codd. Olim *fere*, quod Schütz. restituit. Ernestio languet. J. V. L.

4. *Minus habebit.* Toties enim hac in oratione Verrem ad calculos revocat, tam diligenter ad computationes vel minutissimas descendit orator, ut omnino mirum sit divinum illud ingenium iis immorari tamdiu potuisse.

5. *Religioni.* Non minus propter rationem officii vestri, quam propter fructum jucunditatis attendere.

6. *De vita victuque.* De rebus quibus populus rom. alitur et sustentatur.

7. *Decumano.* Quod ex decumis colligitur, quæ sunt decima pars frugum, quam reip. pendere debebant

VI. Inter Siciliam, ceterasque provincias, judices, in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum[1], quod stipendiarium dicitur[2], ut Hispanis et plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli; aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ, lege Sempronia. Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque recepimus[3], ut eodem jure essent, quo fuissent; eadem conditione populo romano parerent, qua suis antea paruissent. Perpaucæ[4] Siciliæ civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ: quarum ager quum esset publicus populi romani factus, tamen illis est redditus[5]: is ager a censoribus locari solet. Fœderatæ[6] civitates duæ[7] sunt, quarum decumæ venire non so-

aratores. — *Empto*. Quod præter decumanum emit a Siculis populus rom. — *Æstimato*. Eo nempe quod prætoris ad usus domesticos dabatur, et cujus loco pecuniam poterat accipere.

VI. 1. *Certum*. Illud pecunia solvebatur. Eam certam et definitam summam quotannis quædam provinciæ persolvebant, et ob eam rem *stipendiariæ* appellabantur. Aliud *incertum* vocabatur, quia decima parte frugum constans, modo minus, modo amplius ex annonæ modo erat. De *censoria locatione* hæc habe. Agri devictarum gentium Romæ a censoribus locari solebant, ea lege ut certam pecuniam, sive certum frumenti numerum quotannis locatores populo rom. penderent. *Lege* autem *Sempronia* intelligitur ea quam tulit Tib. Gracchus anno 620, ut agri regis Attali, qui populum rom. heredem instituerat, a censoribus locarentur.

2. *Quod stipendiarium dicitur*. Garaton. libenter scriberet, *qui stipendiarii dicuntur*. J. V. L.

3. Cod. Metell. habet *accepimus*. J. V. L.

4. *Perpaucæ*. Septemdecim tamen, Verr. V, 47, numerat, quæ arma pro Carthaginiensibus contra Romanos tulerunt. Dicit autem h. l. perpaucas fuisse, ut Siciliam, quasi semper de populo romano meritam, judicibus commendet; sed lib. V, numerum ponit, ut officia Tyndaritanorum augeat, qui se a XVII Siciliæ populis sejunxerint, et Romanis opem tulerint. Cujus oratorii artificii non leviter prætereunda exempla.

5. *Est redditus*. Ea lege ut decumas solverent.

6. *Fœderatæ*. Optima hæc erat conditio, quum quæ civitates numquam hostes fuerant, ad amicitiam sociali fœdere jungendam coibant. Nam etsi aliquid Romanis fœdere debebant, tamen in ceteris erant liberæ, suamque remp. suas leges, et suos magistratus habebant.

7. *Duæ*. In Verrina quinta, c. 22, etsi urbs Netum his duobus adjici-

leant, Mamertina et Taurominitana. Quinque præterea sine fœdere immunes[8] civitates ac liberæ, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panormitana. Præterea[9] omnis ager Siciliæ civitatum decumanus est; itemque, ante imperium populi romani, ipsorum Siculorum voluntate et institutis fuit. Videte nunc majorum sapientiam; qui, quum Siciliam, tam opportunum subsidium belli atque pacis, ad rempublicam adjunxissent, tanta cura Siculos tueri et retinere voluerunt, ut non modo eorum agris vectigal novum nullum imponerent, sed ne legem quidem venditionis decumarum, neve vendundi[10] aut tempus, aut locum commutarent; ut certo tempore anni, ut ibidem[11], in Sicilia, denique ut lege Hieronica[12] venderent: voluerunt eos in suis rebus ipsos interesse; eorumque animos, non modo lege nova, sed ne nomine quidem legis novo commoveri. Ita decumas lege Hieronica semper vendundas censuerunt, ut iis jucundior esset muneris illius functio[13], si ejus regis, qui Siculis carissimus fuit[14], non solum instituta, commutato imperio, verum etiam nomen maneret. Hoc jure ante Verrem prætorem Siculi semper usi sunt: hic primus instituta omnium, consuetudinem a majoribus traditam, conditionem amicitiæ, jus societatis, convellere et commutare ausus est.

tur, quam quomodo hoc loco omiserit, mirari licet. — *Venire*. Locari a censoribus.

8. *Immunes*. Quæ nihil pensitant.

9. *Præterea*. Præter has septem immunes, et illas XVII bello subactas, reliquæ civitates decumas frumenti dabant, quas etiam sub regibus pendere assueverant; ideoque onus erat illis admodum leve.

10. Sic Gruterus e codd. Fabr. et Metell. Olim *vendundis*. Idem in *eorumque* adjecit encliticam, jussus ab iisdem codicibus. J. V. L.

11. *Ibidem in Sicilia*. Id ante Verrem prætorem factum est; at postea censores Romæ decumas Siciliæ auctione vendiderunt.

12. *Lege Hieronica*. De hoc vide post Argumentum.

13. *Functio*. Pensionis illius solutio.

14. Ernest. malit *fuisset*.

VII. Qua in re primum illud reprehendo et accuso, cur in re tam veteri, tam usitata, quidquam novi feceris. Ingenio[1] aliquid assequutus es? tot homines sapientissimos et clarissimos, qui illam provinciam ante te tenuerunt, prudentia consilioque vicisti? Est tuum[2], est ingenii diligentiæque tuæ. Do hoc tibi et concedo: scio, te Romæ, quum prætor esses, edicto tuo possessiones hereditatum a suis[3] ad alienos[4], a primis heredibus ad secundos, a legibus ad libidinem tuam transtulisse: scio, te edicta superiorum omnium correxisse, et possessiones hereditatum non secundum eos, qui proferrent, sed secundum eos, qui dicerent testamentum factum, dedisse[5]; easque res novas abs te prolatas et inventas magno tibi quæstui fuisse scio: eumdemque te memini censorias quoque leges[6] in sartis tectis exigendis tollere et commutare: ne is redimeret, cuja res esset; ne pupillo tutores propinquique consulerent, quo minus fortunis omnibus everteretur; exiguam diem[7] præfinire operi, quo ceteros ab negotio excluderes, ipse in tuo redemptore nullam certam diem observares. Quamobrem novam legem te in decumis statuisse non miror, hominem in edictis prætoriis, in censoriis legibus tam prudentem, tam exercitatum; non, inquam, miror, te aliquid excogitasse: sed, quod tua sponte, injussu populi,

VII. 1. *Ingenio.* An ingenii tui vi aliquod vitium in hoc instituto deprehendisti?

2. *Est tuum.* Tota hæc commutatio ab ingenio tuo perspicaci et acuto proficiscitur.

3. Olim *a liberis ad a.* J. V. L.

4. *Ad alienos.* Nempe in Minucii hereditate. Verr. I, 45. — *A primis heredibus.* A P. Annii filia ad L. Annium. Ibid. 41.

5. *Dedisse.* Non iis dedisse qui testamentum ostenderent, sed iis, etc. Ib. 45.

6. *Censorias leges.* Conditiones illas, quibus censores sarta tecta, seu tuendam publicorum ædificiorum curam locarent. De hac tota re adi Verr. I, 54 sqq.

7. *Exiguam diem.* Breve tempus faciendo operi definire, ut ceteri redemptores deterrerentur, etc. Loco *quo,* alii, *qua.* J. V. L.

sine senatus auctoritate, jura provinciæ Siciliæ mutaris, id reprehendo, id accuso.

L. Octavio et C. Cottæ consulibus[8] senatus permisit, ut vini et olei decumas, et frugum minutarum[9], quas ante te quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent, legemque[10] his rebus, quam[11] ipsis videretur, edicerent. Quum locatio fieret, publicani postulârunt, quasdam res ut ad legem adderent, neque tamen a censoriis ceteris legibus recederent. Contra dixit is, qui casu tum Romæ fuit, tuus hospes[12], Verres, hospes, inquam, et familiaris tuus, Sthenius hic Thermitanus. Consules causam cognoverunt: quum viros primarios atque amplissimos civitatis multos in consilium advocassent, de consilii sententia pronuntiarunt, se lege Hieronica venditūros.

VIII. Itane vero? prudentissimi viri, summa auctoritate præditi, quibus senatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem potestatem permiserat, populusque romanus idem jusserat, Siculo uno[1] recusante, cum amplificatione vectigalium, nomen Hieronicæ legis mutare noluerunt: tu, homo minimi consilii, nullius auctoritatis, injussu populi ac senatus, tota Sicilia recusante, cum maximo detrimento

8. *Consulibus*. Illi anno 678 consules fuere, quo tempore quum ab anno 667 nulli erant censores, eorum munera ad consules fuerant delata.

9. *Minutarum*. Frumenti et leguminum. Confer Servium ad Æneid. I, 178.

10. *Legem*. Conditiones, quibus has res venderent.

11. Olim *quæ*. Græv. et Ernest. revocarunt *quam* ex antiq. edd. Habent quoque duo MSS e nostris regiis, usitata syllepsi. J. V. L.

12. *Tuus hospes*. Invidiosa iteratio; quum hunc suum hospitem, tam indignis modis habuerit Verres. Confer Verr. II, 34; V, 42.—*Hic*. Qui huic judicio adest.

VIII. 1. *Siculo uno*. Nempe quum publicani ceteris provinciis Siciliam exæquare conarentur, restitit huic rei Sthenius, et pervicit; verum decumas,

atque adeo exitio vectigalium, totam Hieronicam legem sustulisti.

At quam legem corrigit, judices, atque adeo totam tollit? acutissime ac diligentissime scriptam; quæ omnibus custodiis[2] subjectum aratorem decumano tradit, ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis, neque in amovendo, neque in asportando frumento, grano uno possit[3] arator sine maxima pœna fraudare decumanum. Scripta lex ita diligenter est, ut eum scripsisse appareat, qui alia vectigalia non haberet[4]; ita acute, ut Siculum; ita severe, ut tyrannum; qua lege[5] Siculis tamen arare expediret: nam ita diligenter constituta sunt jura decumano, ut tamen ab invito aratore plus decuma non possit auferri.

Quum hæc essent ita constituta, Verres tot annis atque adeo sæculis[6] inventus est, qui hæc non commutaret, sed everteret; eaque, quæ jamdiu ad salutem sociorum, utilitatemque reipublicæ composita comparataque essent, ad suos improbissimos quæstus converteret: qui primum certos instituerit nomine decumanos, re vera ministros ac satellites cupiditatum suarum. Per quos ostendam sic provinciam per triennium vexatam atque vastatam, judices, ut eam multis annis multorum innocentia sapientiaque recreare nequeamus.

quæ antea in Sicilia vendebantur, Romæ vendi jussit senatus.

2. *Omnibus custodiis.* Omnibus modis septum et custoditum aratorem subjicit decumano.

3. Alii, *posset.* J. V. L.

4. *Non haberet.* Eoque accuratius de iis retinendis et amplificandis cogitaret.—*Ut Siculum.* I. e. acutum et natura controversum. Nam gentem Siculam ipse sic describit in Bruto, c. 12. —*Ut tyrannum.* Ut qui eam scripserit, regem et rerum omnium dominum fuisse appareat.

5. *Qua lege.* Quæ, quamvis tam severe scripta, ad Siculorum utilitates pertinebat.

6. *Sæculis.* Unus post tot sæcula Verres inventus est, qui, etc. Oratorie: nam ab Hieronis morte, h. e. ab anno U. C. 558 ad Verris præturam anni sunt tantum 142.

IX. Eorum omnium, qui decumani vocabantur, princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis: de cujus improbitate singulari, gravissimarum legationum querimonia[1], audistis. Adspicite, judices, vultum hominis et adspectum; et ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos ejus[2] spiritus sicilienses quos fuisse putetis, cogitate ac recordamini. Hic est Apronius, quem in provincia tota Verres, quum undique nequissimos homines conquisisset, et quum ipse secum sui similes duxisset non parum multos, nequitia, luxuria, audacia, sui simillimum judicavit. Itaque istos inter se perbrevi tempore, non res[3], non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo similitudoque conjunxit. Verris mores improbos impurosque nostis: fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit: is erit Apronius ille; qui, ut ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore[4] significat, immensa aliqua vorago est ac[5] gurges vitiorum turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat; tantamque habebat morum similitudo conjunctionem

IX. 1. *Querimonia.* Sic Gruter. et Ern. ceteri e MSS « querimonias ». — Herelius malebat *adsessum ;* nam *adspicere... adspectum* ei haud placebat. At in Catilin. IV similiter dicitur: « Versatur mihi ante oculos Cethegi adspectus ». Pertinet autem *vultus* ad *os, adspectus* ad totam corporis speciem. Itaque paullo post dicitur « corpore atque ore significat ».

2. *Illos ejus.* Sic omnis edita scriptaque lectio. Lambinus, *illos etiam spiritus.* Sensus est: Cogitate quanta fuerit hominis superbia, quum, florentibus rebus suis, in Sicilia versabatur.

3. *Non res.* Neque utilitas, neque judicium. Grævius intelligit: neque negotiatio, neque rationum cura. — *Studiorum similitudo.* Sic pro Cluent. « Magnam vim habet ad compingendas amicitias studiorum ac naturæ similitudo ».

4. *Atque ore.* Quod utrumque in eo vastum est.

5. Al. *aut;* sed habet *ac* vetus liber Ursini; idque recte placuit Mureto et Grævio. J. V. L.

atque concordiam, ut Apronius, qui aliis inhumanus[6] ac barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur; ut, quem omnes odissent, neque videre vellent, sine eo iste esse non posset; ut, quum alii ne conviviis quidem iisdem, quibus Apronius, hic iisdem etiam poculis uteretur; postremo, ut odor Apronii teterrimus oris et corporis, quem, ut aiunt, ne bestiæ quidem ferre possent, uni isti suavis et jucundus videretur. Ille erat in tribunali proximus; in cubiculo solus[7]; in convivio dominus; ac tum maxime, quum, accubante prætextato[8] prætoris filio, in convivio saltare nudus cœperat.

X. Hunc, uti dicere institui, principem Verres ad fortunas aratorum vexandas diripiendasque esse voluit: hujus audaciæ, nequitiæ, crudelitati, fidelissimos socios, optimosque cives, scitote, hoc prætore traditos, judices, atque addictos[1] fuisse, novis institutis et edictis; tota Hieronica lege, quemadmodum antea dixi, rejecta et repudiata.

Primum, edictum, judices, audite præclarum: « Quantum decumanus edidisset[2] aratorem sibi de« cumæ dare oportere, ut tantum arator decumano « dare cogeretur ». Quomodo? quantum poposcerit

6. *Inhumanus*. Incommodus homo et difficulter, aspere ac duriter loquens.

7. *Solus* reposuimus ex codd. Pall. Met. Nann. Franc. et edd. vett. Gruterum, Grævium, Garatonium sequuti. Olim ex Lambino *socius*. Servavit J. V. L. Lambini lectionem, præmonito tamen lectore se libenter alteram recepturum, collato præsertim infra cap. 23.

8. *Prætextato*. Minore annis sexdecim, ante quos prætexta non deponebatur. Ex his notatur Verris improbitas, qui turpissimarum rerum aspectu filium adhuc puerum corrumpi sineret. Ejusdem improbitatis parentes ævo suo accusat Quintilian. I, 2: « A quibus, inquit, miseri liberi discebant vitia, etiam antequam scirent vitia esse ».

X. 1. *Addictos*. Tamquam domino adjudicatos et ejus arbitrio permissos. Sic pro Flacco, 20: « Quum judicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est ». Cf. A. Gell. XX, 1.

2. *Edidisset*. Significasset, declarasset.

IX. Eorum omnium, qui decumani vocabantur, princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis: de cujus improbitate singulari, gravissimarum legationum que rimonia [1], audistis. Adspicite, judices, vultum hominis et adspectum; et ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos ejus [2] spiritus sicilienses quos fuisse putetis, cogitate ac recordamini. Hic est Apronius, quem in provincia tota Verres, quum undique nequissimos homines conquisisset, et quum ipse secum sui similes duxisset non parum multos, nequitia, luxuria, audacia, sui simillimum judicavit. Itaque istos inter se perbrevi tempore, non res [3], non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo similitudoque conjunxit. Verris mores improbos impurosque nostis: fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit: is erit Apronius ille; qui, ut ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore [4] significat, immensa aliqua vorago est ac [5] gurges vitiorum turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat; tantamque habebat morum similitudo conjunctionem

IX. 1. *Querimonia.* Sic Gruter. et Ern. ceteri e MSS «querimonias».— Herelius malebat *adsessum;* nam *adspicere... adspectum* ei haud placebat. At in Catilin. IV similiter dicitur: «Versatur mihi ante oculos Cethegi adspectus». Pertinet autem *vultus* ad *os, adspectus* ad totam corporis speciem. Itaque paullo post dicitur «corpore atque ore significat».

2. *Illos ejus.* Sic omnis edita scriptaque lectio. Lambinus, *illos etiam spiritus.* Sensus est: Cogitate quanta fuerit hominis superbia, quum, florentibus rebus suis, in Sicilia versabatur.

3. *Non res.* Neque utilitas, neque judicium. Graevius intelligit: neque negotiatio, neque rationum cura. — *Studiorum similitudo.* Sic pro Cluent. «Magnam vim habet ad compingendas amicitias studiorum ac naturae similitudo».

4. *Atque ore.* Quod utrumque in eo vastum est.

5. Al. *aut;* sed habet *ac* vetus liber Ursini; idque recte placuit Mureto et Graevio. J. V. L.

atque concordiam, ut Apronius, qui aliis inhumanus[6] ac barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur; ut, quem omnes odissent, neque videre vellent, sine eo iste esse non posset; ut, quum alii ne conviviis quidem iisdem, quibus Apronius, hic iisdem etiam poculis uteretur; postremo, ut odor Apronii teterrimus oris et corporis, quem, ut aiunt, ne bestiæ quidem ferre possent, uni isti suavis et jucundus videretur. Ille erat in tribunali proximus; in cubiculo solus[7]; in convivio dominus; ac tum maxime, quum, accubante prætextato[8] prætoris filio, in convivio saltare nudus cœperat.

X. Hunc, uti dicere institui, principem Verres ad fortunas aratorum vexandas diripiendasque esse voluit : hujus audaciæ, nequitiæ, crudelitati, fidelissimos socios, optimosque cives, scitote, hoc prætore traditos, judices, atque addictos[1] fuisse, novis institutis et edictis; tota Hieronica lege, quemadmodum antea dixi, rejecta et repudiata.

Primum, edictum, judices, audite præclarum : « Quantum decumanus edidisset[2] aratorem sibi de- « cumæ dare oportere, ut tantum arator decumano « dare cogeretur ». Quomodo? quantum poposcerit

6. *Inhumanus*. Incommodus homo et difficulter, aspere ac duriter loquens.

7. *Solus* reposuimus ex codd. Pall. Met. Nann. Franc. et edd. vett. Gruterum, Grævium, Garatonium sequuti. Olim ex Lambino *socius*. Servavit J. V. L. Lambini lectionem, præmonito tamen lectore se libenter alteram recepturum, collato præsertim infra cap. 23.

8. *Prætextato*. Minore annis sexdecim, ante quos prætexta non deponebatur. Ex his notatur Verris improbitas, qui turpissimarum rerum aspectu filium adhuc puerum corrumpi sineret. Ejusdem improbitatis parentes ævo suo accusat Quintilian. I, 2 : « A quibus, inquit, miseri liberi discebant vitia, etiam antequam scirent vitia esse ».

X. 1. *Addictos*. Tamquam domino adjudicatos et ejus arbitrio permissos. Sic pro Flacco, 20 : « Quum judicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est ». Cf. A. Gell. XX, 1.

2. *Edidisset*. Significasset, declarasset.

Apronius, dato. Quid est hoc [3]? utrum prætoris institutum in socios, an in hostes victos insani edictum atque imperium tyranni?—Ego tantumdem [4], quantum ille poposcerit? poscet omne, quantum exaravero [5].—Quid omne?—Imo plus etiam, inquit, si volet.—Quid tum? Quid censes?—Aut dabis, aut contra edictum fecisse damnabere.—Per deos immortales! quid est hoc? verisimile enim non est. Sic mihi persuadeo, judices: tametsi omnia in istum hominem convenire putetis, tamen hoc vobis falsum videri. Ego enim, quum hoc tota Sicilia diceret, tamen affirmare non auderem, si hæc edicta non ex ipsius tabulis totidem verbis recitare possem; sicuti faciam. Da, quæso, scribæ: recitet ex codice [6]. Recita edictum de professione [7]. EDICTUM DE PROFESSIONE. Negat me recitare totum: nam id significare nutu videtur. Quid prætereo? an illud, ubi caves [8] tamen Siculis, et miseros respicis aratores? Edicis enim, te in decumanum, si plura sustulerit [9], quam debitum sit, in octuplum [10] judicium daturum esse. Nihil mihi placet prætermitti. Recita hoc quoque, quod postulat; totum recita. EDICTUM DE JUDICIO IN OCTUPLUM. Judicio ut

3. Rescripsit Beck. teste MS, *Quid, quid est hoc?* J. V. L.

4. Al. *tantum dem*, quod probat Hotomann. Sed Ernest. veretur ne *dem* sit a glossa, ideoque delendum. J. V. L.

5. *Exaravero*. Ex aratione percepero. Dialogismus est. Quid tu dicis omne?—Imo, inquit Verres, amplius, si ita ei libuerit. — Quid tum? inquit arator. Quid putas faciendum? — Aut dabis, respondet Verres, etc.

6. *Ex codice*. Ex tabulis Verris.

7. *De professione*. Qua cavetur ne arator minus jugerum profiteatur, seu declaret, quam exaraverit.

8. *Caves*. Siculorum utilitati per speciem consulere videris.

9. Beck. maluit scribere e cod. Urs. *si plus sustulerit;* quod jam Ernest. suaserat. J. V. L.

10. *In octuplum*. Permissurum aratori, ut decumanum judicio persequatur, et ab eo repetat septies tanto amplius, quam quantum abstulerit. Quod quidem re ipsa facere in animo non habebat Verres, sed speciem iniquitati obducere studebat.

arator[11] decumanum persequatur? Miserum atque iniquum, ex agro homines traduci in forum, ab aratro ad subsellia, ab usu rerum rusticarum ad insolitam litem atque judicium.

XI. Quum omnibus in aliis vectigalibus, Asiæ, Macedoniæ, Hispaniæ, Galliæ, Africæ, Sardiniæ, ipsius Italiæ, qua[1] vectigalia sunt; quum in his, inquam, rebus omnibus publicanus petitor[2] ac pignerator, non ereptor neque possessor soleat esse: tu de optimo, de justissimo, de honestissimo genere hominum, hoc est, de aratoribus, ea jura constituebas, quæ omnibus aliis essent contraria. Utrum est æquius, decumanum petere, an aratorem repetere? judicium integra[3] re, an perdita, fieri? eum, qui manu quæsierit, an eum, qui digito licitus sit[4], possidere? Quid? qui in singulis jugis[5] arant, qui ab opere ipsi non recedunt, quo in numero magnus ante te prætorem numerus, magna multitudo Siculorum fuit: quid facient? quum dederint Apronio, quod poposcerit, relinquent arationes? relinquent Larem familiarem suum? venient Syracusas, ut, te prætore videlicet, æquo jure[6] Apronium, delicias ac vitam tuam, judicio[7] recuperatorio persequantur? Verum esto: reperietur aliquis fortis

11. *Ut arator*. Subintellige: *ergo oportebit*. Quæ plurimum ellipsis in indignatione valet.

XI. 1. *Qua*. Ex qua parte. Sequimur emendationem Hot. Vulg. *quæ*. Man. defendit: nempe quæ vectigal pendunt. Tria hæc verba Ernest. uncis inclusit; Sch. delevit. J. V. L.

2. *Petitor*. In his vectigalibus publicanus solet petere ab aratore; qui si non solvit, idem publicanus, prætoris auctoritate, pignus ab eo, ut res sit extra aleam, accipit. Sed rem ipsam non eripit aratori, neque in illius possessionem irruit.

3. *Integra*. Nondum erepta a publicano.

4. *Digito licitus sit*. In auctione qui licitabantur, seu pretium augebant, digitum tollere solebant. Ex consilio orator verba *manu* et *digito* inter se confert.

5. *Singulis jugis*. Non in amplo fundo, sed in uno tantum jugere.

6. Ernest. malit *jure* abesse. J.V. L.

7. *Judicio recuperatorio*. Sic appel-

et experiens arator, qui, quum tantum dederit decumano, quantum ille deberi dixerit, judicio repetat, et pœnam octupli persequatur. Exspecto vim edicti, severitatem prætoris; faveo aratori, cupio octupli damnari Apronium. Quid tandem postulat arator? nihil, nisi ex edicto judicium in octuplum. Quid Apronius? non recusat[8]. Quid prætor[9]? jubet recuperatores rejicere. — Decurias scribamus. — Quas decurias? de cohorte mea rejicies, inquit. — Quid? ista cohors quorum hominum est? — Volusii aruspicis, et Cornelii medici, et horum canum, quos tribunal meum vides lambere. Nam de conventu nullum umquam judicem, nec recuperatorem dedit: iniquos decumanis esse aiebat omnes, qui ullam agri glebam possiderent. Veniendum erat[10] ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Aproniani convivii crapulam exhalassent.

XII. O præclarum et commemorandum judicium! o severum edictum! o tutum perfugium aratorum!

Atque, ut intelligatis, cujusmodi ista judicia in

latur quod exercetur per *recuperatores*, seu homines ab prætore delegatos, qui de privatis controversiis judicarent, et per quos suum quisque recuperaret.

8. *Non recusat.* Quia Verris mentem ac favorem novit.

9. *Quid prætor.* Quid faciet bonus prætor? Jubet aratorem recuperatores rejicere, i. e. sorte ducere, et pro suo jure eos rejicere, qui sibi non placeant. Arator, qui rem pervulgata via tractatum iri putat, dicit statim, « decurias scribamus, i. e. recuperatores sortiamur ex decuriis, seu ex conventu civium rom. (vid. Verr. I, 61) et nomina eorum, quos sorte duxerimus, in albo describamus. Respondet Verres: Quas tu mihi narras decurias? dabo tibi recuperatores ex mea cohorte. Rejicies, i. e. eliges ex ea quos tu voles. — Quid ais? dicit arator, qui sunt isti ex tua cohorte? — Sunt, respondet Verres, Volusius aruspex, Cornelius medicus, etc. Sic optime dialogismum dispensavit Manutius et Desjardins. Frustra delendum *rejicies* censuerunt Græv. et Ernest. quibus assentitur Harles.

10. *Veniendum erat.* Habendi illi contra Apronium erant recuperatores, quorum ex convivio quod Apronius illis instruxerat, nondum vinolentia et ebrietas deferbuerat.

octuplum, cujusmodi istius de cohorte recuperatores existimati sint, sic attendite. Ecquem[1] putatis decumanum, hac licentia permissa, ut tantum ab aratore, quantum poposcisset, auferret, plus, quam deberetur, poposcisse? Considerate cum vestris animis vosmet ipsi, ecquem putetis, præsertim quum id non solum avaritia[2], sed etiam imprudentia accidere potuerit: multos necesse est. At ego omnes dico plus, ac multo plus, quam decumas, abstulisse. Cedo mihi unum ex triennio præturæ tuæ, qui octupli damnatus sit: damnatus? imo vero, in quem judicium ex edicto tuo postulatum sit. Nemo erat videlicet aratorum, qui injuriam sibi factam queri posset: nemo decumanorum, qui grano amplius sibi, quam deberetur, deberi professus esset. Imo vero contra, rapiebat et asportabat, quantum a quoque volebat, Apronius; omnibus autem locis aratores spoliati ac vexati querebantur: neque tamen ullum judicium reperietur[3]. Quid est hoc? tot viri fortes, honesti, gratiosi, tot Siculi, tot equites romani, ab uno homine nequissimo ac turpissimo læsi, pœnam octupli, sine ulla dubitatione commissam[4], non persequebantur? quæ causa? quæ ratio est? Una illa, judices, quam videtis: quod ultro etiam illusos se et irrisos[5] ab judicio discessuros videbant. Etenim[6] quod esset judicium quum e Verris

XII. 1. *Ecquem.* Quam multos fuisse decumanos putatis, qui hoc Verris edicto freti, plus quam deberent aratores abstulerint.

2. *Avaritia.* Alii, « sine avaritia, s. e. sine impudentia ». Nostram autem lectionem dedit ex Met. et Franc. codd. Grut. probavit Græv. et Ern. quos sequuti sunt Beck. Sch. Lallemand. Potuit fieri, inquit Cicero, ut non modo avaritia impulsus plus acciperet decumanus, sed etiam imprudenter et per errorem plus peteret.

3. *Reperietur.* Nullus exstitit, qui judicio sit decumanum persequutus.

4. *Commissam.* Debitam. Usurpato apud JCtos sensu. Cf. Verr. I, 10.

5. *Irrisos.* Sic Man. et Grut. MSS nonnulli habent *irritos*, quod defendit Ursin. Garaton.

6. *Etenim.* Mira corrupti judicii descriptio.

turpissimo flagitiosissimoque comitatu tres recuperatorum nomine assedissent, asseclæ istius, non[7] a patre ei traditi, sed a meretricula commendati? Ageret videlicet causam arator: nihil sibi frumenti ab Apronio relictum, bona sua etiam direpta, se pulsatum verberatumque diceret. Conferrent viri boni capita[8]: de comissatione loquerentur inter se, ac de mulierculis, si quas a prætore[9] abeuntes possent deprehendere. Res agi videretur. Surrexisset Apronius, nova dignitas[10] publicani, non ut decumanus, squaloris plenus ac pulveris; sed unguentis oblitus, vino vigiliisque languidus: omnia primo motu ac spiritu suo[11], vini, unguenti, corporis odore complesset. Dixisset hæc, quæ vulgo dicere solebat, non se decumas emisse, sed bona fortunasque aratorum; non se decumanum esse Apronium, sed Verrem alterum, dominum illorum ac tyrannum. Quæ quum dixisset, illi viri optimi de cohorte istius recuperatores, non de absolvendo Apronio deliberarent, sed quærerent, ecquo modo petitorem ipsum Apronio condemnare[12] possent.

XIII. Hanc tu licentiam diripiendorum aratorum quum decumanis, hoc est, Apronio permisisses, ut, quantum vellet, posceret; quantum poposcisset, au-

7. *Non a patre.* Cod. Franc. « non a populo romano ei traditi »; quod verum Grævio videtur. Nihil tamen mirum probatos comites a patre Verrem accepisse potuisse; quum præsertim ex privata commendatione multi in prætoriam cohortem adscirentur. Credit Harles. alludi ad Romanorum morem, qui viris in foro versantibus, aut juris peritissimis filios erudiendos tradebant.

8. *Conferrent... capita.* Sic T. Liv. II, 45, « consules velut deliberabundi, capita conferunt, diu colloquuntur ».

9. *Prætore.* Ex prætoris cubiculo.

10. *Nova dignitas.* Novum illud genus publicani. Nempe quum publicani equites rom. essent, hic vero servili genere, ideo novi generis ac novæ dignitatis et splendoris publicanum, non sine irrisione, appellat.

11. *Spiritu suo.* Oris halitu.

12. *Apronio condemnare.* I. e. in gratiam Apronii condemnare. Sic « sibi condemnat » Verr. II, 8. Frustra Græv. malebat « condonare ».

ferret: hoc tibi defensionis ad judicium tuum[1] comparabas, habuisse te edictum, recuperatores daturum in octuplum? Si mehercule ex omni copia conventus Syracusani, splendidissimorum honestissimorumque hominum, faceres potestatem aratori, non modo rejiciundi, sed etiam sumendi recuperatores: tamen hoc novum genus injuriæ ferre nemo posset, te[2], quum tuos omnes fructus publicano tradidisses, et rem de manibus amisisses, tum bona tua repetere, ac persequi lite atque judicio. Quum vero verbo judicium sit in edicto, re quidem vera tuorum comitum, hominum nequissimorum, collusio cum decumanis, sociis tuis, atque adeo procuratoribus[3]: tamen audes illius[4] judicii mentionem facere; præsertim quum id non modo oratione mea, sed etiam re ipsa refellatur? quum in tantis incommodis aratorum, injuriisque decumanorum, nullum ex isto præclaro edicto non modo factum[5], sed ne postulatum quidem judicium inveniatur? Erit tamen in aratores lenior, quam videtur: nam, qui in decumanos octupli judicium se daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem[6] in quadruplum daturum. Quis hunc audet dicere aratoribus infestum aut inimicum[7] fuisse? quanto lenior est, quam in publicanum? Edixit, ut,

XIII. 1. *Judicium tuum.* Hanc accusationem.

2. Wyttenbach. Bibl. crit. II, p. 13, emendat: « se... suos... tradidisset... amisisset... sua ». Sch. recepit. J.V. L. — Ceterum secunda hæc persona non Verrem significat, sed exempli loco ponitur, et idem est ac si dicat Cicero, aratorem aliquem, quum suos omnes fructus publicano tradidisset ex injusto prætoris edicto, repetere ex altero ejusdem prætoris edicto.

3. *Procuratoribus.* Qui tibi in prædando operam suam navant.

4. Met. et Nann. *ullius*, quod malebat Gul. Sed vulgata magis placet: non enim de numero agitur judiciorum, sed de ipsa judicii natura.

5. *Factum.* A judicibus habitum et exercitum.

6. *Aratorem.* Qui decumanum fraudasset.

7. Faern. et Ursin. correxerunt, « iniquum ».

quod decumanus edidisset sibi dari oportere, id ab aratore magistratus Siculus[8] exigeret. Quid dereliquit judicii, quod in aratorem dari posset? — Non malum est, inquit, esse istam formidinem : ut, quum exactum sit ab aratore, tamen ne se commoveat, reliquus metus judicii sit. — Si judicio a me vis exigere, remove Siculum magistratum : si hanc vim adhibes, quid opus est judicio? Quis porro erit[9], qui non malit decumanis tuis dare, quod poposcerint, quam ab asseclis tuis quadruplo condemnari?

XIV. Illa vero præclara est clausula edicti, quod omnium controversiarum, quæ essent inter aratorem et decumanum, si uter velit, edicit, se recuperatores daturum. Primum, quæ potest esse controversia, quum is, qui petere debet, aufert? et quum is non, quantum debetur, sed quantum commodum est, aufert? ille autem, unde ablatum est, judicio suum recuperare nullo modo potest? Deinde in hoc homo luteus[1] etiam callidus ac veterator esse vult, quod ita scribit, SI UTER VOLET, RECUPERATORES DABO. Quam lepide se furari putat? Utrique facit potestatem : sed

8. *Magistratus Siculus.* Verres quum edicto scripsit ut quantum decumanus ab aratore peteret, id solvere per magistratum cogeretur, nullum jam locum judicio reliquit, quod ipse in aratores, qui decumanum fraudaverant, indixit. Quid enim judicio petant decumani, quod sine judicio ex magistratuum coactione possunt certissime obtinere? At Verres ostendebat se aratorum, post exactionem, querelas voluisse præcidere. Respondet Cicero horum alterutrum non esse necessarium : vel illi non esse per magistratum vim inferendam, quem judicio cogere velis; vel judicio non opus esse, si tantum dare per vim, quantum petitur, cogitur arator. Sic optime Ferratius. Hoc in loco falsus est Desjardins, qui hoc totum ad judicium recuperatorium, seu in octuplum refert.

9. *Quis porro erit.* Hoc enim edicti caput pro debito quidquid petatur, habere videtur; itaque aratores mallent quod peteretur dare, vi etiam illa remota, solo quadrupli metu, quum certa a Verris satellitibus judicato damnatio ingrueret; neque quod per vim dedissent, repetere auderent.

XIV. 1. Restituimus priscam lect. Lambin. *bliteus;* Ernest. *lynceus.* Reperit Gruterus in Palat. sec. *lautus,*

utrum ita scripserit, si uter volet, an, si decumanus volet, nihil interest: arator enim tuos istos recuperatores numquam[2] volet.

Quid? illa cujusmodi sunt, quæ ex tempore, ab Apronio admonitus, edixit? Q. Septitio[3], honestissimo homine, equiteque romano, resistente Apronio, et affirmante, se plus decuma non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum, ne quis frumentum de area tolleret ante, quam cum decumano pactus esset[4]. Ferebat hanc quoque iniquitatem Septitius, et imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: quum illud edictum repente uberrimum et quæstuosissimum nascitur, ut ante kalendas sext. omnes decumas ad aquam[5] deportatas haberent. Hoc edicto non Siculi (nam eos quidem jam superioribus edictis satis perdiderat atque afflixerat), sed isti ipsi equites romani, qui suum jus retinere se contra Apronium posse erant arbitrati, splendidi homines, et aliis prætoribus gratiosi, vincti Apronio, traditi sunt. Attendite enim, cujusmodi edicta sint. NE TOLLAT, inquit, EX AREA, NISI ERIT PACTUS. Satis hæc magna vis est ad inique paciscendum: malo enim[6] plus dare, quam non mature ex area tollere. At ista vis Septitium, et non-

quod ei non displicere miror.—*Luteus.* I. e. nihili, vilis ut lutum. Sic Plaut. Trinum. IV, 4, 1: «lutea est meretrix». Forte etiam ludit in Verris nomen, quod sit «amica luto sus».

2. *Numquam.* Ita codd. Nann. et Metell. Olim, *numquid volet?* J.V. L.

3. *Q. Septitio.* Quum Q. Septitius Apronio resisteret, subito in publicum prodit edictum *peculiare*, i. e. quod peculiariter et quasi nominatim scribi jussit in Q. Septitium quocum controversiam habebat Apronius; et *repentinum*, h. e. non ex anni initio, quo jam provinciale suum edictum Verres in albo proposuerat, sed ex tempore, Apronio ea de causa urgente, constitutum. De his repentinis edictis confer infra 20, et Verr. I, 43, 46.

4. *Pactus esset.* Transegisset de decumæ numero persolvendo.

5. *Ad aquam.* Ad litus freti Siculi; unde Romam aveherentur.

6. *Malo enim.* Hoc aratoris nomine dicitur.—*Mature.* Antequam frumenta corrumpantur.

nullos Septitii similes, non coercet; qui ita dicunt: Non tollam potius [7], quam paciscar. His hoc opponitur [8]: Deportatum habeas ante kalend. sext.—Deportabo igitur.—Nisi pactus eris, non commovebis.—Sic deportandi dies præstituta tollere cogebat ex area; prohibitio tollendi, nisi pactus esset, vim [9] adhibebat pactioni, non voluntatem.

XV. Jam vero illud non solum contra legem Hieronicam, nec solum contra consuetudinem superiorum [1], sed etiam contra omnia jura Siculorum, quæ habent a senatu populoque romano, ne extra suum forum [2] vadimonium promittere cogantur. Statuit iste, ut arator decumano, quo vellet decumanus, vadimonium promitteret: ut hic quoque Apronio, quum ex Leontino [3] usque Lilybæum aliquem vadaretur, ex miseris aratoribus calumniandi quæstus accederet [4]. Quamquam [5] illa fuit ad calumniam singulari consilio

7. *Non tollam potius.* Malo illud in area relinquere, quam inique transigere.

8. Hæc est vera lectio, quam Gruter. dare voluit; sed operæ vulgatam *apponitur* servavere, nec id Gronov. correxit, nec Olivet. nec Lallem. Habent tamen *opponitur* boni MSS et edd. Manut. Græv. etc. J. V. L.

9. *Vim adhibebat.* Aratorem cogebat invitum decidere et inique transigere.

XV. 1. *Superiorum.* Prætorum qui ante Verrem fuerunt.

2. *Forum.* Illud est quod JCti territorium vocant (gall. *jurisdiction*, *ressort*). Nempe moris erat ut in certis provinciæ suæ oppidis, magistratus rom. conventum haberent ubi jus dicerent, et in quod, qui vicini erant, vadimonia, i. e. se certo die venturos in judicium, promitterent. De vadimonio confer Excurs. ad calc. prim. volum. de judiciis privatis.

3. *Leontino.* Agro. Sic edd. vett. Sequuntur tamen Gruter. Lamb. Lallem. MSS nonnullos, scribendo, *a Leontinis*. J. V. L.

4. *Accederet.* Ut hac quoque in re calumniandi quæstum, i. e. malo et perfido contractum consilio lucrum ex miseris aratoribus Apronius colligeret, quum v. g. ex Leontino agro usque Lilybæum, h. e. ex ultima parte Siciliæ ad oppositam partem aliquem vadaretur, s. cogeret se in judicio sistere. Nam aratores quavis conditione transigere, quam tantum itineris emetiri malebant. Hotom. legit « calumniandis », quod planiorem facit sensum. Recepit Lamb. Probat Desjard.

5. *Quamquam.* Opus non fuisset

reperta ratio, quod edixerat, ut aratores jugera sationum suarum profiterentur. Quæ res quum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit, sicut ostendam, neque ad ullam utilitatem reipublicæ pertinuit; tum vero ad calumnias, in qua omnes inciderent, quos vellet Apronius. Ut enim quisque contra voluntatem ejus dixerat[6], ita in eum judicium de professione jugerum postulabatur. Cujus judicii metu magnus a multis frumenti numerus ablatus, magnæque pecuniæ coactæ sunt: non quo jugerum numerum vere profiteri esset difficile, aut amplius etiam profiteri: quid enim in eo periculi esse posset? sed causa erat judicii postulandi[7], quod ex edicto professus non esset. Judicium autem quod fuerit isto prætore, si, quæ cohors, et qui comitatus fuerit, meministis, scire debetis. Quid igitur est, quod ex hac iniquitate novorum edictorum intelligi velim, judices? Injuriamne factam sociis? at videtis. Auctoritatem superiorum repudiatam? non audebit negare. Tantum Apronium isto prætore potuisse? confiteatur necesse est.

XVI. Sed vos fortasse, quod vos lex commonet[1], id in hoc loco quæretis, num quas ex hisce rebus pe-

illo novo decreto; satis enim erat ad calumniam, i. e. ad quæstum per injustam vexationem faciendum, quod jam edixerat, ut declararent aratores quot sevissent jugera.

6. *Dixerat.* Si quis aratorum pactiones, quas volebat Apronius recusarat, statim eum Apronius judicio persequebatur, quasi subdole, quot sevisset jugera, declarasset.

7. *Postulandi.* Hotom. conj. « formidandi », probat Desjard. Lambin. edidit « pertimescendi », quod referri arbitratur ad paullo ante commemoratum « hujus judicii metum ». Ernestio quoque vulgata non placebat; quam optime tamen defendunt Gar. et Beck. Exsistebat causa, h. e. prætextus postulandi judicii, s. in judicium appellandi. Hoc sc. prætextu, quod aliquis jugera non ex edicto declarasset, semper utebatur Apronius ad vexandos quos vellet. Itaque omnes hoc judicium metuebant, ejusque metu frumenta aut pecunias dabant.

XVI. 1. *Lex commonet.* Quæ de pecuniis repetundis lata, de pecuniis ereptis quæri jubet.

cunias ceperit. Docebo, cepisse maximas, omnesque eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quæstus causa constituisse[2] vincam[3], si prius illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus usurum se putat, ex defensione ejus dejecero. Magno, inquit, decumas vendidi[4]. Quid ais? an tu decumas, homo audacissime atque amentissime, vendidisti? tu partes eas, quas te senatus populusque romanus voluit, an fructus integros, atque adeo bona fortunasque aratorum omnes vendidisti? Si palam præco jussu tuo prædicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes, et ita emptores accessissent, ut ad dimidias partes emendas: si pluris vendidisses tu dimidias, quam ceteri decumas, cuinam mirum videretur? Quid vero, si præco decumas pronuntiavit; re vera, hoc est, lege, edicto, conditione plus etiam, quam dimidiæ venierunt? tamen hoc tibi præclarum putabis, te pluris, quod non licebat, quam ceteros, quod oportebat, vendidisse? Pluris vendidi decumas, quam ceteri. Quibus rebus id assequutus es? Innocentia? adspice ædem Castoris[5]; deinde, si audes, fac mentionem innocentiæ. Diligentia? codicis lituras tui contemplare in Sthenii[6] Thermitani nomine; deinde

2. *Constituisse*. Olim « irrupisse ». Conj. Hot. « reperisse »; admisit Ald. nepos. E MSS pluribus et vett. edd. « constituisse » reposuerunt Lamb. et Grut. *Constituere iniquitates* idem est quod istorum iniquorum decretorum, quæ injuriis infinitis afficiebant aratores, auctorem esse.

3. Vulg. *convincam*. Lect. MSS Gruter. prætulimus; quod jam multi ante nos fecerant. Habent etiam *vincam* duo codd. regii. J. V. L.

4. *Vendidi*. Decumani, quod magnam vim eis Verres in aratorum bona permiserat, quamplurimo decumas emerant; quod quia ad ærarii commodum maxime pertinebat, ob eam rem Verres se populi rom. gratiam conciliare maxime posse sperabat.

5. *Ædem Castoris*. In cujus sartis exigendis nefarie prædatus est Verres. Vid. Verr. I, 49, sqq.

6. *In Sthenii*, etc. Cujus absentis nomen delatum esse scripserat primum Verres; sed postea illud correxit, et Sthenium præsentem fuisse accusatum,

aude te dicere diligentem. Ingenio? qui testes interrogari priore actione nolueris [7], et iis tacitum os tuum præbere malueris, quantumvis, et te, et patronos tuos, ingeniosos esse dicito. Qua re igitur id, quod ais, assequutus es? Magna est enim laus, si superiores consilio vicisti, posterioribus exemplum atque auctoritatem reliquisti. Tibi fortasse idoneus fuit nemo, quem imitarere; at te videlicet, inventorem rerum optimarum ac principem, imitabuntur omnes. Quis aratorum, te prætore, decumam dedit? quis duas? quis non maximo se affectum beneficio putavit, quum tribus decumis pro una defungeretur, præter paucos, qui propter societatem furtorum tuorum nihil omnino dederunt? Vide, inter importunitatem tuam, senatusque bonitatem, quid intersit. Senatus, quum temporibus reipublicæ [8] cogitur, ut decernat, ut alteræ decumæ exigantur, ita decernit, ut pecunia pro his decumis solvatur aratoribus; ut, quod plus sumitur, quam debetur, id emi, non auferri putetur. Tu, quum tot decumas non senatusconsulto, sed novis edictis tuis, nefariisque institutis exigeres et eriperes; magnum te fecisse arbitrabere, si pluris vendideris, quam L. Hortensius [9], pater istius Q. Hortensii, quam Cn. Pompeius, quam M. Marcellus [10], qui ab æquitate, ab lege, ab institutis non recesserunt?

in eumdem codicem, facta litura, retulit. Vid. II, 34.

7. *Nolueris.* Testes interrogare non ausus es, et ab iis te contumelia affici impune passus es, quamvis ingenium et peritiam patronorum tuorum jactares, quorum consilio ita egisti.

8. *Temporibus reip.* Difficultatibus rei frumentariæ. — *Alteræ decumæ.* Inde apparet alteras eas decumas, de quibus infra, cap. 69, mentio occurret, non singulis annis exigi solitas.

9. *L. Hortensius.* Prætor anno 656, ex prætura Siciliam administravit. — *Cn. Pompeius.* Strabo, Magni pater, anno 660 prætor fuit ac Siciliæ proprætor.

10. Multi, inter quos C. Stephan. Lallem. Beck. e cod. Nanniano et his orationibus ipsis, Divinat. cap. 4; in Verr. II, 3, 21, ediderunt, rectius forte, *C. Marcellus.* J. V. L.

XVII. An tibi unius anni[1], aut biennii ratio habenda fuit; salus provinciæ, commoda rei frumentariæ, ratio reipublicæ in posterum[2] fuit negligenda? quum ita rem constitutam accepisses, ut et populo romano satis frumenti ex Sicilia suppeditaretur, et aratoribus tamen arare, atque agros colere expediret[3]. Quid effecisti? quid assequutus es? Ut populo romano, prætore te, nescio quid ad decumas accederet, deserendas arationes relinquendasque curasti. Successit tibi L. Metellus. Tu innocentior, quam Metellus? tu laudis et honoris cupidior? tibi[4] enim consulatus quærebatur, Metello paternus honor et avitus negligebatur: multo minoris vendidit, non modo, quam tu, sed etiam, quam qui ante te vendiderunt. Quæro, si ipse excogitare non poterat, quemadmodum quam plurimo venderet; ne tua quidem recentia proximi prætoris vestigia persequi poterat, ut tuis præclaris, abs te principe inventis et excogitatis edictis, atque institutis uteretur? Ille vero tum se Metellum[5] minime fore putasset, si te ulla in re imitatus esset: qui ab urbe Roma, quod nemo umquam post hominum memoriam fecit, quum sibi in provinciam proficiscendum putaret, literas ad Siciliæ civitates misit, per quas hortatur et rogat, ut

XVII. 1. *Unius anni*, Illudne solum tibi fuit cogitandum ut vectigal quam maxime amplificares; in posterum autem nihil unde solvi posset relinqueretur?

2. *In posterum.* Græviani codd. et nonnulli regii, *in posteritatem*. J. V. L.

3. *Expediret.* Quia satis ampli suorum laborum fructus iis etiam relinquebantur; quibus vitam tolerarent.

4. *Tibi enim.* Ironia est. Decumas amplificando, hoc studebas ut ærarium locupletares et inires gratiam a populo, ut per eum aditus ad consulatum pateret; at sane Metellus minus studebat ærarium locupletare, ut paternum avitumque honorem consequeretur. Porro Metelli pater, L. Metellus Dalmaticus et avus Q. Metellus Macedonicus consules fuerant.

5. *Se Metellum.* Se tanto, tam nobili nomine indignum.

arent, ut serant in beneficio[6] populi romani. Hoc petit aliquanto ante adventum suum; et simul ostendit, se lege Hieronica venditurum, hoc est, in omni ratione decumarum nihil isti simile facturum. Atque hæc non cupiditate[7] aliqua scribit adductus, ut in alienam provinciam mittat literas ante tempus; sed consilio, ne, si tempus sationis præteriisset, granum in provincia Sicilia nullum haberemus. Cognoscite Metelli literas. Recita epistolam L. Metelli. LITERÆ L. METELLI.

XVIII. Hæ literæ, judices, L. Metelli, quas audistis, hoc, quantum est ex Sicilia frumenti hornotini[1], exaraverunt. Glebam commosset in agro decumano Siciliæ nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. Quid? Metello divinitus hoc venit in mentem; an ab Siculis, qui Romam frequentissimi convenerant, negotiatoribusque Siciliæ doctus est[2]? quorum quanti conventus ad Marcellos, antiquissimos Siciliæ patronos, quanti ad Cn. Pompeium, consulem designatum, ceterosque illius provinciæ necessarios, fieri soliti sint, quis ignorat? Quod quidem judicium[3] nullo umquam de homine factum est, ut absens accusare-

6. *In beneficio.* In iis agris quos beneficio populi romani debent. — Grævius delevit *in*, quod non fuit in MS Nanniano, negatque commode dici, *serere in beneficio p. r.* Videtur id non intellexisse Grævius. Schütz. suspicatur legendum esse : «ut serant. In beneficii loco prætor populi rom. hoc petit». J. V. L.

7. *Cupiditate.* Studio quodam dominandi. — *In alienam provinciam.* Nondum enim Verres decesserat. — *Ante tempus.* Antequam potestatem et imperium habeat in provincia.

XVIII. 1. *Hornotini.* Hujus anni. *Hornotinum*, seu *hornum* dicebant veteres quod erat ejusdem anni. Conf. Hor. od. III, 23.—*Exaraverunt.* Fecerunt ut exararetur: his literis debetur quidquid in Sicilia hoc anno est collectum.

2. Forte *edoctus est*, inquit Gulielmius. J. V. L.

3. *Quod quidem judicium.* Quæ testificatio existimationis, quam de suo prætore provinciales homines haberent, nullo umquam de homine facta est, etc. Sæpius judices huc revocat orator, et ostendit Verrem summo omnibus esse odio. Qua quidem eos

tur ab iis palam, quorum in bona liberosque summum imperium potestatemque haberet. Tanta vis erat injuriarum, ut homines quidvis perpeti, quam non de istius pravitate et injuriis deplorare et conqueri mallent. Quas literas quum ad omnes civitates prope suppliciter misisset Metellus; tamen antiquum modum sationis nulla ex parte assequi[4] potuit: diffugerant enim permulti, id quod ostendam; non solum arationes, sed etiam sedes suas patrias, istius injuriis exagitati, reliquerant.

Non mehercule criminis augendi causa dicam, judices; sed, quem accepi ipse oculis animoque sensum, hunc vere apud vos, et, ut potero, planissime exponam. Nam, quum quadriennio post[5] in Siciliam venissem, sic mihi affecta visa est, ut hæ terræ solent, in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc, ac desertos videbam, ut ager ipse cultorem desiderare, ac lugere dominum videretur. Herbitensis ager[6], Ennensis, Morgantinus[7], Assorinus, Imacharensis[8], Agyrinensis, ita relictus erat ex maxima parte, ut non solum jugerum[9], sed etiam dominorum multitudinem quæreremus. Ætnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, et, quod caput est rei frumentariæ, cam-

arte commonet, hominem tam communi odio flagrantem non posse eorum sententiis absolvi.

4. *Assequi.* Nulla ex parte efficere, ut tantum agri sereretur, quantum antea seri solebat, quia fugerant aratores. Infra 51.

5. *Post.* Postquam in ea quæstor fueram. — *Venissem.* In Verrem inquirendi causa.

6. *Herbitensis ager.* Satis dictum esse videri poterat, quod jam dixit orator; sed quo hujus solitudinis gravitas plenius constet, jam præcipuos fertilitate agros recenset, qui novum pondus ipsius querelis adjiciant.

7. Alii, *Murgentinus.* J. V. L.

8. Alii, *Macharensis.* De his conf. Ind. Hist.

9. *Jugerum.* Quæ, quia arabantur antea, optime erant distincta, nunc vero inculta et confusa jacent.

pus Leontinus, cujus antea spes[10] hæc erat, ut, quum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vererere, sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus. Labefactarat enim vehementer aratores jam superior annus; proximus vero funditus everterat.

XIX. Tu mihi etiam audes mentionem facere decumarum! tu in tanta improbitate, tu in tanta acerbitate, in tot et tantis injuriis, quum in arationibus, et in earum rerum jure provincia Sicilia consistat, eversis funditus aratoribus, relictis agris, quum in provincia tam locupleti[1] ac referta, non modo rem, sed ne spem quidem[2] ullam reliquam cuiquam feceris, aliquid te populare[3] putabis habere, quum dices, te pluris, quam ceteros, decumas vendidisse? Quasi vero aut populus romanus hoc voluerit, aut senatus hoc tibi mandaverit, ut, quum omnes aratorum fortunas decumarum nomine eriperes, in posterum fructu illo commodoque rei frumentariæ populum romanum privares; deinde, si quam partem[4] tuæ prædæ ad summam decumarum addidisses, bene de populo romano meritus viderere.

Atque hæc[5] perinde loquor, quasi in eo sit iniquitas ejus reprehendenda, quod propter gloriæ cu-

10. *Spes*. Tanta erat fiducia agri illius, tam certum habebatur, propter famam fecunditatis, messem bonam fore ut, si modo consereretur, nemo dubitaret de bona messe. Sic « segetis certa fides meæ » Horat. III, 16, 30. Hot. ex MSS quibusdam *species*, quod amplectitur Græv. Beck. Schütz. Vulgatam defendunt Gruter. Ernest.

XIX. 1. Sic Priscian. p. 765. Alii, *locuplete* J. V. L.

2. *Ne spem quidem*. Quæ, amissis rebus omnibus, miseris solet superesse.

3. *Populare*. Te populo gratiosum credes, quasi ejus vectigalia amplificaris, quum dices, etc.

4. *Si quam partem*. Si ex tuis furtis partem aliquam tibi detraheres, quam ad decumas adjungeres.

5. Multi editores inter optimos omittunt *hæc*. Non commode. J. V. L.

tur ab iis palam, quorum in bona liberosque summum imperium potestatemque haberet. Tanta vis erat injuriarum, ut homines quidvis perpeti, quam non de istius pravitate et injuriis deplorare et conqueri mallent. Quas literas quum ad omnes civitates prope suppliciter misisset Metellus; tamen antiquum modum sationis nulla ex parte assequi[4] potuit: diffugerant enim permulti, id quod ostendam; non solum arationes, sed etiam sedes suas patrias, istius injuriis exagitati, reliquerant.

Non mehercule criminis augendi causa dicam, judices; sed, quem accepi ipse oculis animoque sensum, hunc vere apud vos, et, ut potero, planissime exponam. Nam, quum quadriennio post[5] in Siciliam venissem, sic mihi affecta visa est, ut hæ terræ solent, in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc, ac desertos videbam, ut ager ipse cultorem desiderare, ac lugere dominum videretur. Herbitensis ager[6], Ennensis, Morgantinus[7], Assorinus, Imacharensis[8], Agyrinensis, ita relictus erat ex maxima parte, ut non solum jugerum[9], sed etiam dominorum multitudinem quæreremus. Ætnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, et, quod caput est rei frumentariæ, cam-

arte commonet, hominem tam communi odio flagrantem non posse eorum sententiis absolvi.

4. *Assequi.* Nulla ex parte efficere, ut tantum agri sereretur, quantum antea seri solebat, quia fugerant aratores. Infra 51.

5. *Post.* Postquam in ea quæstor fueram. — *Venissem.* In Verrem inquirendi causa.

6. *Herbitensis ager.* Satis dictum esse videri poterat, quod jam dixit orator; sed quo hujus solitudinis gravitas plenius constet, jam præcipuos fertilitate agros recenset, qui novum pondus ipsius querelis adjiciant.

7. Alii, *Murgentinus.* J. V. L.

8. Alii, *Macharensis.* De his conf. Ind. Hist.

9. *Jugerum.* Quæ, quia arabantur antea, optime erant distincta, nunc vero inculta et confusa jacent.

pus Leontinus, cujus antea spes [10] hæc erat, ut, quum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vererere, sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus. Labefactarat enim vehementer aratores jam superior annus; proximus vero funditus everterat.

XIX. Tu mihi etiam audes mentionem facere decumarum! tu in tanta improbitate, tu in tanta acerbitate, in tot et tantis injuriis, quum in arationibus, et in earum rerum jure provincia Sicilia consistat, eversis funditus aratoribus, relictis agris, quum in provincia tam locupleti [1] ac referta, non modo rem, sed ne spem quidem [2] ullam reliquam cuiquam feceris, aliquid te populare [3] putabis habere, quum dices, te pluris, quam ceteros, decumas vendidisse? Quasi vero aut populus romanus hoc voluerit, aut senatus hoc tibi mandaverit, ut, quum omnes aratorum fortunas decumarum nomine eriperes, in posterum fructu illo commodoque rei frumentariæ populum romanum privares; deinde, si quam partem [4] tuæ prædæ ad summam decumarum addidisses, bene de populo romano meritus viderere.

Atque hæc [5] perinde loquor, quasi in eo sit iniquitas ejus reprehendenda, quod propter gloriæ cu-

10. *Spes.* Tanta erat fiducia agri illius, tam certum habebatur, propter famam fecunditatis, messem bonam fore ut, si modo consereretur, nemo dubitaret de bona messe. Sic « segetis certa fides meæ » Horat. III, 16, 30. Hot. ex MSS quibusdam *species*, quod amplectitur Græv. Beck. Schütz. Vulgatam defendunt Gruter. Ernest.

XIX. 1. Sic Priscian. p. 765. Alii, *locuplete* J. V. L.

2. *Ne spem quidem.* Quæ, amissis rebus omnibus, miseris solet superesse.

3. *Populare.* Te populo gratiosum credes, quasi ejus vectigalia amplificaris, quum dices, etc.

4. *Si quam partem.* Si ex tuis furtis partem aliquam tibi detraheres, quam ad decumas adjungeres.

5. Multi editores inter optimos omittunt *hæc*. Non commode. J. V. L.

piditatem, ut aliquos[6] summa decumarum vinceret, acerbiorem legem, duriora edicta interposuerit, omnium superiorum auctoritatem repudiarit. Magno tu decumas vendidisti. Quid, si doceo, te non minus domum tuam avertisse, quam Romam misisse decumarum nomine? quid habet populare ratio tua, quum ex provincia populi romani æquam partem tu tibi sumpseris, atque populo romano miseris? Quid, si duabus partibus doceo te amplius frumenti abstulisse, quam populo romano misisse? tamenne putamus patronum tuum in hoc crimine cerviculam jactaturum[7], et populo se ac coronæ[8] daturum? Hæc vos antea, judices, audistis; verum fortasse ita audistis, ut auctorem rumorem[9] haberetis, sermonemque omnium: cognoscite nunc, innumerabilem pecuniam frumentario nomine ereptam; ut simul[10] illam quoque ejus vocem improbam agnoscatis, qui se uno quæstu decumarum omnia sua pericula redempturum esse dicebat.

XX. Audimus hoc jamdiu, judices: nego quem-

6. *Ut aliquos.* Ut pluris, quam ceteri prætores, decumas venderet.

7. *Cerviculam jactaturum.* Caput molliter inflexurum in hunc et illum humerum. Illud est quod Orat. 18, « mollitiam cervicum » appellat. In Hortensio autem gestum et actionem sæpius fuisse reprehensa Gellius et Quintilianus passim testantur.

8. *Coronæ daturum.* Ad captandos coronæ, i. e. multitudinis oratorem circumstantis plausus, orationem accommodaturum. Oratores enim, si quid populare dicerent in quo triumphare eorum oratio posset, convertere se et applicare ad circumfusam populi multitudinem solebant, quo ab iis melius oratio accipi et intelligi posset. Similiter dixit pro Flacco, c. 28: « a judicibus oratio avertitur, vox in coronam turbamque effunditur ». Sic optime explicant Lamb. J. Lips. Græv. Ernest. Garat. Schütz. Olim legebatur « ad coronam », de quo inepta dixit Hotom.

9. *Auctorem rumorem.* Sic de Off. I, « nihil præter auditum habere ».

10. *Ut simul.* Ut agnoscatis istum non minus vere quam improbe dixisse, si quando in judicium vocaretur, se satis grandem pecuniam habere ex uno illo decumarum quæstu, ut judices corrumperet, et damnationis periculum evaderet. Hoc in loco falsus est, opinor, gallicus interpres.

quam esse vestrum, quin sæpe audierit, socios istius fuisse decumanos. Nihil aliud arbitror in istum falso esse dictum ab iis, qui male de isto existimarint, nisi hoc. Nam socii putandi sunt, quos inter res communicata est. Ego rem totam, fortunasque aratorum omnes, istius fuisse dico : Apronium, Veneriosque[1] servos, quod isto prætore fuit novum genus publicanorum, ceterosque decumanos, procuratores istius quæstus et ministros[2] rapinarum fuisse dico. Quo modo hoc doces? quo modo[3] ex locatione illa columnarum docui istum esse prædatum; opinor, ex eo maxime, quod iniquam legem novamque dixisset. Quis enim umquam conatus est jura omnia[4], et consuetudinem omnium commutare cum vituperatione, sine quæstu? Pergam, atque insequar longius. Iniqua lege vendebas, quo pluris venderes. Cur, jam addictis et[5] venditis decumis, quum jam ad summam decumarum nihil, ad tuum quæstum multum posset accedere, subito atque ex tempore nova nascebantur edicta? nam ut vadimonium decumano, quocumque is vellet, promitteretur; ut ex area, nisi pactus esset, arator ne tolleret; ut ante kalend. sext. decumas deportatas haberet[6] : hæc omnia, venditis[7] decumis,

XX. 1. *Venerios*. Hoc nomine Veneris templorum ministri appellabantur. De his sæpius jam sumus loquuti ad Divin. cap. 17.

2. Beck. e lib. Nanniano, *administros* J. V. L.

3. Aliis magis placet iterata interrogatio, *quo modo... esse prædatam?* J. V. L.—*Quo modo hoc doces?* Dicet aliquis. Eodem modo, reponit Cicero, quo docui in locandis Castoris templi columnis eum prædatum. Verr. I, 54. Nempe nemo gratis est improbus.

4. Gulielm. conj. *jura communia*. J. V. L.

5. Edd. pr. omittunt *addictis et*. J. V. L.

6. *Haberet*. Sic Ernest. Olim « haberent », scil. ii qui decumas debebant. Quorsum vulgatam mutavit? Scriptores autem veteres a plurali sæpius ad singularem numerum crebro transire multis probatur.

7. Hotom. ex vett. codd. « jam venditis ». Lamb. Græv. Lallem. transposuere « venditis jam ».

anno tertio te edixisse dico. Quæ si reipublicæ causa faceres, in vendundo essent pronuntiata; quia tua causa faciebas, quod erat imprudentia prætermissum, id quæstu ac tempore admonitus reprehendisti[8]. Illud vero cui probari potest? te sine tuo quæstu, ac maximo quæstu, tantam tuam infamiam, tantum capitis tui fortunarumque periculum neglexisse; ut, quum totius Siciliæ quotidie gemitus querimoniasque audires; quum, ut ipse dixisti, reum te fore putares; quum hujusce judicii discrimen ab opinione tua non abhorreret : paterere tamen aratores indignissimis injuriis vexari ac diripi? Profecto, quamquam es singulari crudelitate et audacia, tamen abs te totam alienari provinciam, tot homines honestissimos[9] tibi inimicissimos fieri nolles, nisi hanc rationem, et cogitationem salutis tuæ, pecuniæ cupiditas, ac præsens illa præda superaret.

Etenim, quoniam summam et numerum injuriarum, judices, vobis non possum exponere; singillatim autem de uniuscujusque incommodo dicere infinitum est : genera ipsa injuriarum, quæso, cognoscite.

XXI. Nympho est Centuripinus, homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. Is quum arationes magnas conductas[1] haberet (quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueverunt), easque magna impensa, magno instrumento tueretur[2] : tanta ab isto iniquitate oppressus est, ut non modo arationes relinqueret, sed etiam ex Sicilia profugeret, Romamque una cum

8. *Reprehendisti.* Quasi hoc a te fugisset. Eleganter a fugitivis servis translatum. Sic apud Ter. «retraham fugitivum argentum».

9. Olim *hon. ac locupletissimos.* Nullus autem cod. habet, monente adversus Gruterum Grævio.

XXI. 1. *Conductas.* Quum multos agros colendos suscepisset.

2. *Tueretur.* Magno sumptu et iis

multis ab isto ejectis veniret. Fecit[3] ut decumanus Nymphonem negaret, ex edicto illo præclaro, quod nullam ad aliam rem, nisi ad hujusmodi quæstus pertinebat, numerum jugerum professum esse. Nympho quum se vellet æquo judicio[4] defendere, iste viros optimos recuperatores dat, eumdem illum medicum Cornelium[5] (is est Artemidorus Pergæus, qui in sua patria dux isti quondam et magister ad despoliandum[6] Dianæ templum fuit), et aruspicem Volusianum, et Valerium præconem. Nympho, antequam plane constitit[7], condemnatur. Quanti? fortasse quæritis. Nulla erat edicti pœna certa. Frumenti[8] ejus omnis, quod in areis esset. Sic Apronius decumanus, non decumam debitam, non frumentum remotum atque celatum, sed tritici septem millia medimnum ex Nymphonis arationibus, edicti pœna, non redemptionis aliquo jure tollit.

XXII. Xenonis Meneni[1], nobilissimi hominis, uxoris fundus erat colono locatus: colonus, quod decumanorum injurias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem judicium dabat illud suum damnatorium[2] de jugerum professione. Xeno ad se pertinere negabat: fundum elocatum esse dicebat. Dabat

omnibus quibus colligendi, conservandi sunt fructus ornavisset (gall. *faire valoir*).

3. *Fecit.* Curavit Verres ut Apronius contenderet Nymphonem quot araret jugera, non declarasse.

4. *Æquo judicio.* Siculorum legibus constituto. Vid. sup. II, 13.

5. *Cornelium.* Patroni sui nomen ille sumpserat a Cornelio Verre in libertatem vindicatus. Cf. inf. 28. Non ex Pergamo, Minoris Asiæ urbe, sed Perga, Pamphyliæ oppido, oriundus erat, ut apparet supra, I, 20. Itaque Man. Grut. Lamb. Desj. Sch. emendant, ut recepimus, loco « Pergamenus ».

6. Malit Ernest. *dispoliandum*, atque infra, IV, 20, *dispoliaretur*. J.V.L.

7. *Constitit.* Planum factum est, an nocens esset, nec revera jugerum numerum professus.

8. *Frumenti.* Subintellige, *condemnatur*, quod sup. exposuit scriptor.

XXII. 1. *Meneni.* Ab urbe Menis, græce Μεναί. Xenon fundum qui ad uxorem pertinebat, colono locaverat.

2. *Damnatorium.* Quo necesse erat aratorem damnari, et involvi.

iste judicium[3], SI PARERET, jugera ejus fundi esse plura, quam colonus esset professus, tum uti Xeno damnaretur. Dicebat ille, non modo non arasse se, id quod satis erat[4], sed nec dominum ejus esse fundi, nec locatorem; uxoris esse[5]; eam ipsam suum negotium gerere; ipsam locavisse. Defendebat Xenonem homo summo splendore, et summa auctoritate præditus, M. Cossetius. Iste nihilominus[6] judicium H-S LXXX millium dabat. Ille tametsi recuperatores de cohorte latronum sibi parari videbat; tamen judicium accepturum se esse dicebat. Tum iste magna voce Veneriis[7] imperat, ut Xeno audiret : Dum res judicetur, hominem ut asservent; quum judicatum sit, ad se adducant; et illud simul dixit : Se non putare, illum, si, propter divitias, pœnas damnationis contemneret, etiam virgas contemnere. Hac ille vi et hoc metu adductus, tantum decumanis, quantum iste imperavit, exsolvit.

XXIII. Polemarchus est Morgantinus, vir bonus atque honestus. Is, quum pro jugeribus quinquaginta medimna IↃCC[1] decumæ imperarentur, quod recusabat, domum ad istum in jus[2] deductus est; et, quum

3. *Dabat iste judicium*. Verres jubebat eam rem coram suis judicibus disceptari, cum ea formula, si appareret, etc.

4. *Satis erat*. Sufficiebat ut absolveretur. Hotom. in vett. legit « in satis erat ». Hunc sequuti sunt P. Manut. et Desjard. non necessario.

5. Vict. Man. Lamb. *uxorem esse*.

6. *Iste nihilominus*. Dabat Verres judices seu recuperatores, qui eum sestertium octoginta millium (16,400 fr.) condemnarent.

7. *Veneriis*. Apparitoribus suis. — *Ut Xeno audiret*. Et minis istis terreretur. Sic Ovid. lib. II Amorum : « Risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido. » — Alii habent « Xenon ».

XXIII. 1. *Medimna* IↃCC. Id est, septingenta. Quum e quinquaginta jugeribus ad summum emeti possent quingenta medimna, quorum decumæ fuissent quinquaginta medimna, incredibile videri posset Verrem pro decumis IↃCC medimna imperasse, nisi etiam postea disertis verbis narraretur, eum tribus aliis plus frumenti decumarum nomine imperasse, quam quantum exararant. SCHUTZ.

2. *In jus*. Uncinis inclusit Ernest. quia domum non veniatur in jus, sed

iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est, quod, nisi mulieri et decumano, patebat alii nemini[3]. Ibi, quum pugnis et calcibus conscissus[4] esset, qui ꟾↃCC medimnis decidere noluisset, mille promisit.

Eubulides est Grosphus, Centuripinus, homo quum virtute et nobilitate domi suæ, tum etiam pecunia princeps. Huic homini, judices, honestissimæ civitatis honestissimo, non modo frumenti scitote, sed etiam vitæ et sanguinis tantum relictum esse, quantum Apronii libido tulit: nam vi, malo, plagis adductus est, ut frumenti daret, non quantum haberet, sed quantum cogeretur.

Sostratus, et Numenius, et Nymphodorus ejusdem civitatis, quum ex agris tres fratres consortes[5] profugissent, quod iis plus frumenti imperabatur, quam quantum exararant; hominibus coactis[6], in eorum arationes Apronius venit, omne instrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus abegit. Postea quum ad eum Nymphodorus venisset Ætnam, et oraret, ut sibi sua restituerentur, hominem corripi ac suspendi jussit in oleastro quodam: quæ est arbor, judices, in foro. Tamdiu pependit in arbore socius amicusque populi romani, in sociorum urbe ac foro, colonus aratorque vester, quamdiu voluntas Apronii tulit.

Genera jamdudum innumerabilium injuriarum, judices, singulis nominibus profero: infinitam multitudinem injuriarum prætermitto. Vos ante oculos animosque vestros, tota Sicilia, decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, hujus importunita-

in forum ad tribunal. Sed h. l. id additur per Verris irrisionem, qui tribunal in cubiculo haberet. — *Eductus est* in MSS. Pall. Nann. Sic etiam occurrit Verr. II, 20; III, 47.

3. Olim, *nemini aliis*. J. V. L.

4. *Concisus* Naug. Man. Gronov.

5. *Consortes*. Nempe coheredes, nondum divisa hereditate, atque adeo in eadem commorantes societate.

6. *Coactis*. Collectis ad diripienda ista bona. — *Exactis* Hotom. Manut.

tem, Apronii regnum proponite. Contempsit Siculos; non duxit homines; nec ipsos ad persequendum vehementes fore, et vos eorum injurias leviter laturos existimavit.

XXIV. Esto; falsam de illis habuit opinionem, malam de vobis: verumtamen quum de Siculis male mereretur, cives romanos coluit, his indulsit, eorum voluntati et gratiæ deditus fuit. Iste cives romanos? At nullus [1] inimicior aut infestior fuit. Mitto vincla [2], mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures; crucem denique illam prætermitto, quam iste civibus romanis testem humanitatis in eos ac benivolentiæ suæ voluit esse; mitto, inquam, hæc omnia, atque in aliud dicendi tempus rejicio: de decumis, de civium romanorum conditione in arationibus disputo; qui quemadmodum essent accepti, judices, audistis ex ipsis. Bona sibi erepta esse dixere. Verum hæc [3], quoniam ejusmodi causa fuit, ferenda sunt: nihil valuisse æquitatem, nihil consuetudinem; damna denique, judices, nulla tanta sunt, quæ non viri fortes, magno et libero animo affecti, ferenda arbitrentur. Quid, si equitibus romanis non obscuris, neque ignotis, sed honestis et illustribus [4], manus ab Apronio, isto prætore, sine ulla dubitatione afferebantur? quid exspectatis? quid a me amplius dicendum pu-

XXIV. 1. Lectio Ernestiana, *nullis*, est ab Hotomanno. Grævius, Olivet. Lallem. veterem lectionem revocant; quos nunc sequimur. J. V. L.

2. *Mitto vincla*. Præteritione recenset Verris in romanos cives facinora, quæ fusius Verr. V explicabit.

3. *Verum hæc*. Sed illa toleranda putaverunt, quoniam ejusmodi causa fuit, i. e. reip. utilitas postulavit; quo, ut supra vidimus, Verres prætextu utebatur. — Olim erat « hujusmodi casus affuit ».

4. *Illustribus*. Sic appellabantur qui non quidem senatores erant, sed censum habebant et spem senatoriæ dignitatis, cum ordinis ejus insigni, seu lato clavo, quique in senatu jus sententiæ habebant. Hujus tituli inventionem Lipsius ad Tacit. Ann. II,

tatis? An id agendum[5], ut eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus, id quod ego illi jam in Sicilia pollicitus sum, pervenire[6]? qui C. Matrinium, judices, summa virtute hominem, summa industria, summa gratia, Leontinis, in publico, biduum tenuit. Atque[7] ab Apronio, judices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educto, ad Verris flagitia libidinesque accommodato, equitem romanum scitote biduum cibo tectoque prohibitum; biduum Leontinis, in foro, custodiis Apronii retentum atque servatum, neque ante dimissum, quam ad conditiones ejus depactus est[8].

XXV. Nam quid ego de Q. Lollio, judices, dicam, equite romano spectato atque honesto? Clara res est, quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima atque notissima: qui quum araret in Ætnensi, quumque is ager Apronio cum ceteris agris esset traditus; equestri vetere illa et auctoritate et gratia fretus, affirmavit, se decumanis, plus quam deberet, non daturum. Refertur ejus sermo ad Apronium. Enimvero iste ridere, ac mirari, Lollium nihil de Matrinio,

4, refert ad Augustum. Male. Confer T. Liv. XXX, 16; A. Gell. II, 18.

5. *An id agendum*. An eo celerius de Verre transigere debemus, ego accusando, vos, judices, condemnando, quo maturius ad Apronium majestatis accusandum, qui equitibus rom. manus attulit, perveniamus. Sic explicat Manut. et Desjard. Multus est autem Ferratius ut demonstret, a Cicerone non delatum iri Apronii nomen, quum de accusando ipso prætore tot modis se excusarit, ab hac enim re Ciceronis animum ac dignitatem prorsus abhorrere. Sic etiam Garaton. Schütz. Sensus ergo est: Nonne res est mihi hæc agenda potissimum, ut quo maturius tam inaudita exponere de Apronio possim, eo celerius de Verre transigam, id est, demonstrationem criminis in eum propositi absolvam, nimirum ex cap. 16 et 19: *Pecunias eum frumentario nomine cepisse maximas*. Apronium autem hoc ipso judicio periclitantem patet, ex cap. 25, tamquam ex cohorte Verris administrum, per quem furatus est Verres.

6. *Pervenire*. Ita codd. Manut. Vulgo olim *venire*. J. V. L.

7. *Atque*. Gruteriani codices, et regius optimus, *Atqui*. J. V. L.

8. Mallet Ernest. *esset*. J. V. L.

nihil de ceteris rebus[1] audisse. Mittit ad hominem Venerios: hoc quoque attendite, apparitores a prætore assignatos habuisse decumanum; si hoc[2] mediocre argumentum videri potest, istum decumanorum nomine ad suos quæstus esse abusum. Adducitur a Veneriis, atque adeo attrahitur Lollius, commodum[3] quum Apronius e palæstra redisset, et in triclinio, quod in foro Ætnæ straverat, decubuisset[4]. Statuitur Lollius in illo tempestivo[5] gladiatorum convivio. Non mehercule, quæ loquor, crederem, judices, tametsi vulgo audieram, nisi mecum ipse senex, quum mihi atque huic voluntati accusationis meæ lacrymans gratias ageret, summa cum auctoritate esset loquutus. Statuitur, ut dico, eques romanus, prope annos xc natus, in Apronii convivio, quum interea Apronius caput atque os suum unguento perfricaret. Quid est, Lolli? inquit: tu, nisi malo coactus, recte facere nescis? Homo quid ageret; taceret, responderet; quid faceret denique, illa auctoritate et ætate præditus, nesciebat. Apronius interea cœnam ac pocula poscebat. Servi autem ejus, qui et moribus iisdem essent, quibus dominus, et eodem genere[6] ac loco nati, præter oculos[7] Lollii hæc omnia ferebant. Ridere convivæ; cachinnari ipse Apronius: nisi forte

XXV. 1. *Rebus.* Lallem. vocem hanc suspectam habet. J. V. L.

2. *Si hoc.* Neque enim apparitores decumano, nisi a prætore jussi, paruissent; non jubebat autem prætor nisi quæstus sui gratia.

3. Vulg. *commode.* Schütz. rescripsit *commodum.* Verissime. J. V. L.

4. Lambin. *recubuisset.* Garaton. vulgat. defendebat, ita ut moneret, legi etiam posse, *discubuisset.* J. V. L.

5. *Tempestivo.* Illud erat convivium, quod inibant de die ante horam legitimam, i. e. nonam. Semper in malam partem usurpatur.—*Gladiatores* autem hic sunt homines perditi, scelerati, audaces, quibus aratores aliosque vexabat. Sic sæpius vocem in Quintiana oratione usurpari adnotavimus.

6. *Eodem genere.* Apronius ille Veneris fuerat servus, ut infra vocat.

7. *Præter oculos.* Ante oculos.

existimatis, eum in vino ac luxu non risisse, qui nunc in periculo atque exitio suo risum tenere non possit. Ne multa, judices : his contumeliis scitote Q. Lollium coactum, ad Apronii leges conditionesque venisse. Lollius, ætate et morbo impeditus, ad testimonium dicendum venire non potuit. Quid opus est Lollio? nemo hoc nescit; nemo tuorum amicorum, nemo abs te productus, nemo interrogatus, nunc se primum hoc dicet audire. M. Lollius, ejus filius, adolescens lectissimus, præsto est: hujus verba audietis. Nam Q. Lollius ejus filius, qui Calidium accusavit, adolescens et bonus, et fortis, et in primis disertus, quum his injuriis contumeliisque commotus in Siciliam esset profectus, in itinere occisus est : cujus mortis causam fugitivi[8] sustinent; re quidem vera nemo in Sicilia dubitat, quin eo sit occisus, quod habere clausa non potuerit sua consilia de Verre. Iste porro non dubitabat, quin is, qui antea alium studio adductus[9] accusasset, sibi advenienti præsto esset futurus, quum esset parentis injuriis et domestico dolore commotus.

XXVI. Jamne intelligitis, judices, quæ pestis, quæ immanitas in vestra antiquissima, fidelissima, proximaque provincia versata sit? Jam videtis, quam ob causam Sicilia, tot hominum antea furta, rapinas, iniquitates, ignominiasque perpessa, non potuerit hoc novum, ac singulare, atque incredibile genus injuriarum contumeliarumque perferre? Jam omnes intelligunt, cur universa provincia defensorem suæ salutis eum quæsivit[1], cujus iste fidei, diligentiæ,

8. *Fugitivi*. Servorum reliquiæ qui, duce Athenione, rebellaverant, hujus cædis accusationem sustinent.

9. *St. add.* Uno publici boni studio, nulla sua privata injuria compulsus.

XXVI. 1. Omnino cum Herelio corrigendum arbitror, « quæsiverit ». J. V. L.

perseverantiæ, nulla ratione eripi posset[2]. Tot judiciis interfuistis; tot homines nocentes et improbos accusatos, et vestra et superiorum memoria, scitis esse: ecquem vidistis, ecquem audistis, in tantis furtis, in tam apertis, in tanta audacia[3], tanta impudentia esse versatum? Apronius stipatores Venerios secum habebat; ducebat eos circum civitates; publice sibi convivia parari, sterni triclinia, et in foro sterni jubebat; eo vocari[4] homines honestissimos, non solum Siculos, sed etiam equites romanos: ut, quicum inire convivium nemo umquam, nisi turpis impurusque, voluisset, ad ejus convivium spectatissimi atque honestissimi viri tenerentur. Hæc tu, omnium mortalium profligatissime ac perditissime, quum scires, quum audires quotidie, quum videres: si sine tuo maximo quæstu fierent, cum tanto periculo tuo fieri paterere atque concederes? et tantum apud te quæstus Apronii, tantum ejus sermo inquinatissimus, et blanditiæ[5] flagitiosæ valuerunt, ut numquam[6] animum tuum cura tuarum fortunarum cogitatioque tangeret?

Cernitis, judices, quod et quantum incendium decumanorum impetu non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorum; neque solum per bona, sed etiam per jura libertatis et civitatis, isto

2. Emendatio est Ernestii. Vulgo « possit ». J. V. L.

3. Schütz. præpositionem delevit, sensu satis bono. J. V. L.

4. Sch. recepit lectionem aliquot MSS, « evocari ». Alii habent, « eo convocari ». J. V. L. — Fallitur omnino Grævius, qui ad cœnam invitatos honestissimos homines credebat; quum huc vi et quasi in jus traherentur. Vid. sup. 25. Et satis explicat ipsa vox « ad convivium »; qua nempe significatur eos non Apronii epulis accumbere, verum inter Veneriorum manus prope mensam stare.

5. *Blanditiæ*. Quæ feminis tantum et meretricibus conveniunt, inquit Asconius.

6. *Ut numquam*. Ita ut numquam tibi in mentem veniret, tempus fore, quum abs te harum rerum ratio reposceretur.

prætore, pervaserit: videtis pendere alios [7] ex arbore; pulsari autem alios et verberari; porro alios in publico custodiri; destitui alios in convivio; condemnari alios a medico et præcone prætoris; bona tamen interea nihilominus eorum omnium ex agris auferri ac diripi. Quid est hoc? populi romani imperium [8]? populi romani leges? judicia? socii fideles? provincia suburbana? Nonne omnia potius ejusmodi sunt, quæ, si Athenio vicisset [9], in Sicilia non fecisset? Non, inquam, judices, esset ullam partem istius nequitiæ fugitivorum insolentia consequuta.

XXVII. Privatim hoc modo: quid? publice civitates quemadmodum tractatæ sunt? audistis permulta indicia et testimonia civitatum, et reliquarum audietis. Ac primum de Agyrinensi populo, fideli et illustri, breviter cognoscite. Agyrinensis est in primis honesta civitas Siciliæ, hominum ante hunc prætorem locupletium summorumque aratorum. Ejus agri decumas quum emisset [1] idem Apronius, Agyrium venit. Qui quum eo cum apparitoribus, id est, cum minis ac vi venisset, poscere pecuniam grandem cœpit, ut, accepto lucro [2], discederet: nolle se negotii quidquam habere dicebat, sed, accepta pecunia, quam primum

7. *Pendere alios.* Supra cap. 23. *Custodiri.* Cap. 24. *Destitui.* Lollium intelligit, 25. *Condemnari.* Cap. 21.

8. *Imperium.* Anne est hoc imperium populi romani? Siccine leges et judicia servantur? Sic tractantur socii fideles, provincia vicina et quasi suburbana?

9. *Si Athenio vicisset.* Addit post hæc tria verba liber Nannianus, « rex fugitivorum ». Quod glossema imprudentior Lambinus admisit. J. V. L.

XXVII. 1. *Quum emisset.* Verres agrorum decumas pluris licitantibus vendebat. Emere quamplurimo solebat Apronius, quod quantum vellet, ab aratoribus vi, aut minis auferret.

2. *Accepto lucro.* Loco decumarum ab eis pecuniæ summam grandem petivit, ut inde lucratus in aliam urbem pergeret. Lucrum, ut infra constabit, pecuniæ erat summa, quam Apronius quasi additamentum exigebat. Gall. *pot-de-vin.* Duo ergo exigebat: primum pecuniam, cujus maximam partem Verri daret, deinde sibi ipsi lucrum.

aliam civitatem occurrere[3]. Sunt omnes Siculi non contemnendi, si per nostros magistratus liceat; sed homines et satis fortes, et satis plane[4] frugi ac sobrii : et in primis hæc civitas, de qua loquor, judices. Itaque homini in primis improbissimo respondent Agyrinenses, sese decumas ei, quemadmodum deberent, daturos; lucrum, quum ille magno[5] præsertim emisset, non addituros. Apronius certiorem facit istum, cuja res erat[6], quid rei esset.

XXVIII. Statim, tamquam conjuratio aliqua Agyrii contra rempublicam facta, aut legatus prætoris pulsatus esset, ita Agyrio magistratus, et quinqueprimi[1], accitu istius evocantur. Veniunt Syracusas. Præsto est Apronius: ait, eos ipsos, qui venissent, contra edictum prætoris fecisse. Quærebant, quid? respondebat, se ad recuperatores[2] esse dicturum. Iste, æquissimus homo, formidinem[3] illam suam miseris Agyrinensibus injiciebat : recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses, viri fortissimi, judicium se passuros esse dicebant. Ingerebat iste

3. *Occurrere.* Hotom. censet legendum « accurrere », aut si vulgata servetur, eodem sensu esse quo Græcis καταντᾶν, i. e. devenire. Defendit Græv. ex hoc Suetoniano : « occurrere ad vadimonium », i. e. præsto esse ad vadimonium. Sed reponit Desjardins, quod dicatur occurrere ad vadimonium, non ideo sequi recte dici « occurrere civitatem ». Itaque in Hotom. conjecturam inclinat, sed addita etiam præp. *ad.* Quam omnino addendam censet, vel servata vulgata. Herel. « obruere » conjicit.

4. Displicet Ernestio « plane », vix consentiens verbo « satis ». Sed forte ipsum « satis » potius delendum. J. V. L. — Cur vero non eodem dicatur sensu, quo « satis multus » quo in Div. « non satis », i. e. minime ?

5. *Quum ille mag.* Quum præsertim jam pro decumis magna pecuniæ vis esset pendenda.

6. *Cuja res erat.* Verrem, ad quem ex ea re fructus perveniebant.

XXVIII. 1. *Quinqueprimi.* Sic appellabantur qui principem in senatu urbis suæ locum habebant, et quorum erat maxima dignitas. Sic pro Rosc. Am. cap. 9 de decemprimis diximus.

2. *Ad recuperatores.* Id est, quum staret coram recuperatoribus, seu in judicio præsto esset.

3. *Formidinem.* Quo recuperato-

Artemidorum[4] Cornelium medicum, Valerium præconem, Tlepolemum pictorem, et ejusmodi recuperatores; quorum civis romanus nemo erat; sed Græci sacrilegi, jam pridem improbi, repente Cornelii[5]. Videbant Agyrinenses, quidquid ad eos recuperatores Apronius attulisset, illum perfacile probaturum: condemnari cum istius invidia infamiaque malebant, quam ad ejus conditiones pactionesque accedere. Quærebant, quæ in verba[6] recuperatores daret. Respondebat, SI PARERET, ADVERSUS EDICTUM FECISSE, quæ[7] in judicio dicturum esse dicebat. Iniquissimis verbis, improbissimis recuperatoribus, conflictari malebant, quam quidquam cum isto sua voluntate decidere. Summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, ut transigerent. Pernegabant. — Quid ergo? in singulos H-S quinquagenis millibus[8] damnari mavultis? — Malle dicebant. Tum iste clare, omnibus audientibus, « Qui damnatus erit, inquit, virgis ad

rum nomine ad terrendos aratores, et ad eos ad quascumque vellet conditiones adducendos Verres utebatur.

4. Priscæ edd. « Artemidorum medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum », omissis ceteris. Sola forte vox, « Artemidorum », ex alicujus interpretatione defluxit. J. V. L.

5. *Cornelii*. A Verris nomine, cujus beneficio cives rom. repente erant facti. Sic Manut. Græv. Contradicit Desjardins non a Verre, quem non Corneliæ gentis fuisse contendit, sed a Sulla sic appellatos, qui victor decem circiter annis antea proscriptorum servos, amplius decem millia, cives romanos esse jussit et Corneliorum nomine appellari voluit.

6. *Quæ in verba*. Quam judicandi formulam recuperatoribus præscriberet. Verres respondebat se daturum hanc formulam: Si pareret aratores fecisse, contra edictum prætoris, ea, quæ Apronius se in judicio dicturum esse dicebat, uti eosdem aratores recuperatores condemnarent. Iniquitas porro erat maxima, ita formulam dare, ut rei ipsa adversarii libidine damnarentur, quamvis nescirent quidnam in edictum peccassent, actor autem quidquid vellet, posset expromere.

7. Alii addunt *se*. Frustra hæc suspecta Ernestio. Nempe sicut antea quum aratores quæsivissent, quid contra prætoris edictum fecisse dicerentur, Apronius responderat, se ante recuperatores esse dicturum, sic Verres eadem respondebat.

8. *Quinquagenis millibus*. Circiter 10,250 fr.

necem cædetur ». Hic illi flentes rogare atque orare cœperunt, ut sibi suas segetes, fructusque omnes, arationesque vacuas[9] Apronio tradere liceret, ut ipsi sine ignominia molestiaque discederent.

Hac lege, judices, decumas vendidit Verres. Dicat licet Hortensius, si volet, magno Verrem vendidisse.

XXIX. Hæc conditio fuit, isto prætore, aratorum, ut secum præclare agi arbitrarentur, si vacuos agros Apronio tradere liceret: multas enim cruces propositas effugere cupiebant. Quantum Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum erat. — Etiamne[1] si plus edidisset, quam quantum natum esset? — Etiam. — Quomodo? — Magistratus ex ipsius edicto exigere debebant. — At arator repetere poterat. — Verum Artemidoro recuperatore. — Quid, si minus arator dedisset, quam poposcisset Apronius? — Judicium in aratorem in quadruplum. — Ex quo judicum numero? — Ex cohorte prætoris præclara hominum honestissimorum. — Quid amplius? — Minus te jugerum professum esse dico: recuperatores rejice[2], quod adversum edictum feceris. — Ex quo numero? — Ex eadem cohorte. — Quid erit extremum? — Si damnatus eris (nam dubitatio damnationis, illis recuperatoribus, quæ poterat esse?), virgis te ad necem cædi necesse erit. His legibus, his conditionibus, erit quisquam tam stultus, qui decumas venisse[3] arbitretur?

9. *Vacuas.* Agros jam sine possessore. *Ut ipsi.* Dummodo ipsi, etc.

XXIX. 1. *Etiam ne.* Oportebatne dari, si plus postulasset, quam dedisset ager? Nota quam vivide, quam δραματικῶς loquentes hic miseros illos inducat Cicero.

2. *Rejice.* Non intelligebat hæc Grævius, dum corrigebat « recipe ». Vide quæ ad cap. 11 diximus. Confer etiam cap. 59. Quum enim reis liberum esset certum numerum judicum *rejicere*, et hac ipsa rejectione ceteri eligerentur, verbum hoc *rejicere* eodem sæpius sensu est quo « eligere, recipere ».

3. *Venisse.* Qui venditas fuisse tantum decimas partes credat.

qui aratori novem partes reliquas factas esse existimet? qui non intelligat, istum sibi quæstui prædæque habuisse bona, possessiones, fortunas aratorum?

XXX. Virgarum metu Agyrinenses, quod imperatum esset, facturos se esse dixerunt. Accipite nunc, quid imperarit; et dissimulate vos[1], si potestis, vos intelligere, ipsum prætorem, quod tota Sicilia perspexerit, redemptorem decumarum, atque adeo arationum[2] dominum ac regem fuisse. Imperat Agyrinensibus, ut decumas ipsi publice accipiant[3], Apronio lucrum dent. Si magno emerat, quoniam tu es, qui diligentissime pretium exquisisti[4]; qui, ut ais, magno vendidisti: quare putabas emptori lucrum addi oportere? Esto : putabas. Quamobrem imperabas, ut adderent? Quid est aliud, capere et conciliare pecunias[5], in quo te lex tenet, si hoc non est, vi atque imperio cogere invitos lucrum dare alteri, hoc est, pecuniam dare? Age, quid tum? si Apronio, deliciis prætoris, lucelli aliquid jussi sunt dare, putate Apronio datum, si Apronianum lucellum, ac non prætoria præda vobis videbitur. Imperas, ut decumas accipiant; Apronio dent lucrum, tritici medimnum xxxiii[6]. Quid est hoc? una civitas ex uno agro

XXX. 1. Ernest. uncis inclusit « vos »; Herel. mallet, « dissimulate, quæso ». J. V. L.

2. Edunt sic C. Steph. Græv. al. Veteres edd. « aratorum ». Sed « arationum » rectius convenit verbo « decumarum ». J. V. L.

3. *Accipiant*. Decumas ipsi sibi habeant et solvendas pecunia publica suscipiant, eodem pretio quo redemerat Apronius, ac summæ principali addant, lucri nomine, tria et triginta frumenti millia, quæ pecunia expensa sexcenta sestertium millia (123,000 fr.) dabant.

4. *Exquisisti*. In auctione.

5. *Conciliare pecunias*. Fragmentum legis Serviliæ repetundarum apud Brisson. de Form. II, 24 : ABLATUM. CAPTUM. COACTUM. CONCILIATUM. AVERSUMVE. SIET. Conf. etiam appendicem de jud. publ. ad calc. pr. vol.

6. *Medimnum XXXIII*. Subintellige millia, ut in sestertiis non semel vidimus. — Olim « medimna xxxiv millia ».

plebei[7] romanæ prope[8] menstrua cibaria prætoris imperio donare Apronio cogitur: tu magno decumas vendidisti, quum tantum lucri decumano sit datum? Profecto, si pretium[9] exquisisses diligenter, tum, quum vendebas, x medimnum[10] potius addidissent, quam H-S ıↃc postea. Magna præda videtur: audite reliqua, et diligenter attendite, quo minus miremini, Siculos, re necessaria coactos, auxilium a patronis, a consulibus, a senatu, a legibus, a judiciis petivisse.

XXXI. Ut probaret[1] Apronius hoc triticum, quod ei dabatur[2], imperat Agyrinensibus Verres, ut in medimna singula dentur Apronio H-S III[3]. Quid est hoc? tanto numero frumenti, lucri nomine, imperato et expresso, nummi præterea exigentur, ut probetur frumentum? an poterat non modo Apronius, sed quivis, exercitui si metiundum esset, improbare Siculum fru-

7. Alii, *plebi*. Formam vero illam, *plebei*, non male recepit e MSS Lambinus. Genitivus est, quem indocte mutavit in *plebi* librarius. J. V. L.

8. *Prope*. Bene addit *prope;* ut enim mensis unius cibariis alendæ plebi necessariis sufficeret, plus tertia parte major ille medimnum numerus esse debuerat. Vid. ad calc. hujus orat. Excursum de re frumentaria.

9. *Si pretium*. Si hoc unum in animo vere habuisti ut magno pretio decumas venderes, Agyrinenses, tum quum vendidisti, vel decem millia medimnum addendo decumas suas redemissent, potius quam tria et triginta millia medimnûm, pecunia penderent quæ sexcenta sestertium millia, 123,000 fr. efficiunt. Revera si medimna illa in modios resolveris, modiorum erunt 198 millia (nam medimnum sex modios capit). Quibus singulis si ternos sestertios attribueris, quod pretium decumano frumento erat constitutum, provenient 594 millia sestertium; quibus si millia sex addideris, forsan quod paullo pluris æstimatum fuit frumentum, totam summam invenies.

10. Omnino sic legendum, præeunte Hotom. et Grævio. Vulg. x *medimna*. J. V. L.

XXXI. 1. *Probaret*. Experiretur, experimento capto cognosceret, inspiceret num esset bonum. Sic dicuntur censores *opus locare* et postea *probare*.

2. Tria hæc verba recte Græv. restituit, male Ernest. delevit. Hæc servat regius codex optimus J. V. L.

3. *H-S* III. Sestertii tres, pro inspiciendis medimnis singulis. Falluntur Hotom. et P. Manut. qui tria millia explicant. Medimnus tunc temporis sestertiis quindecim erat; quomodo pro ejus probatione penderentur tria millia? Græv.

mentum, quod isti ex area, si vellet, admetiri licebat? Frumenti tantus numerus imperio tuo datur, et cogitur. Non est satis. Nummi præterea imperantur: dantur. Parum est. Pro decumis hordei alia pecunia cogitur. Jubes H-S xxx[4] lucri dari. Ita ab una civitate, vi, minis, imperio, injuriaque prætoris eripiuntur tritici medimnum xxxiii, et præterea H-S lx[5]. An hæc obscura sunt? aut, si omnes homines velint, obscura esse possunt, quæ tu palam egisti, in conventu imperasti, omnibus inspectantibus coegisti? qua de re Agyrinenses magistratus, et quinqueprimi, quos tu tui[6] quæstus causa evocasti, acta et imperia tua domum ad senatum suum renuntiaverunt; quorum renuntiatio, legibus illorum, literis publicis mandata est: quorum legati, homines nobilissimi, Romæ sunt, qui hoc idem pro testimonio dixerunt.

Cognoscite Agyrinensium publicas literas; deinde testimonium publicum civitatis. Recita literas publicas. Literæ publicæ. Recita testimonium publicum. Testimonium publicum. Animadvertistis in hoc testimonio, judices, Apollodorum, cui Pyragro cognomen est, principem suæ civitatis, lacrymantem testari ac dicere, numquam post populi romani nomen ab Siculis auditum et cognitum, Agyrinenses contra quemquam infimum civem romanum dixisse, aut fecisse quippiam; qui nunc contra prætorem po-

4. *H-S* xxx. Sestertium triginta millia (6,150 fr.).

5. *H-S* lx. Error est in numeris. Tres dabantur sestertii in singula medimna inspicienda, qui, pro ratione xxxiii millium medimnum, conficiunt 99,000 sestert. Jam pro decumis hordei sestert. 30,000 exacta sunt; quæ omnia summatim 129,000 sestertia (26,345 fr.) efficiunt, quæ Apronius ab Agyrinensibus abstulit. Itaque Hot. conjecit H-S cxxix. Sic edidit Lamb. Ita emendandum censent Manut. et Gruter. Recepit Schütz. Hic autem male damnat erroris Hotomannum Grævius, dum ipse in errore versatur.

6. Grut. *tuique*. Lectio scilicet Nanniana; vulgata enim, *quos tui*. J. V. L.

puli romani magnis injuriis, et magno dolore publice testimonium dicere cogerentur. Uni, mehercule, huic civitati[7], Verres, obsistere tua defensione non potes: tanta auctoritas est in eorum hominum fidelitate, tantus dolor in injuria, tanta religio in testimonio. Verum non una te tantum, sed universæ, similibus afflictæ incommodis, legationibus ac testimoniis publicis persequuntur.

XXXII. Etenim deinceps videamus, Herbitensis civitas, honesta, et antea copiosa, quemadmodum spoliata ab isto ac vexata sit. At quorum hominum? summorum aratorum[1], remotissimorum a foro, judiciis, controversiis: quibus parcere et consulere, homo impurissime, et quod genus hominum studiosissime conservare debuisti. Primo anno venierunt ejus agri decumæ tritici medimnum XVIII. Atidius[2], istius item minister in decumis, quum emisset, et præfecti nomine[3] quum venisset Herbitam cum Veneriis, locusque ei publice, quo deverteretur, datus esset; coguntur Herbitenses ei lucri dare tritici medimnum XXXVII, quum decumæ venissent tritici medimnum XVIII. Atque hoc tantum triticum lucri coguntur dare publice, quum jam privatim aratores ex agris, spoliati atque exagitati decumanorum injuriis, profugissent. Anno secundo quum emisset Apronius decumas tritici medimnum XXV millibus, et ipse Herbitam cum illa prædonum copia manuque ve-

7. *Uni huic civitati.* Etiam si hæc una urbs esset, nihil ei respondere posses, atque in hoc tuo propugnaculo, nimirum te magno decumas vendidisse, esses victus.

XXXII. 1. *Summorum aratorum.* Qui uni arationi sunt dediti et intenti.

2. Quidam volunt, *Accensus istius, item m.* J. V. L.

3. *Præfecti nomine.* Scilicet sic appellabantur plures in prætoria cohorte: atque etiam hoc nomine sane ex domesticis unum ornaverat Verres, ut hoc militari titulo et equitum, quos

nisset; populus publice coactus est ei conferre lucri[4] tritici medimnum XXVI, et accessionem H-S[5] CIↃCIↃ. De accessione[6] dubito, an Apronio ipsi data sit, merces operæ, pretiumque impudentiæ. De tritici quidem numero tanto, quis potest dubitare, quin ad istum prædonem frumentarium, sicut Agyrinense frumentum, pervenerit?

XXXIII. Anno vero tertio in hoc agro consuetudine usus est regia. Solere, aiunt, barbaros reges Persarum ac Syrorum[1], plures uxores habere; his autem uxoribus civitates attribuere, hoc modo: Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent universos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administros. Eamdem istius, qui se regem Siculorum esse ducebat, licentiam libidinemque fuisse cognoscite. Æschrionis Syracusani uxor est Pippa : cujus nomen istius nequitia tota Sicilia pervulgatum est; de qua muliere versus plurimi supra tribunal et supra præ-

duceret, metu, a provincialibus pecuniam quam vellet, extorqueret. Sic ad Attic. V, 21 : « Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios (*quibus pecunias crediderat*) coerceret, et eumdem habuerat præfectum : vexabat Salaminios; ego equites ex Cypro decedere jussi ». DESJARD.

4. Ernest. in hoc loco durius putat *lucri*, quod intelligi commode possit. J. V. L.

5. *H-S*, etc. Sestertium duo millia (410 fr.). Errorem suspicatur in numeris Manutius, et reponendum putat CCCIↃↃↃ, i. e. centum millia (20,500 fr.). Sed ipse Manutio Cicero refragatur, qui, cap. 50 : « Jam ipse numerorum faciebat accessiones ad singulas decumas; neque multum; bina aut terna millia addebat ».

6. *De accessione*. Pecunia illa, utpote parva, quasi merces operæ, quam Verri navabat Apronius, et quasi pretium hujus impudentiæ, forsan data est : sed quod ad frumentum attinet, nullo modo dubito quin in prætoris manus venerit, quemadmodum et decumarum pretium et lucrum venit.

XXXIII. 1. *Syrorum*. Intelligendi videntur reges veteris Syriæ, vel Assyriæ, quæ crebro confunduntur. — *Civitates attribuere*. Consule Platonem in Alcibiade priore, ubi etiam ait has civitates ex singulis mulierum quibus attribuebantur, ornamentis appellatas : sic aliam ab incolis ζώνην τῆς βασιλέως γυναικὸς, i. e. reginæ zonam, aliam

toris caput scribebantur. Hic Æschrio, Pippæ vir adumbratus[2], in Herbitensibus decumis novus instituitur publicanus. Herbitenses quum viderent, si ad Æschrionem pretium redisset[3], se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatum iri, liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. Supra adjecit Æschrio : neque enim metuebat, ne, prætore Verre, decumana mulier damno affici posset. Addicitur medimnum xxxv millibus, dimidio fere[4] pluris quam superiore anno. Aratores funditus evertebantur; et eo magis, quod jam superioribus annis exhausti erant ac pæne perditi. Intellexit iste, ita magno venisse, ut amplius ab Herbitensibus exprimi non posset : demit de capite[5] medimnum cıɔ cıɔ cıɔ ıɔc; jubet in tabulas pro medimnum xxxv[6] referri xxxı et cccc.

XXXIV. Hordei decumas ejusdem agri Docimus emerat. Hic est Docimus, qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio tibicine. Hujus Tertiæ plus etiam, quam Pippæ, plus quam ceterarum, ac prope dicam, tantum apud istum

καλύπτραν appellari, etc. Conf. etiam Cornel. Nep. in Themist. et Casaub. in Athen. p. 610.

2. *Adumbratus.* Qui nomine tantum mariti personam sustinebat.

3. *Pretium redisset.* Si decumæ Æschrioni in auctione addicerentur. — Nann. cod. « recidisset »; quod recep. Car. Stephan. Lambin.

4. *Dimidio fere.* Decumæ anno superiore venierant xxvı millibus, nunc xxxv millibus addicebantur. Si xxxıx fuissent addictæ, hæc summa præcise fuisset dimidio major (nempe xııı millibus) quam anno superiore. Itaque recte dicit dimidio *fere* pluris. Ex hac optima Schützii interpretatione, nihil in numeris mutandum, neque audiendi Hotom. F. Ursin. et ceteri qui omnino corruptos codices arbitrantur.

5. *Demit de capite.* Quum nihil lucri nomine ab Herbitensibus, utpote omnino exhaustis, exprimere posse sentiret, tunc Verres, ne suum ei lucrum periret, ex acceptis xxxv millibus quæ reip. universa debebat, tantum 31,400 med. solvit, et ipse pro se 3,600 medimn. habet.

6. Olim xxxı. Vitiosos numeros hic atque infra Ernest. correxit. Multa tamen, ut in his siglis, etiamnunc dubia sunt. J. V. L.

in Siciliensi prætura auctoritas valuit, quantum in urbana Chelidonis. Veniunt Herbitam duo prætoris æmuli[1] non molesti, muliercularum teterrimarum improbissimi cognitores[2]; incipiunt postulare, poscere, minari. Non poterant tamen, quum cuperent, Apronium imitari. Siculi Siculos non tam pertimescebant. Quum omni ratione tamen illi calumniarentur, promittunt Herbitenses vadimonium Syracusas. Eo posteaquam ventum est, coguntur Æschrioni, id est, Pippæ, dare tantum, quantum erat de capite demptum, tritici medimnum CIↃ CIↃ CIↃ DC[3]. Mulierculæ publicanæ noluit ex decumis nimium lucri dare, ne forte ab nocturno suo quæstu animum ad vectigalia redimenda transferret. Transactum putabant Herbitenses; quum iste: Quid de hordeo[4], inquit, et Docimo, amiculo meo? quid cogitatis? At hoc agebat in cubiculo, judices, atque in lectulo suo. Negabant illi sibi quidquam esse mandatum. Non audio[5]: numerate H-S xv. Quid facerent miseri? aut quid recusarent? præsertim quum in lectulo decumanæ mulieris vestigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perseverandum intelligebant? Ita civitas una sociorum atque amicorum, duabus teterrimis[6] mulierculis, Verre prætore, vectigalis fuit. Atque ego nunc, eum frumenti numerum, et eas publice pe-

XXXIV. 1. *Duo prætoris æmuli.* Æschrio propter Pippam uxorem, Docimus propter Tertiam.

2. *Cognitores.* Procuratores ad negotia decumarum. Nam illæ revera decumanæ erant, ut sup. dixit. Cf. c. 60.

3. Alii, IX. Scripsit Ern. DC a cap. præcedente; et sic olim editum fuit. Quidam conjiciunt *modios*, sed hæc refingunt omnia. J. V. L.

4. *Quid de hordeo.* Quid dabitis Docimo, lucri nomine, pro decumis hordei?

5. *Non audio.* Illud non curo, parvi pendo; vos numeretis oportet sestertium quindecim millia (3,075 fr.).

6. Haud aliter codd. Palat. et Nannianus, atque etiam supra et cap. sequenti. Vulgata olim lectio, *deterrimis.* J. V. L.

cunias decumanis ab Herbitensibus datas esse dico: quo illi frumento, et quibus pecuniis tamen a decumanorum injuriis cives suos non redemerunt. Perditis enim et direptis aratorum bonis, hæc decumanis merces dabatur, ut aliquando ex eorum agris atque ex urbibus abirent. Itaque quum Philinus Herbitensis, homo disertus, et prudens, et domi nobilis, de calamitate aratorum, et de fuga, et de reliquorum paucitate publice diceret, animadvertistis, judices, gemitum populi romani, cujus frequentia huic causæ numquam defuit: qua de paucitate aratorum alio loco dicam.

XXXV. Nunc illud, quod pæne præterii, non omnino relinquendum videtur: nam, per deos immortales! quod de capite[1] ipso dempsit, quo tandem modo vobis non modo ferendum, verum etiam audiendum[2] videtur? Unus adhuc fuit post Romam conditam (dii immortales faxint, ne sit alter!), cui respublica totam se traderet[3], temporibus coacta, et malis domesticis, L. Sulla. Hic tantum potuit, ut nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset; tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitaret, bona civium romanorum quum venderet, se prædam suam vendere[4]. Ejus omnes res gestas non solum obtinemus[5]; verum etiam, propter majorum incommodorum et

XXXV. 1. *De capite.* Quod de frumenti summa, quæ ex decumarum venditione solvenda populo rom. erat, abstulit, ut eo minus Æschrio, Pippæ vir, solveret; pluris amorem faciens mulierculæ quam reip. emolumentum.

2. Hoc est e MS Nannii. Edd. pr. *quo tamdem modo ferendum, verum etiam audiendum vid.* Aldus hic maluit *animadvertendum.* J. V. L.

3. Olim, *tradidit*, latinitate minus recta. J. V. L.

4. *Prædam suam vendere.* Sic de Off. II, 15: « Est ausus dicere, hasta posita, quum bona in foro venderet, et bonorum virorum, et locupletum, et certe civium, prædam suam se vendere ».

5. *Obtinemus.* Ejus acta omnia retinemus. — *Defendimus.* Et ipse Cice-

calamitatum metum, publica auctoritate defendimus. Unum hoc[6] illius senatusconsulto reprehensum, decretumque est, ut, quibus ille de capite dempsisset, hi pecunias in ærarium referrent. Statuit senatus hoc[7], ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia, a populo[8] factarum quæsitarumque rerum summas imminuere. Illum viris fortissimis judicarunt patres conscripti remittere de summa non potuisse: te mulieri teterrimæ recte remisisse senatores judicabunt? Ille, de quo lege populus romanus jusserat, ut ipsius voluntas populo romano esset pro lege, tamen in hoc uno genere, veterum religione legum, reprehenditur: tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuam pro lege esse voluisti? In illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat: tibi concedetur, qui de capite vectigalium populi romani remisisti?

XXXVI. Atque in hoc genere audaciæ multo etiam impudentius in decumis Segestensium[1] versatus est:

ro consul ea defendit: nam, quum proscriptorum liberi quos Sulla a petendis honoribus prohibuerat, in integrum restitui contenderent, iis restitit Cicero, et ne quid novaretur, obtinuit; quia, ut ait Florus, III, 23, « expediebat quasi ægræ sauciæque reip. requiescere quandocumque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur». Cf. ad Att. II, 2.

6. *Unum hoc.* Hoc unum Sullæ factum, quod nonnullis asseclis suis de capite, i. e. de summa pecuniarum e bonis proscriptorum sub hasta venditis, vel ex vectigalibus redactarum, aliquid remisisset, quo minus reip. persolverent, senatus reprehendit, decrevitque ut illi quibus pecunias remisisset, hi easdem in ærarium referrent. Conf. Plutarch. in Cat. Min.

7. Alii, *st. senatus, hoc.* J. V. L.

8. *A populo.* Quas populus summas ipse solvi jusserat. Sic explicat Græv. sed malit abesse *a*, ita ut sit: Quæ res, s. pecuniæ populo, i. e. populi bono et commodo factæ s. armis partæ et quæsitæ fuerunt. Sic etiam Desjard. Schütz. etc. et a Reg. cod. uno abesse monet Lallemand. Hotom. censebat legendum: « ab ipso factarum ». Lamb. dedit « ab ipso partarum ».

XXXVI. 1. *Segestensium.* Civitas hæc erat immunis sup. cap. 6, atque inde colligunt Manut. Græv. Desjard. eam jus suum, Verre prætore, non retinuisse. Hotom. etiam de mendo su-

quas quum addixisset eidem illi Docimo, hoc[2] est, tritici modium quinque millibus, et accessionem adscripsisset H-S MD[3], coegit Segestenses a Docimo tantidem publice accipere[4]: id quod ex Segestensium publico testimonio cognoscite. Recita testimonium publicum. TESTIMONIUM PUBLICUM. Audistis, quanti decumas acceperit a Docimo civitas, tritici modium quinque millibus[5], et accessione. Cognoscite nunc, quanti se vendidisse retulerit[6]. LEX DECUMIS VENDUNDIS C. VERRE PR. Hoc nomine videtis tritici modium CIↃ CIↃ CIↃ de capite esse dempta; quæ quum de populi romani victu, de vectigalium nervis, de sanguine detraxisset ærarii, Tertiæ mimæ condonavit. Utrum impudentius a sociis abstulit? an turpius meretrici dedit? an improbius populo romano ademit? an audacius tabulas publicas commutavit? Ex horum severitate te ulla vis, aut ulla largitio eripiet? Sed

spicatur: verum optime reponit Ferratius ea lege civitates has immunes, ut, si qui post concessam immunitatem incolæ venissent et haberent agros, ii dare decumas cogerentur, sicut dabant decumas ipsi Segestenses pro iis agris, quos in alieno solo, nec jam immuni possiderent.

2. Lamb. e MS «Docimo, hoc est, Tertiæ tritici, etc.» quod probant Græv. et Lallem. et omnino esse addendum censet Harles. At enim Tertiæ mimæ Verres non addixit totam illam summam, *modium quinque millium*; sed ei tantum *de capite*, i. e. de tota hac summa tria millia condonavit. Ergo h. l. Tertiæ nomen alienum est. — *Hoc est.* Eodem sensu quo «nempe dico», quum illustrare ac magis explanare aliquid in animo est.

3. *H-S* MD. Circiter 307, 50. Quam summam Desjard. cum Grævio nimis exiguam ratus, mendum suspicatur. At quum decumæ tantum essent modium quinque millium, sat magna videtur accessio, quum supra in 26,000 medimnum accessio esset sestertium 2,000 (410 fr.). Gallicus interpres, nec monito lectore, vertit 15,000 sestert. (3,075 fr.).

4. *Publice accipere.* Segestenses coegit Verres, ut decimas ipsi a Docimo acciperent eodem pretio, quo eas ille redemerat; et pecuniam tum pro istis decumis, tum pro accessione, de publico eidem Docimo darent. Confer cap. 30.

5. Vulg. *millia, et accessionem*. Sequimur Hotom. et Schütz. J. V. L.

6. *Retulerit.* In tabulis publicis scripserat Verres, decumas duobus tantum millibus modium venditas fuisse, ita ut eorum tria millia Tertiæ mimæ condonaret.

si eripuerit[7]; non intelligis, hæc, quæ jamdudum loquor, ad aliam quæstionem atque ad peculatus judicium pertinere? Itaque hoc mihi reservabo genus integrum totum[8]: ad illam, quam institui, causam frumenti ac decumarum revertar.

Qui quum agros maximos ac feracissimos, per se ipsum, hoc est, per Apronium, Verrem alterum, depopularetur: ad minores civitates habebat alios, quos, tamquam canes, immitteret, nequam homines et improbos; quibus aut frumentum, aut pecuniam publice cogebat dare[9].

XXXVII. A. Valentius est in Sicilia, interpres: quo iste interprete[1] non ad linguam græcam, sed ad furta et flagitia uti solebat. Fit interpres hic, homo levis atque egens, repente decumanus. Emit agri Liparensis, miseri atque jejuni, decumas tritici medimnis ıↄc. Liparenses vocantur: ipsi accipere decumas, et numerare Valentio coguntur lucri H-S xxx millia[2]. Per deos immortales! utrum tibi sumes ad defensionem? tantone[3] minoris te[4] decumas vendidisse, ut ad medimna ıↄc, xxx millia lucri, statim sua voluntate civitas adderet, hoc est, tritici medimnum II millia[5]? an, quum magno decumas vendidisses, te

7. *Eripuerit.* Sic recte edd. pr. quas et Grævius sequitur; Grut. vero, *eripueris*. J. V. L.

8. Non est superfluum *totum*, ut Schellero visum est. J. V. L.

9. Sic Ernest. rescripsit. Vulg. *dari*. J. V. L.

XXXIII. 1. *Interprete.* Ludit orator in ambiguo. Nam *interpres* is est cujus opera ad exteram linguam intelligendam utimur, et cujus ministerio pactiones conficimus.

2. *H-S xxx millia.* Circ. 6,150 fr.

3. *Tantone minoris.* Si Verres eo minoris decumas vendidisse se dicit, ut majus lucrum faceret, peculatus reus fit, quia publica bona imminuit, ut publicum lucrum augeret. Sin maximo decumas se vendidisse ait, injustitiæ arguitur, qui magno per se venditis decumis tantum lucrum addidit.

4. Manut. et quidam alii, *tibi decumas venisse*. J. V. L.

5. II *millia.* Medimna singula sester-

expressisse ab invitis Liparensibus hanc pecuniam? Sed quid ego ex te quæro, quid defensurus sis, potius, quam cognoscam ex ipsa civitate, quid gestum sit? Recita testimonium publicum Liparensium, deinde quemadmodum Valentio nummi sint dati. TESTIMONIUM PUBLICUM; QUOMODO SOLUTUM SIT, EX LITERIS PUBLICIS. Etiamne hæc tam parva civitas, tam procul a manibus tuis atque a conspectu remota, sejuncta a Sicilia, in insula[6] inculta tenuique posita, cumulata aliis tuis majoribus injuriis, in hoc quoque frumentario genere, prædæ tibi et quæstui fuit? quam tu totam insulam cuidam tuorum sodalium[7], sicut aliquod munusculum, condonaras; ab hac etiam hæc frumentaria lucra, tamquam a mediterraneis, exigebantur? Itaque qui tot annis agellos suos ante te prætorem redimere a piratis solebant, iidem se ipsos a te pretio imposito redemerunt.

XXXVIII. Quid ergo? a Tissensibus[1], perparva et tenui civitate, sed aratoribus laboriosissimis frugalissimisque hominibus, nonne plus, lucri nomine, eripitur, quam quantum frumenti omnino exararant? ad quos tu decumanum Diognotum Venerium misisti, novum genus publicani. Cur hoc auctore non Romæ quoque servi publici[2] ad vectigalia accedant[3]?

tiis quindecim æstimari vidimus, quorum duo millia hac æstimatione faciunt sestertium triginta millia.

6. Cod. Nannii optimus, *insulula*. Valde probat Garat. ad Philipp. X, 5. — Ciceronem sic Verris invidia loquutum censet *d'Orville* in Sicul. qui narrat satis esse fertilem hanc insulam, laudarique ejus feracitatem a Diod. Sic. V, p. 338. Poterat autem Ciceronis tempore inculta esse, quum præsertim sæpius a piratis vexaretur.

7. *Sodalium*. Per contemptum. Nam magistratus dicuntur comites, ministri.

XXXVIII. 1. Lambin. Gruter. *Tissiensibus*. J. V. L.

2. Probat Grævius lectionem Nanniani codicis, *servi ad publica vectigalia accedant*. J. V. L.

3. *Accedant*. Vectigalia conducant. Sic apud Corn. Nep. in Att. 6, « ad hastam publicam numquam accessit ». Vid. Gronov. ad Senec. ep. 101.

Anno secundo Tissenses H-S XXI[4] lucri dare coguntur inviti. Tertio anno CIↃ CIↃ CIↃ medimnum tritici, lucri Diognoto Venerio dare coacti sunt. Hic Diognotus, qui ex publicis vectigalibus tanta lucra facit, vicarium[5] nullum habet, nihil omnino peculii. Vos etiam nunc dubitate, si potestis, utrum tantum numerum tritici Venerius apparitor istius sibi acceperit, an huic exegerit. Atque hæc ex publico Tissensium testimonio cognoscite. TESTIMONIUM PUBLICUM TISSENSIUM. Obscure, judices, prætor ipse decumanus est, quum ejus apparitores frumentum a civitatibus exigant, pecunias imperent, aliquanto plus ipsi lucri auferant, quam quantum populo romano decumarum nomine daturi sunt? Hæc æquitas in tuo imperio fuit, hæc prætoris dignitas, ut servos Venerios Siculorum dominos esse velles; hic delectus, hoc discrimen, te prætore, fuit, ut aratores in servorum numero essent, servi in publicanorum.

XXXIX. Quid? Amestratini miseri, impositis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil fieret, nonne tamen numerare pecunias coacti sunt? Addicuntur decumæ M. Cæsio[1], quum adessent legati Amestratini: statim cogitur Heraclius legatus numerare H-S XXII. Quid hoc est? quæ est ista præda? quæ vis? quæ direptio sociorum? Si erat Heraclio ab senatu[2] mandatum, ut emeret, emisset; si non erat, qui poterat

4. *H-S* XXI. Unum et viginti millia (4,305 fr.).

5. *Vicarium.* Postremus est servorum omnium. Nam servi paullo majoris notæ servos ipsi suos habebant, qui appellabantur vicarii; et peculium possidebant, permissu domini, hoc est, rem propriam suo labore partam. De his vid. Verr. I, 36.

XXXIX. 1. *M. Cæsio.* Cui addictas fuisse anno etiam tertio e c. 43 Garat. colligit; unde infra, pro ejusdem civitatis nomine, *At Amestratinos*, conjicit *Mutistratinos*, vel *Mytistratinos*, vel aliud nomen civitatis. J. V. L.

2. *Ab senatu.* Si mandasset ei suæ urbis senatus decumas emere; emisset certe.

sua sponte pecuniam numerare? Cæsio renuntiat[3] se dedisse. Cognoscite renuntiationem ex literis. Recita ex literis publicis. LITERÆ PUBLICÆ. Quo senatusconsulto erat hoc legato permissum? nullo : cur fecit? coactus est : quis hoc dicit? tota civitas. Recita testimonium publicum. TESTIMONIUM PUBLICUM. Ab hac eadem civitate, anno secundo, simili ratione extortam esse pecuniam, et Sext. Vennonio datam, ex eodem testimonio cognovistis. At Amestratinos, homines tenues, quum eorum decumas medimnis DCCC vendidisses Banobali Venerio (cognoscite[4] nomina publicanorum), cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, quum magno venissent. Dant Banobali medimnis[5] DCCC, H-S MD. Profecto numquam iste tam amens fuisset, ut ex agro populi romani plus frumenti servo Venerio, quam populo romano tribui pateretur, nisi omnis ea præda, servi nomine, ad istum ipsum perveniret. Petrini, quum eorum decumæ magno addictæ essent, tamen invitissimi P. Nævio Turpioni[6], improbissimo homini, qui injuriarum, Sacerdote prætore, damnatus est, H-S XXXVII et IↃ dare coacti sunt. Itane dissolute decumas vendidisti, ut, quum medimnum[7] esset H-S XV, decumæ autem medimnum III venissent, hoc est, H-S XXXXV, lucri

3. *Renuntiat.* In patriam reversus nuntiat hanc pecuniam Cæsio se dedisse.

4. *Cognoscite.* Quum publicani equites atque adeo cives esse debeant, discite nunc quibus munus hoc dederit, nempe Carthaginiensibus servis. Nam Banabal punicum nomen sonat.

5. *Medimnis.* Mendosus locus, quum lucri nomine multo magis quam pro decumis dedisse dixerit Cicero, multo minorem numerum reponit. Manut. conjicit « H-S XII ». Nannii codex « medimna DCCCL. Profecto numquam ». Cui standum censent Græv. Desjard. etc. et sequuti sunt in edd. Car. Steph. Schütz. et alii.

6. *P. Nævio Turpioni.* De homine hoc vide Verr. II, 8. — *H-S* XXXVII, etc. circit. 7,687,50. — *H-S* XXXXV, 9,225 fr.

7. Alii, « Quum modium XV millibus

decumano CIↃ CIↃ CIↃ H-S darentur? — At permagno decumas ejus agri[8] vendidi. — Videlicet gloriatur, non Turpioni lucrum datum, sed Petrinis pecuniam ereptam.

XL. Quid? Halicyenses, quorum incolæ[1] decumas dant, ipsi agros immunes habent; nonne huic eidem Turpioni, quum decumæ c med. venissent, H-S xv CIↃ dare coacti sunt? Si id, quod maxime vis, posses probare, hæc ad decumanos lucra venisse, nihil te attigisse; tamen hæ pecuniæ, per vim atque injuriam tuam captæ et conciliatæ, tibi fraudi et damnationi esse deberent. Quum vero hoc nemini persuadere possis, te tam amentem fuisse, ut Apronium ac Turpionem, servos homines, tuo liberorumque[2] tuorum periculo divites fieri velles; dubitaturum quemquam existimas, quin illis emissariis hæc tibi omnis pecunia quæsita sit? Segestam item ad immunem civitatem Venerius Symmachus decumanus immittitur : is ab isto literas affert, ut sibi contra omnia senatusconsulta, contra omnia jura[3], contraque legem Rupiliam, extra forum[4] vadimonium promittant aratores. Audite literas, quas ad Segestanos miserit. LITERÆ C. VERRIS. Hic Venerius quemadmodum aratores eluserit, ex una pactione hominis honesti gratiosique cognoscite : in eodem enim genere sunt cetera. Diocles est Panor-

venissent, medimnum III m. hoc est, H-S xxxxv, lucri d. dar.» J. V. L.

8. Olim, *vendidisti*. In edd. pr. quæ habent vitiose *igitur*, pro *gloriatur*.

XL. 1. *Incolæ*. Peregrini, qui cum civibus habitabant, græc. μέτοικοι. — *H-S* xv CIↃ. Sestert. quindecim millia (3,075). — Locum aperte vitiosum in numeris, nec auxilium peti posse a libris etiam vitiosis declarant Hotom. et Ernest. si enim accipias numeros, ut scripti sunt, nimis parva res est; si millia intelligas, nimis magna.

2. *Liberorum*. Qui te damnato, tuisque bonis publicatis, in egestate et infamia futuri sunt.

3. Gulielm. conjicit *communia jura*. J. V. L.

4. *Extra forum*. Extra jurisdictionis suæ locum. Vid. supra 15.

mitanus, Phimes cognomine, homo illustris, ac nobilis arator[5]. Is agrum in Segestano (nam commercium in eo agro Panormitanis[6] est) conductum habebat H-S sex millibus[7]. Pro decuma, quum pulsatus a Venerio esset, decidit H-S XVI millibus et IↃCLIIII: id ex tabulis ipsius cognoscite. NOMEN DIOCLIS PANORMITANI. Huic eidem Symmacho Anneius Brocchus, senator, homo eo splendore, ea virtute, qua omnes existimatis, nummos præter frumentum coactus est dare. Venerione servo, te prætore, talis vir, senator populi romani, quæstui fuit?

XLI. Hunc ordinem si dignitate antecellere non existimabas, ne hoc quidem sciebas, judicare? Antea quum equester ordo judicaret, improbi et rapaces magistratus in provinciis inserviebant[1] publicanis; ornabant eos, quicumque in operis erant; quemcumque equitem romanum in provincia viderant, beneficiis ac liberalitate prosequebantur: neque tantum illa res nocentibus proderat, quantum obfuit multis, quum aliquid contra utilitatem ejus ordinis voluntatemque fecissent. Retinebatur hoc tum, nescio quomodo, quasi communi consilio ab illis diligenter, ut, qui unum equitem romanum contumelia dignum putasset, ab universo ordine malo dignus judicaretur. Tu sic ordinem senatorium despexisti, sic ad injurias libidinesque tuas omnia coæquasti, sic habuisti sta-

5. Verbum hoc, a C. Stephan. et Græv. deletum, Ern. restituit. J. V. L.

6. Ita regii codices et vett. editi. Grævius ex Nannii codice dedit, *nemini est*. Ern. recte damnavit. J. V. L.

7. *H-S sex millibus*. Circiter 1,230 fr.—*H-S* XVI *millibus*, 3,414 fr. 11 c.

XLI. 1. *Inserviebant*. Magnopere publicanos colebant, quia ex eo ordine erant, quo judices constabant. Hoc unum, quod imprudens fatetur Cicero, mirifice illam clarissimi *Montesquieu* confirmat opinionem: nempe miseriis succinctos, publicas necessitates ex publicis necessitatibus serere solitos equites eosdem ac publicanos, numquam æquissime potuisse judicare. Illi scilicet judiciorum severissimæ

tutum cum animo ac deliberatum, omnes, qui habitarent[2] in Sicilia, aut, qui Siciliam te prætore attigissent, judices rejicere[3], ut illud[4] non cogitares, tamen ad ejusdem ordinis homines te judices esse venturum? in quibus, si ex ipsorum domestico incommodo nullus dolor insideret, tamen esset illa cogitatio, in alterius[5] injuria sese despectos, dignitatemque ordinis contemptam et abjectam. Quod mehercule, judices, mihi non mediocriter ferendum videtur. Habet enim quemdam aculeum contumelia, quem pati pudentes ac viri boni difficillime possunt. Spoliasti Siculos : solent enim inulti esse in injuriis suis provinciales. Vexasti negotiatores : inviti enim Romam raroque decedunt. Equites romanos[6] ad Apronii injurias dedisti : quid enim jam nocere possunt, quibus non licet judicare? Quid, quum senatorem[7] summis injuriis afficis? quid aliud dicis, nisi hoc? cedo mihi etiam istum senatorem : ut hoc amplissimum nomen senatorium non modo ad invidiam imperitorum, sed etiam ad contumeliam improborum natum esse videatur. Neque hoc in uno fecit Anneio; sed in omnibus senatoribus : ut ordinis nomen non tantum ad honorem, quantum ad ignominiam valeret. In C. Cassio, viro clarissimo et fortis-

custodiæ tradendi erant, nedum ipsi ea exercerent. Illi ordini qui uni lucro intentus, semper exigebat, quum ab eo nihil peteretur, divitias ac paupertatem ipsam exhauriebat, Romæ judicia non erant committenda. *Esprit des Lois*, XI, 18. Quid enim publicanorum injuriis vexati sperare poterant socii, quum Romæ apud eosdem publicanorum amicos, socios, sodales quæstionem habendam esse cernerent?

2. Cod. Nan. *haberent*. J. V. L.

3. *Judices rejicere*. Ut de cohorte tua homines soli judicarent.

4. Ernest. locum lacunosum putat. Quare? non video. J. V. L.

5. *Alterius*. Senatoris, quem Venerio servo quæstui fuisse intelligent.

6. Matrinium et Lollium. Cf. c. 24, 25. Al. *equitem rom*. J. V. L.

7. *Senatores*. Emendavit Ernestius « senatorem », scil. Anneium. J. V. L.

simo, quum is eo ipso tempore, primo istius anno, consul esset, tanta improbitate usus est, ut, quum ejus uxor, femina primaria, paternas haberet arationes in Leontino, frumentum omne in decumas[8] auferre jusserit. Hunc tu in hac causa testem, Verres, habebis; quoniam, judicem ne haberes, providisti. Vos autem, judices, putare debetis, esse quiddam nobis inter nos commune atque conjunctum. Multa sunt imposita huic ordini munera, multi labores, multa pericula, non solum legum[9] ac judiciorum, sed etiam rumorum ac temporum. Sic est hic ordo quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiæ circumflari[10] posse videatur. In hac tam misera et iniqua conditione vitæ, ne hoc quidem retinebimus, judices, ut magistratibus nostris in obtinendo jure nostro ne contemptissimi ac despectissimi esse videamur?

XLII. Thermitani miserunt, qui decumas emerent agri sui. Magni sua putabant interesse, publice potius quamvis magno emi, quam in aliquem istius emissarium incidere. Appositus erat Venuleius quidam, qui emeret. Is liceri non destitit. Illi, quoad videbatur ferri aliquo modo posse, contenderunt: postremo liceri destiterunt. Addicitur Venuleio tritici modium VIII millibus[1]. Legatus Possidorus renuntiat. Quum omnibus hoc intolerandum videretur, tamen

8. *Decumas*. Vet. lib. apud Lamb. « decumanos auferre ». J. V. L.

9. *Legum*. Quarum nonnullis, ut pro Cluent. et Rab. perduel. videre est, soli senatores tenentur.—*Judiciorum*. Quibus in exercendis, diligentiam, fidem præstare debent.—*Rumorum*. Qui facile contra senatores apud invidos disseminantur. — *Temporum*. Quorum ex inclinatione majora ordini, qui est in civitate amplissimus, quam ceteris pericula impendent.

10. *Circumflari*. Sic Lucret. V, 1130: « Invidia, ceu fulmine summa vaporant Plerumque, et quæ sunt aliis magis edita cumque ».

XLII. 1. *Modium VIII millibus*. Alii, « VII millibus ». J. V. L.

Venuleio dantur, ne accedat[2], tritici mod.[3] VIII; præterea H-S CIↃ CIↃ. Ex quo facile apparet, quæ merces decumani, quæ prætoris præda esse videatur. Cedo Thermitanorum mihi literas, et testimonium. TABULÆ THERMITANORUM, ET TESTIMONIUM. Imacharenses, jam omni frumento ablato, jam omnibus injuriis tuis exinanitos, tributum facere[4], miseros ac perditos, coegisti; ut Apronio darent H-S XX millia. Recita decretum de tributis, et publicum testimonium. SENATUSCONSULTUM DE TRIBUTO CONFERENDO. TESTIMONIUM IMACHARENSIUM. Ennenses, quum decumæ venissent agri Ennensis medimnum CIↃ CIↃ CIↃ CC, Apronio coacti sunt dare tritici modium XVIII[5], et H-S III millia. Quæso, attendite, quantus numerus frumenti cogatur ex omni agro decumano: nam per omnes civitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea; et in hoc genere nunc, judices, versor, in quo non singillatim aratores eversi bonis omnibus sunt, sed publice decumanis lucra data sunt, ut aliquando ex eorum agris atque urbibus expleti atque saturi cum hoc cumulo quæstus decederent.

XLIII. Calactinis quamobrem imperasti anno tertio, ut decumas agri sui, quas Calactæ dare consueverant, Amestrati M. Cæsio decumano darent, quod neque ante te prætorem illi fecerant, neque tu ipse hoc ita sta-

2. *Ne accedat.* Quum omnibus pretium hoc decumarum vix ferri posse videretur, tamen illa octo millia modiorum Venuleio dantur, ne Thermas veniat, urbemque illam novis injuriis vexet; dantur præterea pro lucro duo sestert. millia (410 fr.)

3. Al. « mod. VII ». Desjard. cum Græv. « mod. VI », h. e. sex millia. Ita ut sensus sit: Quamvis decumarum nomine petitos modios vix dare possent, tamen, ne Venuleius Thermas veniret, sex alia modiorum millia adjecerunt, et duo sestert. millia.

4. *Tributum facere.* Viritim impositam pecuniam colligere. — *H-S XX millia.* Circ. 4,100 fr. — Infra *H-S III millia.* Circ. 615 fr.

5. XVIII. Hi numeri rescripti sunt a Græv. et Ernest. ex Nannii emendatione: alii aliter. Vid. quæ dicta sunt supra, pag. 66, not. 6.

tueras antea per biennium? Theomnastus Syracusanus in agrum Mutycensem[1] cur abs te immissus est? qui aratores ita vexavit, ut illi in alteras decumas, id quod in aliis quoque civitatibus ostendam, triticum emere necessario, propter inopiam, cogerentur. Jam vero ex Hyblensium pactionibus[2] intelligetis, quæ pactæ sint cum decumano Cn. Sergio, sexies tantum, quam quantum satum sit, ablatum esse ab aratoribus. Recita sationes et pactiones ex literis publicis. Recita. PACTIONES HYBLENSIUM CUM VENERIO SERVO EX LITERIS PUBLICIS. Cognoscite item professiones sationum, et pactiones Menenorum[3] cum Venerio servo. Recita ex literis publicis. PROFESSIONES SATIONUM, ET PACTIONES MENENORUM CUM VENERIO SERVO EX LITERIS PUBLICIS. Patiemini, judices, a sociis, ab aratoribus populi romani, ab iis, qui vobis laborant, vobis serviunt[4], qui ita plebem romanam ab sese ali volunt, ut sibi ac liberis suis tantum supersit, quo ipsi ali possint; ab his, per summam injuriam, per acerbissimas contumelias, plus aliquando ablatum esse, quam natum sit? Sentio, judices, moderandum mihi esse jam orationi meæ, fugiendamque vestram satietatem. Non versabor in uno genere diutius, et ita cetera de oratione mea tollam, ut tamen in causa relinquam. Audietis Agrigentinorum, fortissimorum virorum diligentissimorumque, querimonias; cognoscetis, judices, Entellinorum, summi laboris summæque industriæ, dolorem et injurias; Heracliensium, Gelensium, So-

XLIII. 1. Alii, *Mutyensem*.

2. *Pactionibus*. Ex conditionibus quas Hyblenses cum Sergio fecerunt, intelligetis, etc. — *Rationes*. Quot agrorum jugera sata sint. — *Professiones*. Quot sevisse se declaraverint.

3. *Menenorum*. Sequimur codd. regios. J. V. L.

4. *Vobis serviunt*. Forte, « vobis serunt ». Eodem sensu quo vulgata est, invenitur, Verr. I, 31, « populi rom. conditione, sociis, fortuna ser-

luntinorum[5] incommoda proferentur; Catinensium, locupletissimorum hominum amicissimorumque, agros vexatos ab Apronio cognoscetis; Tyndaritanam, nobilissimam civitatem, Cephalœditanam, Halentinam, Apolloniensem, Engynam, Capitinam, perditas esse hac iniquitate decumarum intelligetis; Morgantinis[6], Assorinis, Elorinis, Ennensibus, Letinis[7], nihil omnino relictum; Citarinos[8], Acherinos[9], parvarum civitatum homines, omnino abjectos esse ac perditos; omnes denique agros decumanos per triennium populo romano ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigales fuisse; et plerisque aratoribus nihil omnino superfuisse; si cui quid aut remissum, aut relictum sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius avaritia contenta fuit, redundarit.

XLIV. Duarum mihi civitatum reliquos feci[1] agros, judices, fere optimos ac nobilissimos, Ætnensem et Leontinum. Horum agrorum ego missos faciam quæstus triennii : unum annum eligam, quo facilius id, quod institui, explicare possim. Sumam annum tertium, quod et recentissimus est, et ab isto ita administratus, ut, quum se certe decessurum videret, non laboraret, si aratorem nullum in Sicilia omnino esset relicturus. Agri Ætnensis et Leontini decumas agemus. Attendite, judices, diligenter. Agri sunt fera-

vis ». Et, si ea admitteretur conjectura, pro glossa habenda essent sequentia verba. J. V. L.

5. Alii, *Solentinorum*. J. V. L.

6. Olim, *Murgentinis*. J. V. L.

7. Grævius, duce Ortelio et Cluverio, contendit legendum esse *letinis*. Lallem. sic edidit. Alii, *Netinis*. Verr. IV, 26. J. V. L.

8. *Citarinos*. Cluver. *Cetarinos*. J. V. L.

9. *Acherinos*. Quum veterum nullus hos sic appellarit; suspicatus Ernest. corruptam vocem, in Ind. Geogr. conjicit *Achetinos* ex Silio, XIV, 268.

XLIV. 1. *Reliquos feci*. Agros seposui, de quibus in extrema parte dicerem, utpote feracissimis et maxime a Verre spoliatis. De Ætnensis agri fertilitate confer Strab. VI. Leontinum agrum Cicero paullo supra appellavit *caput rei frumentariæ* Romanorum.

ces; annus tertius; decumanus Apronius. De Ætnensibus perpauca dicam : dixerunt enim ipsi priore actione publice. Memoria tenetis, Artemidorum Ætnensem, legationis ejus principem publice[2] dicere, Apronium venisse Ætnam cum Veneriis; vocasse ad se magistratum; imperasse, ut in foro sibi medio lecti sternerentur; quotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico convivari; quum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque poculis[3] ministraretur, retinere solitum esse[4] aratores, atque ab iis non modo per injuriam, sed etiam per contumeliam, tantum exprimi frumenti, quantum Apronius imperasset. Audistis hæc, judices, quæ nunc ego omnia prætereo ac relinquo. Nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de insolentia[5], nihil de singulari nequitia ac turpitudine : tantum de quæstu ac lucro dicam unius agri et unius anni, quo facilius vos conjecturam de triennio, et de tota Sicilia facere possitis. Sed mihi Ætnensium brevis est oratio[6] : ipsi enim venerunt; ipsi publicas literas deportarunt; docuerunt vos, quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris prætoris, Apronius! id, quæso, ex ipsorum testimonio cognoscite. Recita testimonium Ætnensium. TESTIMONIUM ÆTNENSIUM.

XLV. Quid ais? dic, dic, quæso, clarius, ut populus romanus de suis vectigalibus, de suis aratori-

2. *Publice dicere.* Publica auctoritate instructum.

3. *Maximis poculis.* De hoc poculorum majorum aut maximorum usu e Græcis derivato fusius jam Act. I, 26, disseruimus.

4. Lambinus corrig. *retineri solitos esse.* Ernest. plaudit. Recepit Schütz. J. V. L. — Gruterus totum hoc lineis præcedentibus ortum abesse posse putat.

5. *Insolentia.* Post hoc verbum F. Ursinus in veteri codice additum invenit « nihil de permissa ab eo licentia » ; quod glossatori est tribuendum.

6. *Brevis est oratio.* De Ætnensibus breviter est disserendum.

bus, de suis sociis atque amicis audiat. L MEDIMNUM, L H-S MILLIA [1]. Per deos immortales! unus ager uno anno ccc millia modium [2] tritici, et præterea H-S L millia, lucri dat Apronio? tantone minoris [3] decumæ venierunt, quam fuerunt? an, quum satis magno venissent, hic tantus tamen frumenti pecuniæque numerus ab aratoribus per vim ablatus est? utrum enim horum dixeris, in eo culpa et crimen hærebit. Nam illud quidem non dices, quod utinam dicas [4], ad Apronium non pervenisse tantum. Ita te non modo publicis tenebo, sed etiam privatis aratorum pactionibus ac literis; ut intelligas, non te diligentiorem in faciendis furtis fuisse, quam me in deprehendendis. Hoc tu feres [5]? hoc quisquam defendet? hoc hi, si aliter de te statuere voluerint, sustinebunt [6]? Uno adventu, ex uno agro, Q. Apronium, præter eam, quam dixi, pecuniam numeratam, ccc millia modium tritici lucri nomine sustulisse? Quid? hoc Ætnenses soli dicunt? imo etiam Centuripini, qui agri Ætnensis multo maximam partem possident. Quorum legatis, hominibus nobilissimis, Androni et Artemoni, senatus ea mandata dedit, quæ publice ad civitatem ipsorum pertinebant; de iis injuriis, quas cives Centuripini non in suis, sed in aliorum finibus acceperunt, senatus et populus Centuripinus legatos noluit mittere : ipsi

XLV. 1. *L H-S millia.* Quinquaginta sestert. millia (10,250). Et si in pecuniam 50,000 medimnos redegeris, habebis hoc nomine 153, 750 fr.

2. *CCC millia modium.* Hæc summa eadem est cum superioribus L medimnum millibus, verum hoc numero uti maluit orator, amplificandi et mutandi gratia.

3. *Tantone minoris.* An tanto pretio? an tot modiorum et sestertium millibus minoris, quam valuerunt.

4. *Utinam dicas.* Nam si dixeris, statim fatebere ad te pervenisse, quia decumani, procuratores tui quæstus et ministri rapinarum tuarum fuerunt.

5. *Hoc tu feres?* Hoc tu crimen sustinebis, seu defendere poteris.

6. *Sustinebunt.* Hi judices, si aliter quam oportet, si contra fas te absolvere voluerint, poterunt aut audebunt?

aratores Centuripini, qui numerus est in Sicilia maximus hominum honestissimorum et locupletissimorum, tres legatos, cives suos, delegerunt, ut eorum testimonio non unius agri, sed prope totius Siciliæ calamitates cognosceretis. Arant enim tota Sicilia fere Centuripini: et hoc in te graviores certioresque testes sunt, quod ceteræ civitates suis solum incommodis commoventur; Centuripini, quod in omnium [7] fere finibus habent possessiones, etiam ceterarum civitatum damna ac detrimenta senserunt.

XLVI. Verum, ut dixi, ratio certa est [1] Ætnensium, et publicis et privatis literis consignata: meæ diligentiæ pensum [2] magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quod ipsi Leontini publice non sane me multum adjuverunt. Neque enim eos, isto prætore, hæ decumanorum injuriæ læserunt: potius etiam, judices, adjuverunt. Mirum fortasse hoc vobis, aut incredibile videatur, in tantis aratorum incommodis, Leontinos, qui principes rei frumentariæ fuerunt, expertes incommodorum atque injuriarum fuisse. Hoc causæ est, judices, quod in agro Leontino, præter unam Mnasistrati familiam, glebam Leontinorum possidet nemo [3]. Itaque Mnasistrati, hominis honestissimi atque optimi viri, testi-

7. Sic e cod. Nanniano dederunt C. Steph. Grut. alii. Male antea legebatur *omnibus*. J. V. L.

XLVI. 1. *Ratio certa est*, etc. Certo affirmari potest de Ætnensibus, quantum dederint, quia hæc publicis tabulis sunt consignata. Itaque ista indagatio non meam diligentiam requirebat. Sed in Leontinorum injuriis investigandis, meæ diligentiæ est pensum, i. e. officium ac munus.

2. Olim, « consignata mea diligentia. Pensum ». Verum vidit Lambin.

3. *Possidet nemo*. Nempe Centuripini Leontinorum terras plerasque arant. Infra 48. Quomodo autem Leontini ex Apronii rapinis quæstum fecerint, tacent commentatores, nec facile quis dixerit. Forsan tamen quum negotiationi vacarent, eam majori lucro, propter communem ceterorum inopiam, exercebant; et pecuniam sub usura graviore collocabant; ita ut quod ceteris omnibus detrimento esset ac perniciei, ipsi maximæ utilitati apponerent.

monium, judices, audietis: ceteros Leontinos, quibus non modo Apronius in agris, sed ne tempestas quidem ulla nocere potuit, exspectare nolite[4]. Etenim non modo incommodi nihil ceperunt; sed etiam in Apronianis illis rapinis, in quæstu sunt compendioque versati. Quapropter, quoniam me Leontina civitas atque legatio, propter eam, quam dixi, causam, defecit; mihimet ineunda ratio, et via reperiunda est, qua ad Apronii quæstum[5], sive adeo, qua ad istius ingentem immanemque prædam possim pervenire. Agri Leontini decumæ anno tertio venierunt tritici medimnum XXXVI millibus; hoc est, tritici modium CCXVI millibus. Magno, judices, magno[6]: neque enim hoc possum negare. Itaque necesse est, aut damnum, aut certe non magnum lucrum fecisse decumanum: hoc enim solet usu venire iis, qui magno redemerunt. Quid, si ostendo, in hac una emptione, lucri fieri tritici modium C? quid, si CC? quid, si CCC? quid, si CCCC millia? dubitabitis[7] etiam, cui ista tanta præda quæsita sit? Iniquum me esse quispiam dicet, qui ex lucri magnitudine conjecturam faciam furti atque prædæ. Quid? si doceo, judices, eos, qui CCCC millia modium lucri faciunt, damnum facturos[8] fuisse, si tua iniquitas, si tui ex cohorte recuperatores non in-

4. *Exspectare nolite.* Dum testimonium in Apronium dicant, qui in eos maxima contulit beneficia.

5. *Ad Apronii quæstum.* Ad cognoscendum qua ratione Apronius tantum quæstum collegerit.

6. *Magno.* Nam venire pluris, nulla ratione potuerunt: quum agri Leontini professio ad jugerum esset XXX millia, ut infra ostenditur, et e singulis jugeribus caperentur, ubi messis optima, medimni deni; inde fiebat ut medimni, qui decumæ nomine dabantur, totidem plane quot jugera essent. Verres autem hac sua ratione curavit ut sex millibus amplius quam quum optima messis esset, decumas venderet.

7. *Dubitabitis.* Sic ex edd. pr. restituit Ernest. Vulg. *dubitatis.*

8. *Damnum facturos.* Quia nimirum ob furta sua vocati ab aratoribus, condemnandi essent, nisi Verres judices e corrupta sua cohorte dedisset.

tercederent? num quis poterit in tanto lucro, tantaque iniquitate, dubitare, quin propter improbitatem[9] tam magnos quæstus feceris? propter magnitudinem quæstus improbus esse volueris?

XLVII. Quomodo igitur hoc assequar, judices, ut sciam, quantum lucri factum sit? non ex Apronii tabulis, quas ego quum conquirerem, non inveni; et quum in jus ipsum eduxi, expressi, ut conficere tabulas se negaret. Si mentiebatur; quamobrem removebat, si hæ tabulæ nihil tibi erant obfuturæ? si omnino nullas confecerat literas; ne id quidem satis significabat, illum non suum negotium gessisse? Ea est enim ratio decumanorum, ut sine plurimis literis confici non possit. Singula enim nomina aratorum, et cum singulis pactiones decumanorum, literis persequi et conficere necesse est. Jugera professi sunt aratores omnes imperio atque instituto tuo : non opinor quemquam minus esse professum, quam quantum arasset, quum tot cruces, tot supplicia, tot ex cohorte recuperatores proponerentur. In[1] jugere agri Leontini medimnum fere tritici seritur, perpetua atque æquabili satione. Ager efficit[2] cum octavo, bene ut agatur; verum, ut omnes dii adjuvent, cum decumo : quod si quando accidit[3], tum fit, ut tantum decumæ sit, quantum severis[4]; hoc est, ut, quot jugera sunt sata, totidem medimna decumæ debean-

9. *Improbitatem*. Quæstus improbus is est, qui magnus et impudenter est factus.

XLVII. 1. *In jugere*. Cod. Nann. quod Garaton. defendit auctoritate Prisciani. — *Æquabili satione*. Hæc serendi ratio semper et æqualiter singulis annis a Leontinis tenetur.

2. *Ager efficit*. Agri sui ubertate contentus est arator, quum pro uno medimno quod satum est, octo medimna colligit. At ager feracissimus est, et diis juvantibus, quum decem pro uno reddit medimna.

3. *Accidit*. Si quando evenit ut ad decimum usque perveniat.

4. *Quantum severis*. Si decem reddat, tum fit ut unum medimnum, seu quantum a te fuit satum, decumæ nomine pendas.

tur. Hoc quum ita esset; primum illud dico, pluribus millibus medimnum venisse decumas agri Leontini, quam quot millia jugerum sata erant in agro Leontino. Quod si fieri non poterat, ut plus quam decem medimna ex jugere ararent [5]; medimnum autem ex jugere decumano dari poterat, quum ager, id quod perraro evenit, cum decumo [6] extulisset: quæ erat ratio decumani, si quidem decumæ ac non bona venibant aratorum, ut pluribus aliquanto medimnis decumas emeret, quam jugera erant sata?

XLVIII. In Leontino jugerum subscriptio ac professio non est plus XXX millium. Decumæ XXXVI medimnum [1] venierunt. Erravit, an potius insanivit [2] Apronius? imo tum insanisset, si aratoribus, quod deberent, licitum esset, et non, quod Apronius imperasset, necesse fuisset dare. Si ostendo, minus tribus medimnis in jugerum neminem dedisse decumæ, concedes, opinor, ut cum decumo [3] fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse. Atque [4] hoc in beneficii loco petitum est ab Apronio, ut in jugera singula ternis medimnis decidere liceret. Nam quum a multis quaterna, etiam quina exigerentur; multis autem non modo granum nullum, sed ne paleæ quidem ex omni fructu atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus est, unum in locum convenerunt; hominem suæ civitatis

5. *Ararent.* Exararent, colligerent.

6. *Cum decumo.* Decem medimna reddidisset.

XLVIII. 1. Alii, *medimnis.* J. V. L.

2. *Insanivit.* Quum decumas pluribus emit medimnis, quam quantus esset jugerum numerus.

3. Al. *decumano.* Sed habent *decumo,* vel *decimo,* fere omnes codd. regii. J. V. L. — Sensus est: Fatearis oportet, quamvis decem medimna ex jugere perceperit arator, tamen decumas tres solvisse.

4. Alii, *atqui.* J. V. L. — Id quasi maximum beneficium petierunt aratores. Per hæc augetur rei atrocitas.

in primis honestum ac nobilem, Andronem Centuripinum, legarunt ad Apronium, eumdem, quem hoc tempore ad hoc judicium legatum et testem Centuripina civitas misit; ut is apud eum causam aratorum ageret, ab eoque peteret, ut ab aratoribus Centuripinis ne amplius in jugera singula, quam terna medimna exigeret. Hoc vix ab Apronio in summo beneficio, pro iis, qui etiam tum incolumes[5] erant, impetratum est. Id quum impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur, ut, pro singulis decumis, ternas decumas dare liceret. Quod si tua res non ageretur, a te potius postularent, ne amplius, quam singulas, quam ab Apronio, ut ne plus, quam ternas decumas darent. Nunc, ut hoc tempore ea, quæ regie, seu potius tyrannice, statuit in aratores Apronius, prætermittam; neque eos appellem, a quibus omne frumentum eripuit, et quibus nihil non modo de fructu, sed ne de bonis quidem suis reliqui fecit: ex his ternis medimnis[6] (quod beneficii gratiæque causa concessit) quid lucri fiat, cognoscite.

XLIX. Professio est agri Leontini ad jugerum XXX millia. Hæc sunt ad tritici medimnum XC, id est, tritici modium DXL millia. Deductis tritici modium CCXVI millibus, quanti decumæ venierunt, reliqua sunt tritici CCCXXIV millia. Adde[1] totius summæ IↃXL millium

5. *Incolumes.* Bonis nondum eversi.

6. *Ternis medimnis.* In singula jugera.

XLIX. 1. *Adde.* Cicero hac ratione arithmetica singula persequitur lucra, quæ ad ipsum Verrem pervenerunt, ut expleat summam promissi sui, quum velle se ostendere dixisset, in unius agri decumis Apronium, id est, Verrem 400,000 mod. lucri fecisse. Ager Leontinus 30,000 jugera habet: quæ, singula quum terna medimna dederint, efficiuntur 90,000 medimn. seu 540,000 modium. Demptis ergo pro decuma 216,000 mod. supersunt 324,000 mod. Huic summæ adde tres quinquagesimas totius summæ modiorum, h. e. illorum 540,000 mod. quorum quinquagesimæ simplices reddunt 10,800 mod. triplicatæ vero conficiunt 32,400 mod. et Verres reliqua habuit 356,400 mod.

modium tres quinquagesimas, id est, tritici modium xxxii millia cccc (ab omnibus enim ternæ præterea quinquagesimæ exigebantur): sunt hæc jam ad ccclvi millia cccc mod. tritici. At ego[2] cccc millia lucri facta esse dixeram. Non enim duco in hac ratione eos, quibus ternis medimnis non est licitum decidere. Verum, ut hac ipsa ratione summam mei promissi compleam, ad singula medimna[3] multi H-S duo, multi H-S quinque accessionis cogebantur dare; qui minimum, singulos[4] nummos. Hoc minimum ut sequamur, quoniam xc medimnum millia duximus, accedebant[5] eo, novo pessimoque exemplo, H-S xc millia. Hic mihi etiam dicere audebit, magno se decumas vendidisse, quum ex eodem agro, dimidio plus ipse abstulerit, quam populo romano miserit? ccxvi modium millibus decumas agri Leontini vendidisti: si ex lege[6], magno; si, ut lex esset libido tua, parvo; si, ut, quæ dimidiæ essent, decumæ vocarentur, parvo vendidisti. Multo enim pluris fructus annui Siciliæ venire potuerunt, si id te senatus aut populus romanus facere voluisset; etenim sæpe decumæ[7] tanti venierunt, quum lege Hieronica

2. *At ego*. Sed huic summæ, dices, desunt 43,600 mod. ut 400,000 illa rotundentur. Fateor equidem, ait Tullius; sed in hac supputanda ratione, non eos numero qui quaterna, aut quina medimna solverunt.

3. *Medimna*. Alii, *medimnum*. J. V. L.

4. *Singula nummum*. Sic Gruterus et eum sequuti in his duobus locis dederunt; sed Grævius ex vetustis editis restituit, *singula medimna*...*singulos nummos*, quam lectionem habet quoque MS regius optimus. J. V. L.

5. Olim, *accedant*. — His 356,400 mod. accedebant sestertium 90,000 (18,450 fr.), quæ pretium sunt 6,000 medimnum aut 36,000 modiorum, quæ si addantur priori summæ, fient omnino 392,400 mod. Quæ summa ab his 400,000, quæ lucri facta esse a Verre Cicero se velle ostendere pollicitus est, parum distat.

6. *Si ex lege*. Si legem sequutus es, magno vendidisti. Sin autem vendidisti sine lege, aut si libido tua tibi pro lege fuit, et de exigendis non decumis, sed dimidiis cogitasti, multo pluris etiam vendere potuisti.

7. *Sæpe decumæ*. Nempe solers prætor, quo frumenti copia major ad populum rom. perveniret, curare po-

venirent, quanti nunc lege Verrea venierunt. Cedo mihi C. Norbani decumas venditas. C. NORBANI DECUMÆ VENDITÆ AGRI LEONTINI. Atqui tum neque judicium de modo[8] jugerum dabatur; neque enim erat Artemidorus Cornelius recuperator; neque ab aratore magistratus Siculus tantum exigebat, quantum decumanus ediderat; nec beneficium petebatur a decumano, ut in jugera singula ternis medimnis decidere liceret; nec nummorum accessionem cogebatur arator dare; nec ternas quinquagesimas frumenti addere : et tamen populo romano magnus frumenti numerus mittebatur.

L. Quid vero istæ sibi quinquagesimæ, quid porro nummorum accessiones volunt? Quo id jure, atque adeo, quo id [potius] more[1] fecisti? Nummos dabat arator: quomodo? aut unde? Qui, si largissimus[2] esse vellet, cumulatiore mensura uteretur, ut antea solebant facere in decumis, quum æqua lege et conditione venibant. Is nummum dabat. Unde? de frumento? quasi

terat ut quam maximo emerent publicani, neque tamen plus quam decumam ab aratoribus auferrent. Laudatur ergo Norbanus prætor, quod magno vendiderit, servata tamen lege Hieronica, sine ullis aratorum injuriis: Verres culpatur, quod, quum longe pluris vendere potuisset, tantam decumanis licentiam non ad suum quæstum, sed ad utilitatem ærarii permiserit. FERRAT. — Ceterum hæc non omnino nodum explicant. Quum Cicero supra feracissimos agros medimna decem in jugere uno ferre dixerit, tum maxime qui fieri potest ut Norbanus, ex lege Hieronica, quæ medimna singula in decem exigebat, tria medimna ex singulis jugeribus obtinere potuerit? Forsan lucri quidpiam decumano ab aratore dabatur, præter *cumulatiorem mensuram*, quæ cap. 50 commemoratur, ita ut plusquam decumæ penderentur. Necesse enim erat ut aut perderent decumani, aut vexarentur aratores.

8. *Judicium de modo*. Id est, in eos aratores, qui jugerum, quæ arabant, numerum professi non essent. Nota quam breviter et invidiose Verris iniquitates colligat orator.

L. 1. Sic ex cod. Franc. emendavit Ernest. Vulgo, *ore*. J. V. L. In fine enim argumentationis Cicero repetit sententiam « hoc neque exemplo... neque ullo jure fecit ». Idem Ernest. « Potius » uncis inclusit, ut frigidius.

2. *Largissimus*. Si voluisset arator se liberalissimum ostendere, poterat cumulatiorem mensuram dare.

habuisset, te prætore, quod venderet. De vivo[3] igitur erat aliquid resecandum, ut esset, unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium[4] nummorum adderetur. Jam id porro utrum libentes, an inviti dabant; libentes? amabant, credo, Apronium: inviti? qua re, nisi vi et malo, cogebantur? Jam iste, homo amentissimus, in vendundis decumis nummorum faciebat accessiones[5] ad singulas decumas: neque multum; bina aut terna millia addebat. Fiunt per triennium H-S fortasse ɪↄ millia. Hoc neque exemplo cujusquam, neque ullo jure fecit: neque eam pecuniam retulit[6]: neque hoc parvum crimen[7] quemadmodum defensurus sit, homo quisquam umquam excogitabit[8].

Quod quum ita sit, audes dicere, te magno decumas vendidisse, quum sit perspicuum, te bona fortunasque aratorum, non populi romani, sed tui quæstus causa, vendidisse? Ut, si quis villicus[9] ex

3. *De vivo*. De necessario detrahendum erat. Translatum a medicis qui etiam ad vivum solent amputare, ut incolumitatem ægri retineant.

4. *Corollarium*. Corollarium, inquit Varro, dicitur quod additum, præterquam quod debitum. Ejus vocabulum fictum a corollis; quod hæ, quum placuerant actores, in scena dari solitæ. Confer Verr. IV, 16.

5. *Faciebat accessiones*. Cogebat aratores, ut nummos decumis et priori lucro adderent, atque sibi bina vel terna sestertium millia dari exigebat. Erant autem Siciliæ populi, teste Plinio, LXXII; pro quorum singulis decumis si bina sestertium millia exigantur, erunt 144,000 annua (29,520 fr.), et triennio fient 432,000 sest. (88,560); eoque amplius, quod a nonnullis non bina, sed terna nummorum millia exigerentur.

6. *Retulit*. In ærarium et ad publicam pecuniam referri jussit; aut ejus rei rationes habuit.

7. *Neque hoc parvum crimen*. Et quamvis hoc leve videatur crimen, si cum tot aliis conferatur. Sic Manut. Crediderim potius h. l. aut ironice dictum, aut bis repetendam negativam *neque*, ita ut sit; Nec, quisquam excogitabit qua ratione possit illud non ita parvum crimen defendere. Neque enim illud in minimis erat, postquam tantam frumenti vim a miseris aratoribus expresserat, etiam pecuniam extorquere quæ eo amplior erat quo improbius jam habiti fuerant aratores.

8. *Excogitabit*. Alii, *excogitavit*. J. V. L.

9. *Villicus*. Plerumque servus erat, cui villæ cura erat commissa. Conf. Varr. de Re R. I, 2; Colum. in Præf. lib. XII; Horat. Epist. I, 14.

eo fundo, qui H-S dena meritasset[10], excisis arboribus ac venditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato, domino xx millia[11] nummum pro x miserit, sibi alia præterea centum confecerit: primo dominus, ignarus incommodi sui, gaudeat, villicoque delectetur, quod tanto sibi plus[12] mercedis ex fundo refectum sit : deinde, quum audierit, eas res, quibus fundi fructus et cultura continetur, amotas et venditas; summo supplicio villicum afficiat, et secum male actum putet : item populus romanus quum audit, pluris decumas vendidisse C. Verrem, quam innocentissimum hominem, cui iste successit, C. Sacerdotem, putat se bonum in arationibus fructibusque suis habuisse custodem ac villicum; quum senserit, istum omne instrumentum aratorum, omnia subsidia vectigalium vendidisse, omnem spem posteritatis[13] avaritia sua sustulisse, arationes et agros vectigales vastasse atque exinanisse, ipsum maximos quæstus prædasque fecisse; intelliget secum actum esse pessime, istum autem summo supplicio dignum existimabit.

LI. Unde ergo hoc[1] intelligi potest? Ex hoc maxime, quod ager decumanus provinciæ Siciliæ propter istius avaritiam desertus est : neque id solum accidit, uti minus multis[2] jugis ararent, si qui in agris remanse-

10. *Meritasset.* Ex quo ad dominum sest. dena millia redirent (2,050 fr.). Sic apud Plaut. Pseud. IV, 7, 89, 90: «quid meret hæc machæra ?» Sic Grutter. Verburg. Ernest. Grævius autem ex Victorio et P. Manutio : «cui H-S dena merces esset»; cui assentiuntur Olivet. et Lallem. Desjardins cum Hotom. legendum censet : «cujus sestertium denum merces est». Cur non servetur vulgata non video.

11. xx *millia.* 4,100. — *Centum.* Sub. millia (20,500).

12. *Tanto plus.* Nempe duplo.

13. *Posterit.* Annorum sequentium.

LI. 1. *Hoc.* Nempe istum omne instrumentum aratorum, omnia subsidia vectigalium vendidisse.

2. *Minus multis.* Multo minus numerosis aratris. Jugum enim h. l. idem sonat quod par boum, qui bini aratro alligantur.

runt; sed etiam, ut permulti locupletes homines, magni et navi aratores, agros latos[3] ac fertiles desererent, totasque arationes derelinquerent. Id adeo sciri facillime potest ex literis publicis civitatum, propterea quod lege Hieronica numerus aratorum quotannis apud magistratus publice subscribitur. Recita tandem, quot acceperit[4] aratores agri Leontini Verres. — LXXXIII. — Quot anno tertio profiteantur. — XXXII. — Unum et quinquaginta aratores ita video dejectos[5], ut his ne vicarii quidem successerint. Quot aratores, adveniente te, fuerunt agri Mutycensis? videamus ex literis publicis. — CLXXXVIII. — Quid? anno tertio? — CL. — LXXXVII aratores unus ager istius injuria desiderat; atque adeo nostra respublica, quoniam illa populi romani vectigalia sunt, hunc tot patrumfamilias numerum desiderat et reposcit. Ager Herbitensis primo anno habuit aratores ducentos quinquaginta septem, tertio centum viginti : hinc centum triginta septem patresfamilias extorres profugerunt. Agyrinensis ager, quorum hominum! quam honestorum! quam locupletium! ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno præturæ tuæ. Quid tertio anno? octoginta, quemadmodum legatos Agyrinenses recitare ex publicis literis audistis.

LII. Pro dii immortales! si ex provincia tota centum septuaginta ejecisses, possesne, severis judicibus, salvus esse? Unus ager Agyrinensis CLXX ara-

3. *Latos*. Ern. antiquam hanc lectionem optimo jure prætulit; multi cum Gruter. *lætos* dederunt, quod multo minus aptum est. Præterquam quod figura sit poetis notior quam oratoribus, idem significatur sequenti epitheto « fertiles » : et *lati agri* conveniunt *magnis aratoribus*.

4. *Acceperit*. Quot fuerint, quum venit in Siciliam Verres. — Loco « profiteantur », cum signo interrogandi « profitebantur » extulit Grævius.

5. *Dejectos*. Omnino agris spoliatos. Ernest. malit « ejectos » minus significanter.

toribus inanior quum sit, vos conjecturam totius provinciæ non facietis? Atque hoc peræque in omni agro decumano reperietis : quibus aliquid tamen reliqui fuerit ex magno patrimonio, eos in agris minore instrumento, minus multis jugis [1], remansisse, quod metuebant, si recessissent, ne reliquas fortunas omnes amitterent; quibus autem iste nihil reliqui, quod perderent, fecerat, eos plane non solum ex agris, verum ex civitatibus suis profugisse. Illi ipsi, qui remanserant, vix decuma pars aratorum, relicturi agros omnes erant, nisi ad eos Metellus Roma literas misisset, se decumas lege Hieronica venditurum; et nisi ab iis hoc petivisset, ut sererent quam plurimum : quod illi semper sua causa [2] fecerant, quum eos nemo rogaret, quamdiu intelligebant, sese sibi et populo romano, non Verri et Apronio serere, impendere, laborare. Jam vero, judices, si Siculorum fortunas negligitis; si, quemadmodum socii populi romani a magistratibus nostris tractentur, non laboratis : at vos communem populi romani causam [3] suscipite atque defendite. Ejectos aratores esse dico; agros vectigales vexatos atque exinanitos a Verre; populatam vexatamque provinciam : hæc omnia doceo literis publicis [4] honestissimarum civitatum, et privatis primariorum virorum testimoniis.

LIII. Quid vultis [1] amplius? num exspectatis, dum

LII. 1. *Multis jugis*. Optime cod. Nann. Olim, *multis locis*. J. V. L.

2. *Sua causa*. Ad emolumentum suum. Alii, *sui*.

3. *Populi rom. causam*. Si vos Siculorum non miseret, si, quomodo socii a magistratibus habeantur, parum curatis; at saltem populo rom. subvenite, quia quæ Verres in Sicilia prædatus est, ea de populi rom. victu, de vectigalium nervis, de sanguine detraxit ærarii. Locus ab honesto, et brevis subjectio miseriæ Siculorum, quibus præparantur animi ad locum de eorumdem testimonio.

4. *Literis publicis*. Aberant hæc duo verba; recepimus e codd. J. V. L.

LIII. 1. *Quid vultis*. Non parum

L. Metellus is, qui multos in istum testes imperio et potestate deterruit[2], idem absens de istius scelere, improbitate, audacia testimonium dicat? non opinor. At is optime, qui successit isti, potuit cognoscere. Ita est: verum amicitia impeditur. At debet nos certiores facere, quo pacto se habeat provincia. Debet: verumtamen non cogitur. Num quis in Verrem L. Metelli testimonium requirit? nemo: num quis postulat? non opinor. Quid, si testimonio L. Metelli ac literis hæc omnia vera esse doceo[3]? quid dicetis? utrum Metellum falsum scribere? an amicum[4] lædendi esse cupidum? an prætorem, quemadmodum provincia affecta[5] sit, nescire? Recita literas L. Metelli, quas ad Cn. Pompeium et M. Crassum consules, quas ad M. Mummium prætorem, quas ad quæstores urbis misit. Epistola L. Metelli. Decumas frumenti lege Hieronica vendidi. Quum scribit, se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? ita se vendidisse, ut omnes, præter Verrem: quum scribit, se lege[6] Hieronica vendidisse, quid scribit? se per istum erepta[7] Siculis majorum nostrorum beneficia, jus ipsorum, conditionem societatis, amicitiæ, fœderum reddidisse. Dicit, quanti cujusque agri decumas vendiderit: deinde quid scribit? Recita de epistola reliqua. Summa[8] data est

auctoritatis additur huic Metelli testimonio ab adjunctis ejusdem facti et amicitiæ cum Verre.

2. *Deterruit*. Ne Romam venirent ad testimonium contra Verrem dicendum.

3. *Doceo*. Sic correxit Ernest. vulgatum *docebo*. Quia semper ita a Cic. effertur, ut supra c. 46, et passim.

4. *An amicum*. An in illa respondendi penuria credetis eum amico suo velle nocere. Quod certe nemo dicat; amicum nempe lædere nemo cupit.

5. *Affecta*. Cod. Nann. *Afflicta sit*.

6. *Quum scribit se lege*. Iteratio hæc vim addit orationi, ita ut non a Cicerone esse cum Ernest. non credendum sit; quippe quæ, non sententiam, ut ipse ait, delumbet ac frangat, sed contra sit vehementior.

7. *Erepta Siculis*. Amplificatio per distributionem.

8. Al. *summa vi*. Herel. conj. *summaque*. Grut. priorem lect. probavit. J. V. L.

OPERA A ME, UT QUAM PLURIMO DECUMAS VENDEREM. Cur igitur, Metelle, non ita magno vendidisti? quia desertas arationes, inanes agros, provinciam miseram perditamque offendi. Quid? id ipsum, quod satum est, qua ratione quisquam, qui sereret, inventus est? Recita literas. LITERÆ. Ait se misisse, et præsentem confirmasse, suam interposuisse auctoritatem: tantum quod[9] aratoribus Metellus obsides non dedit, se nulla in re Verri similem futurum. At quid est tandem, in quo se laborasse dicat? Recita. Ut ARATORES, QUI RELIQUI ERANT, QUAM PLURIMUM SERERENT. Qui reliqui? quid hoc est? reliqui? quo ex bello? qua ex vastitate? quænam in Sicilia tanta clades, aut quod bellum tam diuturnum, tam calamitosum, te prætore, versatum est, ut is, qui tibi successerit, reliquos aratores collegisse et recreasse videatur?

LIV. Quum bellis[1] Carthaginiensibus Sicilia vexata est, et post nostra patrumque memoria quum bis in ea provincia[2] magnæ fugitivorum copiæ versatæ sunt[3]; tamen aratorum interitio[4] facta nulla est: tum, semente prohibita, aut messe amissa, fructus annuus interibat; tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum: tum, qui M. Lævino[5], aut

9. *Tantum quod.* Insolens locutio, pro non longe abest quin dederit obsides. Propemodum dedit.

LIV. 1. *Quum bellis.* De bellis Punicis in Sicilia, et tempore quo primum arma Pœni in Siciliam intulerunt; vide Rollinum Histor. t. I.

2. *Bis in ea provincia.* Syrus quidam, Eunus nomine, ad libertatem et arma servos concitavit, anno 618. Vid. Sigon. in Fastis ad hunc annum. Post aliquot annos, quum vix a bellis respiraret insula, Cilix quidam pastor, Athenio, bellum renovavit. Vide Florum, lib. III, cap. 19. Eunum Rupilius anno 621, Athenionem M. Aquilius anno 651 devicit.

3. *Sunt.* Alii, *sint.* J. V. L.

4. *Interitio.* Sic nonnulli codd. et ipse Nonius a Cicerone ita usurpatum esse probat. Alii, *internecio.* J. V. L.

5. Olim *Levinio.* Pighius sine causa mallet, *proconsulibus et præt.* J. V. L. Ernest. bene monuit omnes provinciarum rectores communi nomine prætores dici. Sic vice versa *proconsul* loco *proprætor.* Vid. Suet. in Aug. 3, ibique Torrent. et Ernest.

P. Rupilio, aut M. Aquillio, prætoribus[6], in eam provinciam successerant, aratores reliquos non colligebant[7]. Tantone plus Verres cum Apronio provinciæ Siciliæ calamitatis importavit, quam aut[8] Hasdrubal cum Pœnorum exercitu, aut Athenio cum fugitivorum maximis copiis; ut temporibus illis, simul atque hostis superatus esset, ager araretur omnis, neque aratori prætor per literas[9] supplicaret, neque eum præsens oraret[10], ut quam plurimum sereret; nunc autem, ne post abitum quidem hujus importunissimæ pestis, quisquam reperiretur, qui sua voluntate araret? pauci essent reliqui, qui L. Metelli auctoritate in agros, atque ad suum larem familiarem redirent? His te literis, homo audacissime atque amentissime, jugulatum esse non sentis? non vides, quum is, qui tibi successit, aratores reliquos appellet, hoc eum diserte scribere, reliquos hos esse, non ex bello, neque ex aliqua hujusmodi calamitate, sed ex tuo scelere, importunitate, avaritia, crudelitate? Recita cetera. TAMEN PRO EO, UT TEMPORIS DIFFICULTAS, ARATORUMQUE PENURIA TULIT. Aratorum, inquit, penuria. Si ego accusator toties de re eadem dicerem, vererer, ne animos vestros offenderem, judices: clamat Metellus: NISI LITERAS MISISSEM: non est satis. NISI PRÆSENS CONFIRMASSEM: ne id quidem satis est. RELIQUOS, inquit, ARATORES: reliquos? prope lugubri verbo calamitatem provinciæ Siciliæ significat: addit, ARATORUM PENURIA.

6. *Prætoribus.* Id est, proconsulibus; nam promiscue sæpe sumuntur.

7. *Non colligebant.* Quia non diffugerant, ut Verre prætore diffugerunt.

8. *Hasdrubal.* Plures hujus nominis reperiuntur duces; ille Hannonis filius bello primo Punico bellum gessit in Sicilia. Polyb. lib. I.

9. *Per literas supplicaret.* Uti supplicavit Metellus.

10. *Præsens oraret.* Ut idem Metellus. De Athenione, servorum rege, cf. Flor. III, 19, p. 259 ed. nost.

LV. Exspectate etiam, judices, exspectate, si potestis, auctoritatem accusationis meæ. Dico aratores istius avaritia ejectos: scribit Metellus, reliquos ab se esse confirmatos. Dico agros relictos, arationesque desertas esse: scribit Metellus aratorum esse penuriam. Hoc quum scribit, illud ostendit, dejectos, ejectos [1], fortunis omnibus expulsos esse populi romani socios atque amicos. Quibus si qua calămitas propter istum, salvis vectigalibus nostris, accidisset, animadvertere in eum vos oportebat; præsertim quum ea lege [2] judicaretis, quæ sociorum causa esset constituta: quum vero, perditis profligatisque sociis, vectigalia populi romani sint deminuta; res frumentaria, commeatus, copiæ, salus Urbis [3] atque exercituum nostrorum in posteritatem istius avaritia interierit; saltem commoda populi romani respicite, si sociis fidelissimis prospicere non laboratis. Atque, ut intelligatis, ab isto, præ lucro, prædaque præsenti, nec vectigalium, nec posteritatis habitam esse rationem; cognoscite, quid ad extremum scribat Metellus: IN RELIQUUM TEMPUS VECTIGALIBUS PROSPEXI. In reliquum tempus ait se vectigalibus prospexisse. Non scriberet, se vectigalibus prospexisse, nisi hoc vellet ostendere, te vectigalia perdidisse. Quid enim erat, quod vectigalibus prospiceret Metellus in decumis, et in tota re frumentaria, si iste non vectigalia populi romani suo quæstu pervertisset? Atque ipse Metellus, qui vecti-

LV. 1. *Dejectos, ejectos.* Dejecti dicuntur, qui aut vi externa, aut calamitate aliqua fortunas suas amiserunt. Ejecti, qui prohibiti sunt accedere.

2. *Ea lege.* Ut judices officii sui commoneat, sæpius inculcat, legem qua judicant esse de repetundis, sociorum causa, constitutam; et etiamsi nihil detrimenti accepisset populus romanus severe tamen socios esse ulciscendos.

3. *Salus Urbis.* Quæ vectigalibus et re frumentaria continetur. Sic pro lege Manilia, c. 2, vectigalia, subsidia belli et pacis ornamenta appellat.

galibus prospicit, qui reliquos aratores colligit, quid assequitur, nisi hoc, ut arent; si quid possunt, quibus aratrum saltem aliquod satelles istius Apronius reliquum fecit; qui tamen in agris[4] spe atque exspectatione Metelli[5] remanserunt? Quid? ceteri Siculi, quid? ille maximus numerus aratorum, qui non modo ex agris ejecti sunt, sed etiam ex civitatibus suis, ex provincia, denique bonis fortunisque omnibus ereptis, profugerunt, qua ratione ii revocabuntur? quot prætorum innocentia sapientiaque opus est, ut illa aratorum multitudo aliquando in suis agris ac sedibus collocetur?

LVI. Ac, ne miremini[1], tantam multitudinem profugisse, quantam ex literis publicis, aratorumque professionibus[2] cognovistis; scitote, tantam acerbitatem istius, tantum scelus in aratores fuisse (incredibile dictu est, judices: sed et factum, et tota Sicilia pervulgatum), ut homines, propter injurias licentiamque decumanorum, mortem sibi ipsi consciverint. Centuripinum Dioclem, hominem locupletem, suspendisse se constat, quo die sit ei nuntiatum, Apronium decumas redemisse. Dyrrhachinum[3], primum civitatis, eadem ratione mortem oppetisse, dixit apud vos homo nobilissimus, Archonidas Elorinus, quum audisset tantum decumanum professum esse[4] ex edicto istius sibi deberi, quantum ille bonis suis omnibus efficere non posset.

4. *Qui tamen in agris.* Qui tot injuriis vexati, tamen in agris manserunt.

5. *Exspectatione Metelli.* Aut propter notam Metelli probitatem, aut quia, Verre sublato, sese feliciores, quovis alio prætore, futuros existimarent.

LVI. 1. *Ac, ne miremini.* Comparatione majorum minora hæc, quæ hactenus posuit, vera esse, et multo atrociora sub Verre evenisse demonstrat.

2. *Aratorum professionibus.* Id est, ex eorum aratorum numero, qui jugera sunt professi et quorum nomina in publicis tabulis inscripta sunt.

3. *Dyrrhachinum.* Nomen hominis.

4. *Decumanum professum esse.* De-

Hæc tu, tametsi omnium hominum dissolutissimus crudelissimusque semper fuisti, tamen numquam perpeterere, quod illi gemitus luctusque provinciæ ad tui capitis periculum pertinebant: non, inquam, perpeterere, ut homines injuriæ tuæ remedium morte ac suspendio quærerent, nisi ea res ad quæstum et ad prædam tuam pertineret. Quid? illud[5] perpeterere? attendite, judices; omnibus enim nervis mihi contendendum[6] est, atque in hoc laborandum, ut omnes intelligant, quam improbam, quam manifestam, quam confessam[7] rem pecunia redimere conentur[8]. Grave crimen est hoc, et vehemens, et post hominum memoriam, judiciaque de pecuniis repetundis constituta, gravissimum, prætorem populi romani socios habuisse decumanos.

LVII. Non hoc[1] nunc primum audit privatus[2] de inimico, reus ab accusatore: jam antea in sella sedens prætor, quum provinciam Siciliam obtineret, quum ab omnibus[3] non solum, id quod[4] commune est, propter imperium, sed etiam, id quod istius præ-

claravisse se, ex Verris edicto, petiturum sub nomine decumarum, tantum quantum ille Dyrrhachinus ex bonis suis omnibus divenditis efficere non posset. Conf. supr. c. 10.

5. *Quid? illud perpeterere?* Subaudi: Imo omni ratione præcavisses, nisi tuæ salutis curam avaritia tua superasset.

6. *Connitendum.* Probat Gruterus atque admittit hanc lectionem libri Nanniani. Ernest. vulgatam tuetur. J. V. L. Imo vulgata multo aptius metaphoræ ab arcu ductæ et *nervis* respondet.

7. *Confessam.* Quod palam omnes confitentur; quod omnibus innotuit. Mallet Græv. « professam » ex cod. Franc.

8. *Conentur.* Verris defensores, corrumpendo pecunia judicium. Societatem Verris cum publicanis, quam attigit supra, nunc absolvit.

LVII. 1. *Non hoc.* Non igitur falso dici potest crimen illud objici, quod omnibus innotuit, et reo millies jam objectum est.

2. *Privatus.* Id est, ex quo jam est privatus, finito nempe magistratus sui tempore.

3. *Quum ab omnibus.* Siculis.

4. *Commune.* Omnium magistratuum, qui, propter imperium, provincialibus metuendi videbantur.

cipuum[5] est, propter crudelitatem metueretur, millies audivit, quum ejus animum ad[6] persequendum non negligentia tardaret, sed conscientia[7] sceleris avaritiæque suæ refrenaret. Loquebantur enim decumani palam, et præter ceteros[8] is, qui apud istum plurimum poterat, maximosque agros populabatur, Apronius: perparvum ex illis magnis lucris ad sese pervenire; prætorem esse socium[9]. Hoc quum palam decumani tota provincia loquerentur, tuumque nomen in re tam turpi nefariaque interponerent; nihilne tibi venit in mentem existimationi tuæ consulere? nihil denique capiti ac fortunis tuis providere? Quum tui nominis terror in auribus animisque aratorum versaretur; quum decumani aratoribus ad pactiones faciendas, non suam vim, sed tuum scelus ac nomen opponerent[10]: ecquod judicium Romæ tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium[11] fore putasti, quo ex judicio te ulla Salus[12] servare posset? quum planum fieret, decumis contra instituta, leges, consuetudinemque omnium venditis, in aratorum bonis fortunisque diripiendis decumanos dictitasse tuas esse partes[13], tuam rem, tuam prædam; idque te tacuisse, et, quum dissimulare non posses, potuisse

5. *Præcipuum*. Proprium, soli Verri peculiare.

6. *Ad persequendum*. Ad vindicandum istud opprobrium.

7. *Sed conscientia*. Sed quia sibi ipse scelera sua dissimulare non posset, et vera sibi objici conscius esset.

8. *Et præter ceteros*. Hæc non otiosa sunt, vim addunt a persona.

9. *Prætorem esse socium*. Se de tanta pecunia pauca lucrari, in hac furtorum redemptione omnia ad Verrem socium et magistrum redire.

10. *Nomen opponerent*. Tuo nomine ad vexandos aratores abuterentur.

11. *Nummarium*. Pecunia corruptum. Sic « nummarii judices » pro Cluent.

12. *Salus*. Nomen proprium et Deam significat. Ædes ei a C. Junio Bubulco censore locata fuit, quam consul bello Samnitium voverat, et quam postea dictator dedicavit. Liv. IX, c. 43, t. III, pag. 110 edit. nostræ.

13. *Tuas esse partes*. Tuum esse negotium.

tamen perpeti et perferre, quod magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem, plusque aliquanto apud te pecuniæ cupiditas, quam judicii metus posset? Esto; cetera negare non potes: ne illud quidem tibi reliquum fecisti, ut hoc posses dicere, nihil eorum te audisse, nihil ad tuas aures de infamia tua pervenisse? Querebantur cum luctu et gemitu aratores: tu id nesciebas? Fremebat tota provincia: nemo id tibi renuntiabat? Romæ querimoniæ de tuis injuriis, conventusque habebantur: ignorabas hæc? ignorabas hæc omnia? Quid? quum palam Syracusis, te audiente, maximo conventu P. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessivit[14], NI APRONIUS DICTITARET, TE SIBI IN DECUMIS ESSE SOCIUM: hæc te vox non perculit[15]? non perturbavit? non, ut capiti et fortunis tuis prospiceres, excitavit? Tacuisti: sedasti etiam lites illorum; et sponsio illa ne fieret, laborasti.

LVIII. Pro dii immortales! hoc innocens homo perpeti potuisset? aut quamvis nocens, qui modo judicia Romæ fore putaret, non aliqua simulatione existimationi se[1] hominum venditasset[2]? Quid est hoc? sponsio fit de capite[3] ac fortunis tuis: tu sedes et quiescis? non persequeris[4]? non perseveras? non perquiris, cui dixerit Apronius? quis audierit? unde hoc natum, quemadmodum prolatum sit? Si quis tibi ad aurem accessisset, et dixisset, Apronium dictitare, te sibi esse socium; commoveri te oportuit,

14. *Sponsione lacessivit.* Vid. cap. 60, n. 3, et adi ad calc. prim. vol. Excurs. de priv. jud.

15. Ern. e conjectura dederat *percussit.* J. V. L. Frustra. Nam « perculit » de prima impressione dicitur, quam illa vox in Verris animo facere debebat. Neque ideo vehementius. Schutz.

LVIII. 1. *Existimationi se.* Simulata aliqua virtute effecisset, ut homines de se bene existimarent.

2. Alii male, *vindicasset.* J. V. L.

3. *De capite.* I. e. de jure civitatis. Damnatus nempe exsilio multabatur.

4. *Non persequeris.* Accusatores non calumniæ judicio persequeris.

vocare Apronium, nec illum ante tibi[5] satisfacere, quam tu omnium existimationi satisfecisses. Quum vero in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc, verbo et simulatione, Apronio, re vera, tibi objectum esset, tu umquam tantam plagam tacitus accipere potuisses, nisi hoc ita statuisses, in re tam manifesta quidquid dixisses, te deterius esse facturum? Quæstores[6], legatos, præfectos suos, tribunos, multi missos fecerunt, et de provincia decedere jusserunt, quod eorum culpa se minus[7] commode audire arbitrarentur, aut quod peccare illos aliqua in re judicarent: tu Apronium, hominem vix liberum[8], contaminatum, perditum, flagitiosum, qui non modo animum integrum[9], sed ne animam[10] quidem puram conservare potuisset, eum, in tanto tuo dedecore, non[11] profecto ne verbo quidem graviore appellasses, neque apud te tam sancta religio societatis fuisset, ut tui capitis periculum negligeres; nisi rem tam notam esse omnibus, et tam manifestam[12] videres. Cum eodem Apronio postea P. Scandilius, eques romanus, quem vos omnes nostis, eamdem sponsionem de societate[13] fecit, quam Rubrius facere voluerat. Institit, oppressit, non remisit: facta est sponsio H-S v millium[14]:

5. *Tibi satisfacere.* Nec illum tibi purgatum esse, antequàm tu purgatus esses omnibus.

6. *Quæstores.* Ordinem servavit; nam quæstor legato, legatus præfecto, præfectus tribuno milit. honore præit.

7. *Se minus.* Famam suam tantisper lædi crederent.

8. *Vix liberum.* Libertinus erat.

9. *Animum integrum.* Ab avaritia, libidine, et vitiis omnibus, quæ sæpius jam enumerata vidisti.

10. *Animam.* Halitum. Apronius teterrimum exhalabat odorem.

11. Olim *dedecore profecto.* Sequimur Ernest. Restat tamen aliquid vitii. J. V. L.

12. *Tam manifestam.* Ut quidquid contra diceres, aut ageres, fidem nemini umquam esses facturus.

13. *De societate.* Decumanorum.

14. v *millium.* 1,025 fr. Palatinus uterque rejicit illud *millium;* primæ etiam editiones, teste Grutero, non agnoscunt. J. V. L.

cœpit Scandilius recuperatores[15], aut judicem postulare.

LIX. Satisne vobis prætori improbo circumdati cancelli[1] videntur in sua provincia, imo vero in sella ac tribunali; ut aut de suo capite judicium fieri patiatur præsens ac sedens[2], aut confiteatur, se omnibus judiciis convinci necesse esse? Sponsio est, NI TE APRONIUS IN DECUMIS SOCIUM ESSE DICAT; provincia tua est; ades; abs te judicium postulatur. Quid facis? quid decernis? Recuperatores dicis te daturum. Bene agis[3]: tametsi qui erunt tantis cervicibus[4] recuperatores, qui audeant in provincia, quum prætor adsit, non solum contra voluntatem ejus, sed etiam contra fortunas judicare? Verum esto[5]: manifesta res est, quum nemo esset, quin hoc se audisse liquido diceret, locupletissimus quisque certissimus testis esset: nemo erat Sicilia tota, qui nesciret decumas esse prætoris; nemo, qui non audisset ita Apronium dictitasse: præterea conventus honestus Syracusis, multi equites romani, viri primarii, ex qua copia[6] recuperatores rejici oporteret, qui aliter[7] judicare nullo modo possent. Instat Scandilius poscere recuperatores. Tum iste homo innocens, qui illam suspicio-

15. *Recuperatores.* In privatis judiciis arbitratu prætoris, aut judex dabatur unus, qui de facto cognosceret, aut recuperatores tres.

LIX. 1. *Cancelli.* Septa ex ferro in modum retis facta.— *Circumdati cancelli* metaphorice dicuntur illis, qui undique tenentur, neque elabi possunt.

2. *Præsens ac sedens.* Notanda in his emphasis.

3. Lallem. post Grævium maluit, *Bene ais*, ut infra, c. 62. J. V. L.

4. *Tantis cervicibus.* Tam forti, tam libero animo. Translatio a bobus sumpta, quorum robur in cervicibus præcipuum est.

5. *Verum esto.* Sed reperientur ista animi fortitudine recuperatores; quia manifesta res est, et conventus ille honestus in primis est, aliter judicare non poterunt..

6. *Ex qua copia.* Ex quorum numero sunt eligendi judices.

7. *Qui aliter.* Id est, contra Scandilium.

nem levare, atque ab se removere cuperet, recuperatores dicit se de cohorte sua daturum.

LX. Pro deum hominumque fidem! quem ego accuso? in quo meam industriam ac diligentiam spectari volo? quid est, quod ego dicendo, aut cogitando efficere, aut assequi debeam? Teneo, teneo, inquam, in mediis vectigalibus populi romani, in ipsis fructibus provinciæ Siciliæ, furem, manifesto avertentem[1] rem frumentariam omnem, pecuniam maximam: teneo, inquam, ita, ut negare non possit. Nam quid hic dicet? Sponsio facta est cum cognitore[2] tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, ni socium[3] te sibi[4] in decumis esse dictitaret. Exspectant omnes, quantæ tibi ea res curæ sit, quemadmodum hominum existimationi te atque innocentiam tuam probari velis. Hic tu medicum[5], et aruspicem, et præconem tuum, recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianum[6] judicem habebas, si qua res major esset, Papirium Potamonem[7], hominem severum, ex vetere illa equestri disciplina? Scandilius postulare de conventu[8] recuperatores. Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam, nisi suis, commis-

LX. 1. Cod. Nann. C. Stephan. Græv. Garaton. Beck. *averrentem*. J. V. L. Sed in re tam atroci *Verris* paronomasia inepta esse et lusus puerilis videtur.

2. *Cum cognitore*. Cognitor proprie dicebatur voluntarius susceptor alienæ litis; hic invidiose significat eum qui causam, qui partes Verris susciperet in agenda præda, in furtis faciendis, in extorquenda pecunia et frumento.

3. *Ni socium*. Formula sponsionis cujus sensus est: Qua sponsione contendit Scandilius probaturum se, pecuniæ suæ periculo, te Apronio socium in decumis fuisse, idque Apronium ipsum dictitasse.

4. *Se tibi*, recepta lectio a recentioribus e MS Nanniano; rectius vero habent edd. vett. *te sibi*, quod apte respondet formulæ sponsionis. J. V. L.

5. *Hic tu medicum*. Vide supra c. 21.

6. *Cassianum judicem*. Severissimum, similem L. illi Cassio, cujus tribunal reorum scopulus appellabatur.

7. *Potamonem*. Libertinum et Verris scribam. Severum illum vocat, ironice. Quis enim de Verris cohorte severus esse poterat?

8. *De conventu*. Syracusano.

surum. Negotiatores putant esse turpe, id forum[9] sibi iniquum ejurare[10], ubi negotientur; prætor provinciam suam totam sibi iniquam ejurat. O impudentiam singularem! Hic postulat se Romæ absolvi, qui in sua provincia judicavit, se absolvi nullo modo posse? qui plus existimet apud lectissimos senatores pecuniam, quam apud tres negotiatores metum[11] valere? Scandilius vero negat sese apud Artemidorum recuperatorem verbum esse facturum; et tamen auget[12] atque onerat te bonis conditionibus, si tu uti velis: si ex provincia Sicilia tota statuas idoneum judicem, aut recuperatorem nullum posse reperiri, postulat a te, ut Romam rejicias[13]. Hic enimvero tu exclamas, hominem improbum, qui postulet, ibi de tua existimatione judicium fieri, ubi te invidiosum esse intelligat[14]. Negas te Romam rejecturum; negas de conventu recuperatores daturum; cohortem tuam proponis. Scandilius rem se totam relicturum dicit, et suo tempore[15] esse rediturum. Quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis: quid[16]? sponsionem acceptam[17] facere? Impudenter tollis exspectatum existimationis tuæ judicium: non facis. Quid ergo? Apronio permittis, ut, quos velit, de cohorte sumat recuperatores? Indignum[18], uni potius ex iniquis

9. *Forum.* Jurisdictionem ejus urbis in qua negotiantur.

10. *Ejurare.* Id est, aliquem recusare ut iniquum sibi.

11. *Metum.* Prætoris. Verres putavit nullum sui metum apud eos judices valiturum, quin severe judicarent.

12. *Auget.* Augeri conditionibus dicitur, cui prioribus meliores offeruntur.

13. *Romam rejicias.* Subaudi: sponsionis factæ disceptationem.

14. *Intelligat.* Alii, *intelligebat.*

15. *Suo tempore.* I. e. tempore sibi magis commodo ac convenienti.

16. Schütz. nimia licentia verbum delet, legitque simpliciter, *Scandil. cogis sp. accept. façere?* J. V. L.

17. *Sponsionem acceptam.* Sponsionem propositam et acceptam persequi? Non facis, atque in eo fallis exspectationem hominum qui scire cupiebant quid de tua existimatione decerneretur. Quid ergo facis?

18. *Indignum.* Fœdum est potestatem sumendi ex iniquis (e cohorte Ver-

sumendi, quam utrisque ex æquis rejiciendi fieri potestatem. Neutrum facis eorum. Quid ergo? Est aliquid, quod improbius fieri potest. Cogit enim Scandilium quinque illa millia[19] nummum dare atque adnumerare[20] Apronio. Quid potuit elegantius facere prætor cupidus existimationis bonæ; qui ab sese omnem suspicionem propulsare[21], qui se eripere ex infamia cuperet?

LXI. Adductus erat in sermonem, invidiam, vituperationem; dictitarat homo improbus atque impurus, Apronius, socium esse prætorem; venerat res in judicium atque discrimen; potestas erat isti, homini integro atque innocenti, data, ut in Apronium quum animadvertisset, sese gravissima levaret infamia. Quid excogitat pœnæ? quid animadversionis in Apronium? cogit Scandilium Apronio, ob singularem improbitatem atque audaciam, prædicationemque nefariæ societatis, H-S v millia mercedis ac præmii dare. Quid interfuit, homo audacissime, utrum hoc decerneres; an id, quod Apronius dictitabat, tute de te profiterere ac dictitares? Quem hominem[1], si quis pudor in te, atque adeo si quis metus[2] fuisset, sine supplicio dimittere non debuisti; hunc abs te sine præmio discedere noluisti. Omnia simul intelligere potuistis, judices, ex uno crimine Scandiliano: primum, hoc non esse Romæ natum[3] de societate decumarum,

ris), fieri uni *Apronio*, potius quam rejiciendi (seligendi) ex æquis (integris hominibus de conventu Syracusano) utrisque (Scandilio et Apronio).

19. *Quinque illa millia* (1,025 fr.) quibus Scandilius sponsionem fecerat.

20. *Adnumerare.* Quasi lite cecidisset Scandilius.

21. *Propulsare.* Alii, *propulsaret.* Quod ex ed. P. Manut. in sequentes irrepsit.

LXI. 1. *Quem hominem.* Apronium.

2. *Si quis metus.* Legum ac judiciorum, quæ inde oriri poterant.

3. *Romæ natum.* Societas Verris cum decumanis non ficta est, non vana, non Romæ inventa.

non ab accusatore fictum; non (ut solemus interdum in defensionibus dicere) crimen domesticum ac vernaculum [4], non ex tempore periculi tui constitutum; sed vetus [excogitatum] jam, et, te prætore, jactatum, et non ab inimicis Romæ compositum, sed Romam de provincia deportatum [5]. Simul intelligi potest illud istius in Apronium studium, Apronii de isto non modo confessio, verum etiam commemoratio. Eodem accedit, quod hoc quoque intelligere potestis, istum statuisse, in provincia sua existimationis suæ judicium, extra cohortem suam, committendum fuisse nemini.

LXII. Ecquis est judex, cui non ab initio decumani criminis [1] persuasum sit, istum in aratorum bona fortunasque impetum fecisse? quis hoc non ex eo statim judicavit, quod ostendi, istum decumas nova lege, atque adeo nulla lege, contra omnium consuetudinem atque instituta vendidisse? Verum, ut istos ego judices tam severos, tam diligentes, tam religiosos non haberem; ecquis est, ex injuriarum magnitudine, improbitate decretorum, judiciorum iniquitate, qui hoc non jamdudum statuerit et judicarit? Etiam sane sit aliquis dissolutior [2] in judicando; legum, officii, reipublicæ sociorum atque amicorum negligentior: quid? is possitne de istius improbitate dubitare, quum tanta lucra facta, tam iniquas pactiones, vi et metu expressas cognoverit? quum tanta

4. *Vernaculum.* Verna servus est, in domo nostra natus ex ancilla. Crimen domesticum et vernaculum illud est, quod domi ex proposito confingitur ab accusatore. — *Ex tempore.* Ex occasione *periculi tui*, judicii in quod vocatus es.

5. *Deportatum.* Sic ex vet. cod. in margin. Lamb. Alii, *exportatum.*

LXII. 1. *Decumani criminis.* Accusationis decumarum nomine institutæ.

2. *Sit aliquis dissolutior.* Etiamsi non mihi judices adessent tam severi, tam fidei ac religionis observantes; quis vel in judicando mollior aliter possit sentire?

præmia civitates, vi atque imperio, virgarum ac mortis metu, non modo Apronio atque ejus similibus, verum etiam Veneriis servis[3] dare coactas? Quod si quis sociorum incommodis minus movetur; si quem aratorum fugæ, calamitates, exsilia, suspendia denique non permovent: non possum dubitare, quin is tamen, quum vastatam Siciliam, relictos agros, ex civitatum literis, et epistola L. Metelli cognoverit, statuat, fieri non posse, ut de isto non severissime judicetur. Erit etiam aliquis, qui hæc omnia dissimulare ac negligere possit? Attuli sponsiones[4] ipso præsente factas de decumarum societate, ab ipso prohibitas judicari : quid est, quod possit[5] quisquam manifestius hoc[6] desiderare? Non dubito, quin vobis satisfecerim, judices. Verumtamen progrediar longius : non mehercule quo magis hoc vobis persuadeatur, quam jam persuasum esse confido; sed ut ille aliquando impudentiæ suæ finem faciat; aliquando desinat, ea se putare posse emere[7], quæ ipse semper habuit venalia, fidem, jusjurandum, veritatem, officium, religionem; desinant amici ejus ea dictitare, quæ detrimento, maculæ, invidiæ, infamiæ nobis omnibus esse possint. At qui amici[8]? O miserum, atque invidiosum, offensumque paucorum culpa atque in-

3. *Veneriis servis.* Ex quibus Verres novum genus publicanorum instituerat, et quos suo, liberorumque suorum periculo divites faciebat. Vide supra cap. 38 et 40.

4. *Attuli sponsiones.* Rubrii et Scandilii, quibus cognitis, dissimulare jam nemo judex poterit. — *Prohibitas.* Quas judicari noluit. Vid. cap. 57.

5. *Possit.* Alii, *posset.* J. V. L.

6. *Manifestius hoc.* Possitne quidquam hoc argumento clarius postulari?

7. *Posse emere.* A vobis. Posse vos ab ejus pecunia corrumpi.

8. *At qui amici?* Hoc cum dolore pronuntiat et indignatione, quod Verris amici, qui ea dictitant, ut universum ordinem senatorium in invidiam adducant, senatores ipsi sint; sed ordinis maculæ, ut mox declarat orator, quum subjicit, *sedentes in faucibus macelli;* id est, in eo loco ubi stabat vilissimus quisque et maxime infamis, et tamquam publice profitentes se

dignitate ordinem senatorium! Albam Æmilium[9] sedentem in faucibus macelli loqui palam, VICISSE Verrem, emptos habere judices, alium H-S cccc[10] millibus, alium H-S ꟾↄ, quem minimo, ccc! Atque ei quum responsum esset, fieri non posse[11]; multos testes esse dicturos[12], me præterea causæ non defuturum: « Licet hercules, inquit, omnes omnia dicant in illum; nisi ita res manifesta erit allata, ut responderi nihil possit, vicimus». Bene ais[13], Alba: ad tuam veniam conditionem[14]: nihil putas valere in judiciis conjecturam, nihil suspicionem, nihil anteactæ vitæ existimationem, nihil bonorum virorum testimonia[15], nihil civitatum auctoritates ac testimonia: literas manifestas quæris[16]. Non quæro judices Cassianos; veterem[17] judiciorum severitatem non requiro; vestram in hoc fidem, dignitatem, religionem in judicando non imploro: Albam habebo judicem, eum hominem, qui se scurram improbissimum existimari vult[18]; qui a scurris potius semper gladiator, quam scurra ap-

ventri ac gulæ esse deditos. Vide pro P. Quinctio, cap. 6.

9. *Albam Æmilium.* Perditum et profligatum.

10. cccc *mill.* sest. (82,000 f.). ꟾↄ *mill.* sest. (102,500 fr.). ccc *mill.* sest. (61,500 fr.).

11. *Fieri non posse.* Ut Verres vinceret, vel emptis judicibus.

12. *Esse dicturos.* Laturos testimonium contra Verrem, ut ipsi, etiamsi velint, non possint absolvere eum judices omnium sententiis damnatum.

13. Alii habent, *agis*, ut supra, cap. 59. Sed supra de facto sermo est. J. V. L.

14. *Ad tuam veniam conditionem.* Id est, rem afferam ita manifestam, ut responderi nihil possit.

15. Sequimur in interpretando eximiam emendationem Hotomanni, «nihil civitatum auctoritates, testimonia, literas: res manifestas quæris». J. V. L.

16. *Quæris.* Exigis ostendi tabulas publicas ac literas seu Verris, seu civitatum.

17. *Veterem.* Qualis fuit quum judices equites essent.

18. *Existimari vult.* Alba honori sibi ducebat si scurra existimaretur. At quum scurræ suo nomine eum putarent indignum, gladiatorem vocabant, quod multo erat ignominiosius; nam scurræ liberi erant, gladiatores autem servi vilissimi. Orator in Albam invehitur, ut ejus elevet auctoritatem ab indignitate personæ.

pellatus sit. Afferam rem [19] ejusmodi in decumis, ut Alba fateatur, istum in re frumentaria, et in bonis aratorum aperte palamque esse prædatum.

LXIII. Decumas [1] agri Leontini magno dicit se vendidisse. Ostendi jam illud initio [2], non existimandum magno vendidisse eum, qui verbo decumas vendiderit, re, et conditione, et lege [3], et edicto, et licentia decumanorum, decumas aratoribus nullas [4] reliquas fecerit. Etiam illud ostendi [5], vendidisse alios magno decumas agri Leontini, ceterorumque agrorum; et lege Hieronica vendidisse; et pluris etiam, quam te vendidisse; nec aratorem quemquam esse questum. Nec enim fuit quod quisquam queri posset, quum lege æquissime scripta venirent: neque illud umquam aratoris interfuit, quanti decumæ venirent. Non enim ita est, ut, si magno venierint, plus arator debeat; si parvo, minus. Ut frumenta nata sunt, ita decumæ veneunt. Aratoris autem interest, ita se [6] frumenta habere, ut decumæ quam plurimo venire possint: dum arator ne plus decuma det, expedit ei decumam esse quam maximi. Verum hoc, ut opinor, esse vis caput defensionis tuæ, magno te decumas vendidisse [7]; agri vero Leontini, qui plurimum efficit [8], tritici modium CCXVI millibus [9]. Si doceo, pluris aliquanto po-

19. *Afferam rem.* Rem faciam ita manifestam.

LXIII. 1. *Decumas.* Summum Verrinæ defensionis caput iterum refellit, brevi præmissa anacephalæosi.

2. *Ostendi jam illud initio.* Vide cap. 46 quid de ea re dixerit.

3. *Et lege.* Hieronica, quam ad libidinem et faciendum quæstum est interpretatus.

4. *Decumas aratoribus nullas.* Ne decimam quidem partem frumenti sui aratoribus relictam fecerit; quum ab eis decimam tantum accipere juberent leges et fœdera.

5. *Etiam illud ostendi.* Vide c. 49.

6. *Ita se.* Ita abundare frumenta.

7. *Atque aliorum quidem agrorum pro portione magno decumas vendidisse, agri v.* etc. Addidit hæc Lamb. ex uno codice. J. V. L.

8. *Qui plurimum efficit.* Plurimum reddit frumenti, qui feracissimus est.

9. CCXVI *millibus.* Pendet a superiori

tuisse te vendere, neque his voluisse addicere, qui contra Apronium licerentur; et Apronio multo minoris, quam aliis potueris, tradidisse; si hoc doceo, poteritne te Alba, tuus antiquissimus non solum amicus, verum etiam amator [10], absolvere?

LXIV. Dico, equitem romanum, hominem in primis honestum, Q. Minucium, cum sui similibus, ad decumas agri Leontini tritici modium non CIↃ, non CIↃ CIↃ, non CIↃ CIↃ CIↃ, sed ad unas unius agri decumas tritici modium XXX millia voluisse addere [1], et ei potestatem emendi non esse factam, ne res abiret [2] ab Apronio. Negare hoc, nisi forte negare omnia constituisti, nullo modo potes. Palam res gesta est, maximo conventu, Syracusis: testis est tota provincia, propterea quod undique ad emendas decumas solent eo convenire. Quod sive fateris, sive convinceris; quot, et quam manifestis [3] in rebus teneare, non vides? Primum [4] tuam rem illam, et prædam fuisse: nam, nisi ita esset, cur tu Apronium malebas (quem omnes tuum procurare in decumis negotium loquebantur), quam Minucium, decumas agri Leontini sumere? Deinde immensum atque infinitum lucrum esse factum: nam si XXX [5] millibus modium tritici tu com-

decumas vendidisse. De toto hoc Leontino crimine vide ad cap. 49, nostras supputationes.

10. *Non solum amicus*. Amicus animi est, amator corporis. Ideo ille cum laude, hic cum infamia conjunctus.

LXIV. 1. *Addere*. Numero modiorum quibus eas Apronius redemit.

2. *Ne res abiret*. Ne Apronius excluderetur.

3. Olim editum fuit, *maximis*. J. V. L.

4. *Primum tuam rem*. Convinceris.

5. *Si* XXX. Id est, si triginta millibus, quæ Apronio Minucius offerebat, primum hoc ad te pertinere, hanc tuam rem fuisse actam *commotus non esses*, i. e. ad spem aliquam amplioris prædæ erectus non esses, permisisses ut Apronio Minucius XXX millia illa daret. — *Certe hoc idem*. Sed ille noluit accipere, quia, quum tuus esset socius, malebas illum decumas redimere non Minucium, quo majorem quæstum faceres quam erant illa triginta millia modium.

motus non esses[6]; certe hoc idem lucri Minucius Apronio libenter dedisset, si ille accipere voluisset. Quantam igitur illi spem prædæ propositam arbitramur fuisse, qui tantum præsens lucrum, nulla opera insumpta, contempserit atque despexerit? Deinde ipse Minucius numquam tanti habere voluisset, si decumas tu lege Hieronica venderes : sed quod tuis novis edictis, et iniquissimis institutis plus aliquanto se, quam decumas, ablaturum videbat, idcirco longius progressus est. At Apronio semper plus etiam multo abs te permissum est, quam quod edixeras. Quantum igitur quæstum putamus factum esse per eum[7], cui quidvis licitum sit; quum tantum lucri voluerit addere is[8], cui, si decumas emisset, idem non liceret? Postremo illa quidem certe tibi præcisa defensio est, in qua tu semper omnia tua furta atque flagitia latere posse[9] arbitratus es : magno te decumas vendidisse; plebi romanæ consuluisse; annonæ prospexisse. Non potest hoc dicère is, qui negare non potest, se unius agri decumas xxx millibus modium minoris, quam potuerit, vendidisse : ut, etiamsi tibi hoc concedam, Minucio ideo te non tradidisse, quod jam addixisses Apronio; aiunt enim te ita dictitare, quod ego exspecto, cupioque te ita illud defendere; verum, ut ita sit[10], tamen non potes hoc, quasi præclarum aliquid, prædicare, magno te decumas vendidisse, quum fuisse fateare, qui multo pluris voluerint emere.

6. Ferratius delet *non*, et *commotus esses* dictum putat pro *contentus esses*. Non probamus. J. V. L.

7. *Per eum*. Apronium.

8. *Is*. Minucius, qui non ausus esset aratores spoliare.

9. *Latere posse*. Qua defensione, quasi velo et omnium furtorum ac flagitiorum tuorum excusatione, uti te posse arbitrabaris.

10. *Ut ita sit*. Si te sic agendi rationem defensurum fingamus.

LXV. Tenetur[1] igitur[2] jam, judices, et manifesto tenetur avaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia. Quid si hæc, quæ dico, ipsius amici defensoresque judicarunt? quid vultis amplius? Adventu L. Metelli, prætoris, quum omnes ejus comites iste sibi suo illo panchresto[3] medicamento amicos reddidisset[4]; aditum est ad Metellum; eductus[5] est Apronius. Eduxit vir primarius C. Gallius, senator; postulavit a L. Metello, ut ex edicto suo[6] judicium daret in Apronium, Quod per vim aut metum abstulisset: quam formulam Octavianam[7], et Romæ Metellus habuerat, et habebat in provincia. Non impetrat; quum hoc diceret Metellus, præjudicium a se de capite C. Verris[8] per hoc judicium nolle fieri. Tota Metelli cohors, hominum non ingratorum[9], aderat Apronio. C. Gallius, homo[10] nostri ordinis, a suo familiarissimo L. Metello judicium ex edicto non potest

LXV. 1. *Tenetur.* Manifesta est nunc Verris *avaritia*, in prædandis decumis; *scelus*, in coeunda cum decumanis societate; *audacia*, in jactando se decumas magno vendidisse, quas alii multo pluris emissent, si per Verrem eis licuisset.

2. *Igitur.* Alii malunt *ergo*. J. V. L.

3. *Panchresto.* Id est, contra morbos omnes utili. A græco πᾶν, omne, et χρηστὸν, utile. *Panchrestum* medicamentarii et pigmentarii conficiunt, remedium omnibus malis accommodatum; quo nempe vulgus aucupentur. Certius erat illud quo utebatur Verres, scilicet pecunia qua iste, uti antidoto ad omnia parato, vulneribus suis omnibus medebatur.

4. Sic editum e cod. Nanniano, pro *redemisset*. J. V. L.

5. *Eductus est.* In jus vocatus est.

6. *Ex edicto suo.* In quo erat scriptum: *Si quis quid per vim, aut metum a quoquam abstulerit, judicium in eum dabo.*

7. *Octavianam.* Quam L. Octavius, quum prætor esset, instituerat et quam Romæ Metellus habuerat. Porro hanc parenthesim consulto addit orator ad laudem L. Octavii, qui judex in causa Verris sedebat. — *Habuerat.* Id est, in prætura sua servaverat. Jus istud æquissimum perpetuo ab ipso Metello in aliis observatum erat, sed illud ab eodem Gallius in Verrem non impetrat; hinc maxime ostenditur Metelli studium in Verrem.

8. *De capite C. Verris.* In quem ista Apronii damnatio, propter causarum utriusque conjunctionem, recideret.

9. *Non ingratorum.* Salse. Propter panchrestum quo Verres sibi illos devinxerat.

10. *Gallius homo.* Notabimus am-

impetrare. Non reprehendo[11] Metellum : pepercit homini amico, et quemadmodum ipsum dicere audivi, necessario : non reprehendo, inquam, Metellum; sed hoc miror, quomodo, de quo homine præjudicium noluerit fieri per recuperatores, de hoc ipso non modo præjudicarit, verum gravissime ac vehementissime judicarit. Primum enim, si Apronium absolutum iri putaret; nihil erat, quod ullum præjudicium vereretur. Deinde, si, condemnato Apronio, conjunctam cum eo Verris causam omnes erant existimaturi; Metellus quidem certe jam hoc judicabat; eorum rem causamque esse conjunctam : qui statuerit, Apronio condemnato, de isto præjudicium futurum. Et simul una res utrique rei est argumento : et aratores vi et metu coactos Apronio multo plus, quam debuerint, dedisse; et Apronium istius rem suo nomine egisse, quum L. Metellus statuerit, non posse Apronium condemnari, quin simul de istius scelere atque improbitate judicaretur.

LXVI. Venio nunc ad epistolam Timarchidis, liberti istius et accensi[1] : de qua quum dixero, totum hoc crimen decumanum peroraro[2]. Hæc epistola est, judices, quam nos Syracusis in ædibus Apronii, quum literas conquireremus, invenimus. Missa est, ut ipsa significat, ex itinere, quum Verres jam de provincia decessisset, Timarchidis manu scripta. Recita episto-

plificationem. Non impetrat senator, non impetrat a suo familiarissimo, non impetrat quod vel ignoto debeat concedi ex edicto prætoris.

11. *Non reprehendo.* Concessio qua pungitur graviter Metellus. Mox argumentatione diluetur causa quam is attulit, cur judicium non daret in Apronium. — *Necessario.* Cognato.

LXVI. 1. *Accensi.* Accensi erant ministri prætorum et consulum tam in Urbe quam in provinciis. Ab *acciendo* dictos putat Varro, quod accirent, id est, vocarent ad prætorem. Confer Excursum de prætore provinciali ad calc. Verr. secund.

2. Ita Græviue e suis MSS, et firmant regii. Vulg. *perorabo.* J. V. L.

lam Timarchidis. TIMARCHIDES VERRIS ACCENSUS APRONIO SALUTEM DICIT. Jam hoc quidem non[3] reprehendo, quod adscripsit, ACCENSUS. Cur enim sibi hoc scribæ[4] soli sumant, L. PAPIRIUS SCRIBA? Volo ego[5] hoc esse commune accensorum, lictorum, viatorum. FAC DILIGENTIAM ADHIBEAS, QUOD AD EXISTIMATIONEM PRÆTORIS ATTINET. Commendat Apronio Verrem, et hortatur, ut inimicis ejus resistat. Bono præsidio[6] munitur existimatio tua; si quidem in Apronii constituitur diligentia atque auctoritate. HABES VIRTUTEM ATQUE ELOQUENTIAM. Quam copiose laudatur Apronius a Timarchide? quam magnifice? cui ego non putem illum placere oportere, qui tantopere Timarchidi probatus sit? HABES, SUMPTUM UNDE FACIAS. Necesse est, quod redundarit[7] de vestro frumentario quæstu, ad illum potissimum, per quem agebatis, defluxisse. SCRIBAS, APPARITORES RECENTES[8] ARRIPE; CUM L. VULTEIO, QUI PLURIMUM POTEST, CÆDE, CONCIDE. Videte, quam valde malitiæ suæ confidat Timarchides, qui etiam Apronio improbitatis præcepta det. Jam hoc, CÆDE[9], CONCIDE,

3. *Non reprehendo.* Mos erat apud Romanos ut imperator, consul, prætor, ædilis hæc ipsa honoris nomina suo nomini adscriberet, verbi gratia, M. Cicero consul L. Octavio salutem dat. Timarchidem irridet orator quod epistolæ suæ adscripserit τὸ *accensus*, quasi quemdam honoris titulum, licet accensi officium humile fuerit et contemptum. Erant enim accensi servis non multo honoratiores.

4. *Scribæ.* Scribarum ordo fuit olim vilis, ac deinceps cœpit honestior haberi. Scribarum munus et officium fuit, ut rationes publicas in tabulas referrent; leges et acta in commentarios redigerent. De his infra, cap. 79. —*Soli sumant.* Cur hoc soli sibi arrogent, ut officii sui titulum epistolis suis adscribant; uti L. Papirius scriba (de quo c. 60) p. s. d. Jocus in Papirium.

5. *Volo ego.* Consentio ego, ut, quod usurpant scribæ, idem usurpent apparitores, etc. Ironice.

6. *Bono præsidio.* Ironia.

7. Male ante Lambinum, *redundaret.* J. V. L.

8. *Apparitores recentes.* Qui nuper cum Metello venerunt. Hoc autem nomine et accensi, et interpretes, et lictores, et viatores, et alii denique omnes imperatoris ministri intelliguntur.

9. *Cæde.* Gall. *coupez, taillez.* Id est, omnia effice omni modo, ut homines habeas in tua potestate.

non[10] verba domo patroni[11] depromere videtur, ad omne genus nequitiæ accommodata? VOLO, MI FRATER, FRATERCULO TUO CREDAS. Consorti quidem in lucris atque furtis gemino[12] et simillimo nequitia, improbitate, audacia.

LXVII. IN COHORTE[1] CARUS HABEBERE. Quid est hoc, IN COHORTE? quo pertinet? Apronium doces? quid? in vestram cohortem, te monitore, an sua sponte pervenerat? QUOD CUIQUE OPUS SIT, OPPONE[2]. Qua impudentia putatis eum in dominatione fuisse, qui in fuga[3] tam improbus sit? ait, omnia pecunia effici posse: da, profunde, oppone[4], si velis vincere. Non hoc mihi tam molestum est, Apronio suadere Timarchidem, quam quod hoc idem[5] patrono suo præcipit. TE POSTULANTE[6], OMNES[7] VINCERE SOLENT. Verre quidem prætore, non Sacerdote, non Peducæo, non hoc ipso Metello. SCIS METELLUM SAPIENTEM[8] ESSE. Hoc vero ferri jam non potest, irrideri viri optimi, L. Metelli, ingenium, et contemni ac despici a fugitivo Timarchide. SI VULTEIUM[9] HABEBIS, OMNIA LUDIBUNDUS CONFICIES. Hic vehementer errat Timarchides, qui aut Vulteium pecunia corrumpi putet posse, aut Metel-

10. Ernest. restituit vetus *non*, pro *nonne*, quod e MS Nann. receptum est. Illud efficacius. J. V. L.

11. *Domo patroni*. Verris, cujus libertus erat Timarchides.

12. *Gemino*. Translatum a geminis, qui inter se solent esse simillimi.

LXVII. 1. *In cohorte*. Apud prætoris ministros.

2. *Oppone*. Quemcumque, qua ratione oportebit, expugna; hunc pretio, illum convivio, seu quavis alia re, prout eorum cuique opus erit.

3. *In fuga*. Quum quasi hostis spoliis onustus ante Metellum et Siculos ad ulciscendum paratos, fugeret.

4. Hotomanni lectio. Vulgo, *dare, profundere, opponere*. Lambin. malit, *profundere oportere*. J. V. L.

5. *Idem*. Timarchides.

6. *Te postulante*. Apud prætorem.

7. *Omnes*. Sub. pro quibus postulas.

8. *Metellum sapientem*. Hoc est, nihil nisi quam sano judicio, recto sensu utentem; quo nos etiam utimur dicendi modo ut hominem parvo præditum ingenio depingamus.

9. *Si Vulteium*. Supra, *cum L. Vulteio, qui plurimum potest, cæde, concide*.

lum unius arbitratu gerere præturam; sed errat conjectura domestica [10] : quia multos, per se et per alios, multa ludibundos [libidinose [11]] apud Verrem effecisse vidit; ad omnes, eosdem patere aditus arbitratur. Facilius vos efficiebatis ludibundi, quæ volebatis a Verre, quod multa ejus ludorum genera [12] noratis. INCULCATUM EST [13] METELLO ET VULTEIO, TE ARATORES EVERTISSE. Quis istuc Apronio attribuebat, quum aratorem aliquem everterat? aut Timarchidi, quum ob judicandum, aut decernendum, aut imperandum aliquid, aut remittendum, pecuniam acceperat? aut Sestio lictori, quum aliquem innocentem securi percusserat? Nemo : omnes ei Verri tunc attribuebant, quem nunc condemnari volunt. OBTUDERUNT EJUS AURES [14], TE SOCIUM PRÆTORIS FUISSE. Videsne, hoc quam clarum sit ac fuerit, quum etiam Timarchides hoc metuat? concedesne [15], non hoc crimen nos in te confingere, sed jampridem ad crimen aliquam defensionem libertum quærere? Libertus et accensus tuus, et tibi ac liberis tuis, omnibus in rebus, conjunctus ac proximus, ad Apronium scribit, vulgo esse ab omnibus ita demonstratum Metello, tibi Apronium in decumis socium fuisse. FAC SCIAT IMPROBITATEM ARATORUM : IPSI SUDABUNT [16], SI DII [17] VOLUNT [18]. Quod istuc, per deos immortales! aut qua de causa excitatum esse dicamus in aratores tam infestum odium at-

10. *Domestica.* Sumpta de domo sua, id est, Verris.

11. *Libidinose.* Arbitratu suo. Abest in edd. pr. Nec placet Ernest.

12. *Ludorum genera.* Varias libidines. Ludus proprie est quodvis ludicrum aut animis recreandis, aut corporibus exercendis adhiberi solitum. Sed hic est in malam partem usurpatum.

13. *Inculcatum est.* Penitus persuasum est, omni ope et opera impressum.

14. *Ejus aures.* Metelli. — *Socium.* In decumarum rapinis.

15. *Concedes.* Ita multi, Olivet. Lallem. Oxonienses e priscis edd. Præstat interrogatio.

16. *Sudabunt.* Illos pœnitebit.

17. *Si dii.* Precantis et optantis est, non dubitantis.

18. *Volunt.* Al. *volent.* J. V. L.

que tantum? quantam injuriam fecerunt Verri aratores, ut eos etiam libertus et accensus ejus tam irato animo his literis insequatur?

LXVIII. Neque ego hujus fugitivi, judices, epistolam vobis recitassem, nisi ut ex ea totius familiæ præcepta, et instituta, et disciplinam cognosceretis. Videtis, ut moneat Apronium? quibus rebus ac muneribus insinuet in familiaritatem Metelli? Vulteium corrumpat? scribas accensumque pretio deliniat? ea præcipit, quæ vidit; ea monet alienum hominem, quæ domi didicit ipse. Verum in hoc errat uno, quod easdem existimat vias ad omnium familiaritates esse munitas. Quamquam merito [1] sum iratus Metello; tamen hæc, quæ vera sunt, dicam. Apronius ipsum Metellum non pretio, ut Verrem, non convivio, non muliere, non sermone incauto [2] atque improbo posset corrumpere: quibus rebus non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore totum hominem, totamque ejus præturam possederat. Cohortem autem Metelli, quam vocat, quid erat, quod corrumperet, ex qua in aratorem [3] recuperatores nulli dabantur? Nam quod scribit [4], Metelli filium puerum esse [5], vehementer errat: non enim ad omnes prætorum filios iidem aditus sunt. O Timarchide, Metelli est filius in provincia, non puer, sed

LXVIII. 1. *Merito.* Quia vi custodiisque testes ne Romam venirent, retinuit. Lib. II, cap. 4.

2. Cod. Nann. *impuro.* J. V. L.

3. Addidit Græv. e MSS *in aratorem.* Habent quoque duo regii. J.V.L.

4. *Nam quod scribit.* Patet Timarchidis epistolam integram non publice lectam fuisse, aut deesse locum in quo de Metelli filio mentio fiebat. Sunt qui existimant cap. 66 et 67 trunca esse.

5. *Puerum esse.* Verri dabatur crimini, quod filium suum puerum parum caste secum in provincia habuisset. Conatur Timarchides Verrem defendere, allato exemplo Metelli, qui et ipse filium quidem in provincia secum habebat suum, etiam puerum. Ad Verris causam, inquit Cicero, nihil agit Metelli exemplum: secum habebat filium adolescentem, sed disciplina longe castiore.

adolescens[6] bonus ac pudens, dignus illo loco ac nomine: vester ille puer prætextatus[7], in provincia quemadmodum fuisset, non dicerem[8], si pueri esse illam culpam, ac non patris existimarem. Tune, quum te ac tuam vitam nosses, in Siciliam tecum grandem prætextatum filium ducebas? ut, etiamsi natura puerum a paternis vitiis, atque a generis[9] similitudine abduceret, consuetudo tamen eum et disciplina degenerare non sineret? Fac enim fuisse in isto C. Lælii[10], M. Catonis materiem[11] atque indolem: quid ex eo boni[12] sperari atque effici potest, qui in patris luxurie sic vixerit, ut nullum umquam pudicum neque sobrium convivium viderit? qui in epulis quotidianis, adulta ætate, per triennium inter impudicas mulieres et intemperantes viros versatus sit? nihil umquam a patre audierit, quo pudentior aut melior esset? nihil umquam patrem agere viderit, quod quum imitatus esset, non, id quod turpissimum est, patri similis putaretur?

LXIX. Quibus in rebus[1] non solum filio, verum etiam reipublicæ[2] fecisti injuriam. Susceperas enim

6. *Sed adolescens.* Sumpta jam veste virili.

7. *Prætextatus* dicitur qui prætextam togam nondum deposuit. De illa toga diximus ad lib. I, cap. 44 et 58.

8. *Non dicerem.* Quia ætati parcerem.

9. *A generis.* Subaud. vitæ.

10. *C. Lælii*, etc. Qui sapientes et habiti sunt et fuerunt. Porro Lælius, is de quo hic agitur, est posterior (nam duo fuere), Minoris Africani familiarissimus, quemadmodum primus Lælius Majoris Africani fuerat item amicissimus. Cato autem is est, qui *Censorius* appellatur.

11. *Materiem.* Id est, præstantis naturæ vim, quæ, si accedat disciplina, fructus effert mirabiles.

12. *Quid ex eo boni.* Hæc in Verris filium, qui in judicio sedebat cum patre atratus, eo consilio dicuntur, ne, ut jam diximus in epilogo, ut mos erat, productus ab Hortensio, judicum patri conciliet misericordiam. Hac enim commiseratione utebantur. Usus est ipse Tullius in orationibus pro Sulla, pro Flacco, et aliis.

LXIX. 1. *Quibus in rebus.* Hoc capite egregie disseritur de educatione liberorum.

2. *Reipublicæ.* Cujus magnopere interest, ut felix florensque sit, liberos

liberos non solum tibi, sed etiam patriæ; qui non modo tibi voluptati, sed etiam qui aliquando usui reipublicæ esse possent. Eos instituere atque erudire ad majorum instituta, atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia[3], neque ad tuas turpitudines debuisti. Esset ex inerti, atque impuro, et improbo parente navus, et pudens, et probus filius: haberet aliquid abs te respublica muneris. Nunc pro te Verrem substituisti alterum civitati: nisi hoc forte[4] deterior est, si fieri potest, quod tu ejusmodi evasisti, non in hominis luxuriosi, sed tantum in furis ac divisoris disciplina educatus. Quid isto festivius fore arbitramur, qui est tuus natura filius, consuetudine discipulus, voluntate similis? Quem ego, judices, quamvis bonum fortemque facile paterer[5] evadere: non enim me inimicitiæ commovent, si quæ mihi cum isto futuræ sint. Nam si in omnibus rebus innocens fuero, meique similis, quid mihi istius inimicitiæ nocebunt? Sin aliqua in re Verri similis fuero; non magis mihi deerit inimicus, quam Verri defuit. Etenim, judices, ejusmodi respublica debet esse, et erit, severitate judiciorum[6] constituta, ut inimicus neque deesse nocenti possit, neque obesse innocenti. Quapropter nulla res est, quamobrem ego istum nolim ex pa-

a parentibus optima educatione instituti. Itaque apud Lacedæmonios educatio liberorum ne parentibus quidem permittebatur; sed ejus curam sustinebat ipsa respublica, ne scilicet educatione prava a teneris corrupti cives fierent inutiles et aliquando reipublicæ nocerent.

3. Restituimus quatuor hæc verba quæ Ernest. deleverat. J. V. L.

4. *Nisi hoc forte.* Nisi filius tuus te ipso deterior est (si tamen fieri potest deterior), eo quod tu in patris tui qui tantum fur erat et divisor (vide Act. I, c. 8) disciplina educatus, ad hanc improbitatem pervenisti; ille patris luxuriosi doctrina sit institutus.

5. *Facile paterer.* Non curarem, parum sollicitus essem, ut evaderet, etc. ut qui ab eo mihi nihil timerem.

6. *Severitate judiciorum.* Quando judicia cum æquitate et justitia exercebuntur, quod brevi fiet, translatis iis iterum a senatoribus ad equites.

ternis probris ac vitiis emergere. Id quod tametsi isti difficile est, tamen haud scio an fieri possit [7]: præsertim si, ut nunc fit, custodes amicorum [8] eum sectabuntur; quoniam pater tam negligens ac dissolutus est. Verum huc longius [9], quam voluntas fuit, ab epistola Timarchidis degressa est oratio mea. Qua recitata, conclusurum me esse crimen decumarum dixeram : ex quo [10] intellexistis, innumerabilem frumenti numerum per triennium aversum a republica esse, ereptumque aratoribus.

LXX. Sequitur, ut [1] de frumento empto vos, judices, doceam, maximo atque impudentissimo furto: de quo dum certa, et pauca, et magna dicam breviter, attendite. Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex senatusconsulto, et ex lege Terentia et Cassia frumentaria. Emundi duo genera fuerunt: unum alterarum [2] decumarum; alterum, quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum [3]. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset; hujus imperati tritici modium ɪɔccc millia. Pretium autem constitutum decumano in modios singulos H-S terni [4]; imperato H-S ɪɪɪɪ. Ita in frumentum im-

7. *An fieri possit. An*, pro *annon.* Sic ad Div. IX 15 : *Est hoc quidem magnum, atque haud scio an maximum*, id est, annon maximum.

8. *Custodes amicorum.* Si amici apponant ei, ut jam faciunt, custodes, qui eum observent, et ejus educationis curam gerant, quæ a patre negligitur. De hac re cf. Corn. Nep. in Dione.

9. *Verum huc longius.* Conclusio primæ partis, de frumento decumano.

10. *Ex quo.* Subaud. crimine. Ex qua accusatione.

LXX. 1. *Sequitur ut*, etc. Transitio ad alteram partem, et petitio attentionis. De empto frumento, et ad totius hujus negotii intelligentiam, vide excursum ad calcem orationis de re frumentaria.

2. Sic Hotomanni vetus liber, idque adstruunt duo e Paris. MSS. Vulg. *cetararum*. J. V. L.

3. Ernestius conjicit, *descriptum*. Probat Wyttenbach. Schütz. admisit. J. V. L.

4. *Sestertii terni.* Ergo frumentum illud a populo rom. carius emebatur, quam vulgo veniret. Nam sæpe antea medimnum (sex modios) quindecim sestertiis fuisse ostendit; hic vero pro

peratum H-S bis et tricies[5] in annos singulos Verri decernebatur, quod aratoribus solveret; in alteras decumas ferme ad nonagies[6]. Sic per triennium[7] ad hanc frumenti emptionem Siciliensem prope centies et tricies erogatum est. Hanc pecuniam tantam, datam tibi ex ærario[8] inopi atque exhausto; datam ad frumentum, hoc est, ad necessitatem[9] salutis et vitæ; datam, ut Siculis aratoribus, quibus tanta onera respublica imponeret, solveretur; abs te sic laceratam[10] esse dico, ut possim illud probare, si velim, omnem te hanc pecuniam domum tuam avertisse. Etenim, sic hanc rem totam administrasti, ut hoc, quod dico, probari æquissimo judici possit. Sed ego habebo rationem auctoritatis meæ: meminero, quo animo[11], quo consilio ad causam publicam accesserim. Non agam tecum accusatorie[12]: nihil fingam: nihil cuiquam

alteris decumis decem et octo sestertios in medimnum seu ternos in modium, et pro imperato, viginti quatuor sestertios in medimnum, seu quaternos in modium, attributos esse dicit.

5. *Bis et tricies.* Sestertium bis et tricies centena millia (656,000 fr.). *decernebantur*, attribuebantur a senatu.

6. *Nonagies.* Subaud. centena millia sestertium annua (1,845,000 fr.). Addit ferme, quia decumæ pendent ex ubertate soli et anni; et certus earum numerus esse numquam potest.

7. *Per triennium.* Id est, per singulos annos triennii, ut patet ex pecuniæ summa. Bene dicit *prope centies*, nam ex duabus summis superioribus tantum efficitur centies vicies et bis (2,501,000 fr.). Sed maluit orator numerum rotundare. Verres ergo toto triennio acceperat 36,600,000 sestert. (7,421,000 fr.) frumenti decumani et imperati solvendi nomine.

8. *Ex ærario.* Quomodo *ex ærario?* Deposita adhuc erat hæc pecunia apud eas societates, unde erat attributa, ut mox dicet. Sed quod debetur ærario, proinde ac si in ærario esset, intelligitur, et est rhetorica amplificatio.

9. *Ad necessitatem.* Frumenti illius quo aleretur romana plebs, quini modii singulis mensibus viritim distribuebantur.

10. *Laceratam.* Lacerare pecuniam, metaphora audacior. Sic tamen Sallustius: « alea, manu, ventre lacerare bona patria ». Catil. cap. 9.

11. *Quo animo.* Non accusandi voluntate, sed defendendi studio ad hanc causam accessi. Publicam eam vocat orator, hoc est, in qua agitur de crimine, cujus castigatio pertinet ad exemplum, sive incitandis bonis ad præmia ob benefacta; sive deterrendis a flagitio malis, pœnæ metu.

12. *Accusatorie.* Augendo crimina, more accusantium.

probari [13] velim, me dicente, quod non ante mihimet ipsi probatum sit. In hac [14] pecunia publica, judices, hæc insunt tria genera furtorum : primum, quum posita esset pecunia apud eas societates [15], unde erat attributa, binis centesimis [16] fœneratus est; deinde, permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino; postremo, si cui civitati solvit, tantum detraxit, quantum commodum fuit [17]; nulli, quod [18] debitum est, reddidit.

LXXI. Ac primum [1] hoc ex te quæro : [tu] [2], cui publicani ex Carpinatii literis gratias egerunt [3]; pecunia publica ex ærario erogata, ex vectigalibus populi romani ad emendum frumentum attributa, fueritne tibi quæstui? pensitaritne tibi binas centesimas? Credo te negaturum : turpis enim est et periculosa confessio. Mihi autem hoc perarduum est demonstrare : quibus [4] enim testibus? publicanis? tractati honorifice sunt:

13. *Probari.* Persuaderi. Nihil hac sententia pulchrius, qua Cicero paucis verbis omnia boni ac honesti oratoris officia est complexus.

14. *In hac.* Partitio.

15. *Societates.* Publicanorum a quibus numeranda erat prætori ex senatus consulto.

16. *Binis centesimis.* Subaud. *menstruis.* Singulis kalendis pars capitis, seu sortis, centesima, more et legibus, creditori pendebatur, usuræ nomine: quæ usura ideo *centesima* dicebatur, quod centesimo mense sortem æquaret. At ista Verres non contentus utpote leviori, eam duplicavit, et exegit binas centesimas menstruas ab ea publicanorum societate, apud quam deposita erat illa pecunia, et pro qua quasi pro deposito, usura nulla debebatur. Duplex igitur Verris in hoc fuit scelus, 1° usuram illegitimam; 2° indebitam exegit.

17. *Commodum fuit.* Libuit.

18. *Quod debitum est.* Totum omne quod debebat respublica.

LXXI. 1. *Ac primum.* Prima narratio de fœneratione ad caput 73.

2. *Tu.* Verbum nullum est, cui hoc pronomen respondeat : Schellerus vocativum putat. Sed syllepsis est non inusitata veteribus, qui sententiam, magis quam verba respicientes, post interpositam parenthesim, sic formant orationem, quasi novam quamdam periodum ordiantur, ac nullam habeant superiorum verborum rationem.

3. *Gratias egerunt.* Vide supra lib. II, cap. 70.

4. *Quibus*, etc. Dubitationis exemplum, quo sæpius utitur orator, ut vehementiori motu verba impellat.

tacebunt. Literis[5] eorum? decreto decumanorum[6] remotæ sunt. Quo me igitur vertam? rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæque impudentiæ, propter inopiam testium ac literarum prætermittam? Non faciam, judices. Utar teste: quo? L. Vettio Chilone, homine equestris ordinis honestissimo atque ornatissimo: qui isti ita amicus et necessarius[7] est, ut, etiamsi vir bonus non esset, tamen, quod contra istum diceret, grave videretur[8]; ita vir bonus est, ut, etiamsi inimicissimus isti esset, tamen ejus testimonio credi oporteret. Admiratur[9] et exspectat, quidnam Vettius dicturus sit. Nihil dicet ex tempore[10]; nihil ex sua voluntate; nihil, ut ei utrumvis[11] licuisse[12] videatur. Misit[13] in Siciliam literas ad Carpinatium, quum esset magister scripturæ, et ejus societatis publicanorum; quas ego Syracusis, apud Carpinatium in literarum allatarum[14] libris, Romæ, in literarum missarum apud magistrum Tullium, familiarem tuum, inveni: quibus ex literis impudentiam fœnerationis, quæso, cognoscite. LITERÆ[15] MISSÆ L. VETTII, L. SER-

5. Al. *literæ*, et sup. *publicani tractati*. Sed recepimus, Ernestio duce, lectionem a Lambin. e MSS erutam. Deinde legimus cum multis post Manutium, *L.* pro *P. Vettio*. J. V. L. — *Literis eorum*. Subaud. id quod dico probabunt.

6. *Decreto decumanorum*. Vid. supra lib. II, cap. 71.

7. *Et necessarius est*. Propter affinitatem, quia sororem ejus Verres in matrimonio habet.

8. *Grave videretur*. Quia rationem habuisset veritatis magis quam amicitiæ.

9. *Admiratur*. Subaud. Verres.

10. *Ex tempore*. Id est, fictum, et ad tempus accommodatum.

11. *Ut ei utrumvis*. Scilicet aut accusare te, aut pugnare.

12. Inserunt quidam *fieri*, quod nullus agnoscit e reg. MSS. J. V. L.

13. *Misit*. Vettius. — *Quum esset*. Nempe Carpinatius. — *Magister*, vel potius, ut infra dicetur, promagister.

14. *Allatarum*. Roma in Siciliam. — *Libris*. Id est, capsis, tabulis. — *Missarum*. Roma in Siciliam; repete *libris* in quibus exemplum (gall. *la minute*) descriptum servabatur earum literarum quas Vettius miserat. Cicero his in Sicilia inventis literis instructus, ut Romam venit, L. Tullium magistrum compulit, ut earumdem exemplaria sibi ostenderet.

15. *Literæ*. Literæ L. Vettii missæ

VILII[16], C. ANTISTII, MAGISTRORUM. Præsto se tibi ait futurum Vettius, et observaturum, quemadmodum rationes[17] ad ærarium referas: ut, si hanc ex fœnore populo pecuniam non retuleris, reddas societati. Possumus hoc teste, possumus L. Servilii et C. Antistii, magistrorum, literis[18], primorum hominum atque honestissimorum, possumus auctoritate societatis, cujus literis utimur, quod dicimus, obtinere[19]? an aliqua firmiora, aut graviora quærenda sunt?

LXXII. Vettius, tuus familiarissimus; Vettius, tuus affinis, cujus sororem habes in matrimonio; tuæ frater uxoris Vettius, frater tui quæstoris, testatur impudentissimum tuum furtum, certissimumque peculatum: nam quo alio nomine pecuniæ publicæ fœneratio est appellanda? Recita RELIQUA. Scribam tuum dicit[1], Verres, hujus perscriptorem[2] fœnerationis fuisse: ei quoque magistri[3] minantur in literis. Etenim casu [scribæ] tum duo magistri fuerunt cum Vettio. Binas centesimas ab se ablatas ferendum non putant: et recte non putant. Quis enim hoc fecit umquam? quis denique conatus est facere, aut posse fieri cogitavit, ut, quum senatus publicanos usura sæpe juvisset[4], magistratus a publicanis pecuniam pro usuris auderet auferre? Certe huic homini spes nulla salutis esset, si publicani, hoc est, si[5] equi-

Roma in Siciliam ad Carpinatium.

16. Al. habent *P. Servilii*.

17. *Rationes*. Solebant magistratus, qui pecuniam publicam tractassent, Romæ ad quæstores ærarios rationem ejus pecuniæ referre.

18. Verbum hoc sine causa Ernest. deleverat. J. V. L.

19. *Obtinere*. Probare. — *Aliqua firmiora*. Subaud. argumenta.

LXXII. 1. Ernest. reposuit *dicunt*. Sed *dicit* Vettius. J. V. L.

2. *Perscriptorem*. Nomina eorum a quibus exigenda esset pro fœnore pecunia, in tabulas tuas retulisse.

3. *Duo magistri*. Scilicet L. Servilius et C. Antistius.

4. Gronovius, de pecunia vet. IV, 3, malebat *versura sæpe juvisset*. J. V. L. — *Usura juvisset*. Id est, utendam pecuniam eis sine fœnore reliquisset.

5. *Si equites*. Quamobrem? Vide supra, cap. 41.

tes romani judicarent. Minor esse nunc, judices, vobis disceptantibus, debet; et tanto minor, quanto est honestius, alienis injuriis, quam re sua commoveri. Quid ad hæc respondere cogitas? Utrum factum negabis? an tibi hoc licitum esse defendes? Negare qui potes? an ut tanta auctoritate literarum, tot testibus publicanis convincare? Licuisse vero qui? si mehercule te pecuniam tuam, non populi romani[6], in provincia fœneratum docerem, tamen effugere[7] non posses: sed publicam[8], sed ob frumentum decretam, sed a publicanis fœnore accepto; hoc licuisse cuiquam probabis? quo non modo ceteri, sed tu ipse nihil audacius improbiusque fecisti. Non mehercule[9] hoc, quod omnibus singulare videtur, de quo mihi deinceps dicendum est, possum, judices, dicere audacius esse, aut impudentius, quod permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino: major hæc præda fortasse est; sed illa impudentia certe non minor. Et, quoniam de illa fœneratione satis dictum est, nunc de hac tota pecunia aversa, quæso, cognoscite.

LXXIII. Siciliæ civitates[1] multæ sunt, judices, ornatæ atque honestæ: ex quibus inprimis numeranda est civitas Halesina. Nullam enim reperietis aut officiis

6. Schütz. e Lambini margine, *prætorem pop. r.* Quod paucis placebit. J. V. L.

7. *Tamen effugere.* Quia nempe contra leges aperte peccasset. Notandum præsidibus provinciarum in suis provinciis tria hæc interdicta fuisse, negotiationem, mutuum, fœnus. Vid. Modestinus Digest. lib. XII, t. 1.

8. *Sed publicam.* Ante hæc verba docti paucula quædam desiderari suspicantur. Lacunam explet Lambinus hoc modo: *Nunc vero quum pecuniam reperiare fœneratus esse non tuam, sed publicam*, etc. Verum cur incitatiore dicendi forma non utatur orator?

9. *Non mehercule.* Non est major Verris impudentia in isto ejus facto quo permultis civitatibus pro frumento nihil solvit, de quo mox dicam, quam in ea fœneratione de qua jam loquor. Diligenter observandum quam apte ab hac ad sequentem narrationem transeat orator, et hanc cum illa conjungat.

LXXIII. 1. *Siciliæ civitates.* Secunda narratio, ad cap. 77.

fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut auctoritate graviorem. Huic iste in annos singulos quum sexaginta tritici millia modium imperavisset, pro tritico nummos abstulit, quanti erat[2] in Sicilia triticum: quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. Obstupui, judices, quum hoc mihi primum Halesiæ demonstravit in senatu Halesinorum homo summo ingenio, summa prudentia, summa auctoritate præditus, Halesinus Æneas: cui senatus dederat publice [causam][3], ut mihi fratrique meo gratias ageret; et simul, qui nos ea, quæ ad judicium pertinerent, doceret. Demonstrat, hanc istius consuetudinem ac rationem fuisse: quum omnis frumenti copia decumarum[4] nomine penes istum esset redacta, solitum esse istum pecuniam cogere a civitatibus; frumentum improbare; quantum frumenti Romam esset mittendum, tantum de suo quæstu[5], ac de sua copia frumenti mittere. Posco rationes[6]: inspicio literas: video frumenti granum Halesinos, quibus LX millia modium imperata erant, nullum dedisse: pecuniam Volcatio, Timarchidi, scribæ dedisse. Reperio genus hujusmodi, judices, prædæ, ut prætor, qui frumentum emere debebat, non emat, sed vendat; pecunias, quas civitatibus distribuere debebat, eas omnes avertat atque auferat. Non mihi jam furtum, sed monstrum ac prodigium videbatur: civitatum frumentum improbare, suum probare;

2. *Quanti erat.* Pro ratione pretii quo in Sicilia vendebatur in modios singulos.

3. *Dederat... causam.* Rara et notanda locutio, pro dederat negotium. — *Causam* delendum censet Ernest. ut insititium; idem *qui* tamquam parum cohærens expungit. — *Fratrique meo.* Patrueli L. Tullio. — *Gratias ageret.* Quod in Siciliam ad colligenda Verris crimina profecti essemus.

4. *Decumarum.* Secundarum, pro quibus pecunia dabatur aratoribus.

5. *De suo quæstu.* De eo frumento quod prædatus erat copiose ex primis decumis.

6. *Posco rationes.* Acta, tabulas publicas.

quum suum probasset, pretium ei frumento constituere; quod constituisset, id civitatibus auferre; quod a populo romano accepisset, tenere.

LXXIV. Quot vultis[1] esse in uno furto peccatorum gradus? ut si singulis insistere velim, progredi iste non possit. Improbas frumentum Siculum. Quid? ipse quod mittis[2]? peculiarem habes aliquam Siciliam, quæ tibi ex alio genere frumentum suppeditare possit? Quum senatus decernit, ut ematur in Sicilia frumentum, aut quum populus jubet, hoc, ut opinor, intelligit, ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. Tu, quum civitatum Siciliæ vulgo omne frumentum improbas, num ex Ægypto, aut ex Syria frumentum Romam mittis? Improbas Halesinum, Cephalœditanum, Thermitanum, Amestratinum, Tyndaritanum, Herbitense, multarum præterea civitatum. Quid[3] accidit tandem, ut horum populorum agri frumentum ejusmodi, te prætore, ferrent, quod numquam antea, ut neque mihi, neque tibi, neque populo romano posset probari, præsertim quum ex iisdem agris, ejusdemque anni frumentum ex decumis Romam mancipes[4] advexissent? quid acciderat[5], ut ex eodem horreo decumanum probaretur, emptum non

LXXIV. 1. *Quot vultis*. Adde amplius. — *Peccatorum gradus*. Id est, peccata alia aliis majora. Adde tot sunt et tanta, *ut si singulis*, etc. Ellipsis indignationi et magno cuivis affectui serviens. Ernest. ut in obscuro loco conj. « tot videtis esse in uno, etc. » Audacius.—*Progredi*. Verres ultra *non possit* peccando, id est, vos recte judicabitis istum non habere, quo progrediatur ultra peccando. Vel *progredi non possit*, id est, ut dixit supra, teneretur, nec ullam in partem commovere se posset; vel si cum Lamb. et Sch. legas, *progredi ipse non possem*, id est, ad alia pergere, erit quasi dicat, infinitum esse me oporteat, *si singulis*, etc.

2. *Quod mittis?* Quale est frumentum quod de quæstu Romam mittis?

3. *Quid*. Lambinus, quasi insolitum sit dicendi genus, rescripsit « accidit tandem cur »: aut legendum censet *qui*. Recentiores nihil mutant.

4. *Mancipes*. Sunt publicani, qui publice suo quæstu et periculo emunt.

5. *Quid acciderat*. Reponunt alii *qui*.

probaretur? Dubiumne est, quin ista omnis improbatio cogendæ pecuniæ causa nata sit? Esto : improbas Halesinum; habes ab alio populo, quod probes: eme illud, quod placet; missos fac eos, quorum frumentum improbasti. Sed ab iis, quos repudias, exigis tantum pecuniæ, quantum ad eum numerum frumenti satis sit, quem civitati imperas. Dubium est, quid egeris? In medimna singula video ex literis publicis tibi Halesinos H-S quinos denos[6] dedisse. Ostendam ex tabulis locupletissimorum aratorum, eodem tempore neminem in Sicilia pluris frumentum vendidisse.

LXXV. Quæ est ergo ista ratio, aut quæ potius amentia, frumentum improbare id, quod ex eo loco sit, ex quo senatus et populus romanus emi voluerit; ex eo acervo, ex quo partem tu idem, decumarum nomine, probaris : deinde a civitatibus pecunias, ad emendum frumentum, cogere, quum ex ærario acceperis? Utrum te lex Terentia Siculorum pecunia frumentum emere a Siculis, an populi romani pecunia frumentum ab Siculis emere jussit? Jam vero ab isto omnem illam ex ærario pecuniam, quam his oportuit civitatibus pro frumento dari, lucrifactam videtis. Accipis[1] enim H-S xv pro medimno; tanti[2] enim est illo tempore medimnum : retines H-S XVIII[3]; tanti enim est frumentum[4] Siciliense ex lege æstimatum.

6. *Quinos denos* (3 fr. 7 cent.). Verres Halesinis imperaverat LX millia modium, seu decem millia medimnum, pro quibus in singula medimna H-S xv exegerat; dederant ergo Halesini centum quinquaginta millia sestertium (gall. 30,750 fr.).

LXXV. 1. *Accipis*. Ab Halesinis.

2. *Tanti enim est. Esse*, pro venale esse, æstimari, vendi, sæpe Cicero usurpat. Ern. corrigebat *erat*, sed *est* antecedenti *accipis* respondet, et intelligendum est in tabulis aratorum et publicanorum, unde Cicero demonstrabat.

3. Alii, XII. J. V. L.—*Retines H-S*. Id est, sestertios XVIII ex ærario attributos, ut Siculis aratoribus frumentum solveretur (gall. 3 fr. 69 cent.).

4. *Frumentum*. Subaud. in alteras decumas.—*Ex lege*. Terentia.

Quid interest, utrum hoc feceris, an frumentum non improbaris, sed frumento probato et accepto, pecuniam publicam tenueris omnem, neque quidquam ulli dissolveris civitati, quum æstimatio legis ejusmodi sit, ut ceteris temporibus [5] tolerabilis Siculis, te prætore etiam grata esse debuerit? Est enim modius lege H-S III æstimatus: fuit autem, te prætore, ut tu in multis epistolis ad amicos tuos [6] gloriaris, H-S II [7]. Sed fuerit H-S III; quoniam tu tantum a civitatibus in modios singulos exegisti: quum, si solveres Siculis tantum, quantum te populus romanus jusserat, aratoribus fieri gratissimum posset; tu non modo eos accipere, quod oportebat, noluisti; sed etiam dare, quod non debebant, coegisti. Atque hæc ita gesta esse, judices, cognoscite et ex literis publicis civitatum, et ex testimoniis publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum intelligetis. Omnia, quæ dicimus, rationibus [8] populorum non interpositis, neque perturbatis, neque repentinis, sed certis, institutis, ordine relata atque confecta sunt. Recita rationes Halesinorum. Cui pecuniam datam dicit? dic, dic etiam clarius. VOLCATIO, TIMARCHIDI, MÆVIO.

LXXVI. Quid est, Verres? ne illam quidem tibi defensionem reliquam fecisti, mancipes in istis rebus esse versatos? mancipes frumentum improbasse? man-

5. *Ceteris temporibus.* Quibus frumentum carius vendebatur. — *Grata*, quia minoris erat frumentum quam æstimatio.

6. *Ad amicos tuos.* In primis ad Hortensium. Vid. infra, cap. 81. — *Gloriaris.* Nam annonam vilem fuisse magistratus gesti tempore, magistratui gloriosum est.

7. Beck. edidit, Lambin. et Garaton. auctoribus, H-S II *s.* id est, *duobus sestertiis cum semisse.* Aptius. J. V. L.

8. *Rationibus.* Literis, tabulis. — *Interpositæ.* Rationes sunt, in quibus aliquid intermixtum atque interjectum est; in quibus lituræ sunt, et mendarum correctarum vestigia. Frustra correxit Lambin. *interpolatis*, quum *interpositio* eodem sensu ad Div. XVI, 22 usurpetur. — *Perturbatæ*, in quibus nullus ordo servatur. — *Certæ*

cipes pretio cum civitatibus decidisse, et eosdem abs te illarum civitatum nomine pecunias abstulisse; deinde ipsos sibi frumentum coemisse; nihil hæc ad te pertinere? Mala mehercule ac misera defensio, prætorem hoc dicere: Ego frumentum neque attigi, neque adspexi; mancipibus potestatem probandi improbandique permisi; mancipes a civitatibus pecunias extorserunt: ego autem, quam pecuniam populis dare debui, mancipibus dedi. Mala est hæc quidem, ut dixi[1], defensio criminis; sed tamen hac ipsa tibi, si uti cupias, non licet. Vetat te Volcatius, tuæ tuorumque deliciæ, mentionem mancipis facere. Timarchides autem, columen familiæ vestræ, premit fauces defensionis tuæ: cui simul et Volcatio pecunia a civitate numerata est. Jam vero scriba tuus annulo[2] aureo suo, quem ex his rebus[3] invenit, ista te ratione uti non sinet. Quid igitur est reliquum, nisi uti fateare, te Romam frumentum emptum Siculorum pecunia misisse, publicam pecuniam domum tuam convertisse? O consuetudo peccandi, quantam habes jucunditatem in improbis et audacibus, quum pœna abfuit[4], et licentia consequuta est! Iste in hoc genere peculatus non nunc primum invenitur; sed nunc demum tenetur[5]. Vidimus huic ab ærario pecuniam numerari quæstori[6] ad sumptum exercitus consularis:

opponuntur *interpositis*. — *Institutæ*, i. e. paratæ, formatæ, atque expolitæ, κατεσκευασμέναι, respondent *perturbatis*. — Abest a quibusdam alterum *dic*.

LXXVI. 1. *Ut dixi*. Post hæc addit Sch. præeunte Grævio, e cod. Fabric. « ac potius perdita », ut in Verr. II, 62. Ernest. ut vitiata et interpolata non recepit. — *Vetat te Volcatius*. Quum fatetur palam se pecuniam, tuo jussu, accepisse.

2. *Annulo*. Vid. infra cap. 80.

3. *Ex his rebus*. Quem ex his rapinis locupletasti, ut inde jus annuli aurei gestandi haberet.

4. *Quum pœna abfuit*. Sic pro Milone, cap. 16, dicit maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem.

5. *Tenetur*. Arguitur, convincitur.

6. *Quæstori*. Cn. Carbonis consulis. — *Consulem sp*. Carbonem. Vid. orat. I secundæ actionis, ubi de Verris quæ-

vidimus paucis post mensibus et exercitum et consulem spoliatum. Illa omnis pecunia latuit in illa caligine[7] ac tenebris, quæ totam rempublicam tum occupaverant. Iterum gessit hereditariam[8] quæsturam cum Dolabella; magnam pecuniam avertit: sed ejus rationem cum damnatione Dolabellæ permiscuit[9]. Commissa[10] est pecunia tanta prætori: non reperietis hominem timide nec leviter hæc improbissima lucra ligurientem[11]; devorare omnem pecuniam publicam non dubitavit. Ita serpit illud insitum in natura malum consuetudine peccandi libera[12], finem ut audaciæ statuere ipse sibi non possit. Tenetur igitur aliquando, et in rebus tum maximis, tum manifestis tenetur. Atque in eam fraudem mihi videtur divinitus incidisse, non solum ut eas pœnas, quas proxime meruisset, solveret; sed ut illa etiam scelera ejus in Carbonem et in Dolabellam vindicarentur[13].

LXXVII. Etenim nova quoque alia res exstitit, judices, in hoc crimine, quæ tollat omnem dubitationem superioris illius decumani criminis. Nam, ut illud missum faciam, permultos aratores in alteras decumas[1], et in hæc ıↄccc millia modium, quod emptum populo romano darent, non habuisse, sed a tuo pro-

stura, legatione et prætura agitur.

7. *Caligine.* Metaphora, qua bellum civile Marianum significatur.—*Latuit.* Bene. Nam in illa rerum perturbatione leges silebant, sine quibus illius pecuniæ ratio a Verre reposci non poterat.

8. *Hereditariam.* Quam Malleolo quæstore occiso, quasi mortui hereditatem a Dolabella accepit. Lib. I, c. 36.

9. *Permiscuit.* Itaque furta Verris Dolabellæ sunt æstimata, id est, Dolabellæ ex bonis soluta sunt, ipse Verres integer abiit.

10. *Commissa est.* De publico ad emendum frumentum in Sicilia. — *Prætori.* Verri.

11. *Ligurientem.* Ligurire est, delicate et cum fastidio suaviora quæque delibare. — *Devorare*, est totum aliquid, ne dentibus quidem præmansum, simul absorbere.

12. *Libera.* Nullo pœnarum metu retardata.

13. *Vindicarentur.* Sic sæpius Verrem depinxit, quasi scelerum pœnis ac furiis ad ea actum, propter quæ supplicium aliquando obiret.

LXXVII. 1. *In alt. dec.* Vid. c. 70.

curatore, hoc est, ab Apronio, emisse; ex quo intelligi potest, nihil te aratoribus reliqui fecisse: ut hoc prætercam, quod in multis est testimoniis expositum; potest illo [2] quidquam esse certius, in tua potestate, atque in tuis horreis omne frumentum Siciliæ, per triennium, atque omnes fructus agri decumani, fuisse? Quum enim a civitatibus pro frumento pecuniam exigebas, unde erat frumentum, quod Romam mitteres, si tu id non omne clausum et compressum possidebas? Itaque in eo frumento primus tibi ille quæstus fuit ipsius frumenti, quod erat ereptum ab aratoribus: alter, quod id frumentum improbissime per triennium partum, non semel, sed bis, neque uno, sed duobus pretiis, unum et idem frumentum vendidisti; semel civitatibus, H-S xv in medimnum; iterum populo romano, a quo H-S xviii in medimna pro eodem illo frumento abstulisti. At enim frumentum [3] Centuripinorum, et Agrigentinorum, et nonnullorum fortasse præterea probasti, et his populis pecuniam dissolvisti. Sint aliquæ civitates in eo numero, quarum frumentum improbare nolueris: quid tandem [4]? his civitatibus omnisne pecunia, quæ pro frumento debita est, dissoluta est? Unum mihi reperi, non populum, sed aratorem: vide, quære, circumspice, si quis forte est ex ea provincia, in qua tu triennium præfuisti, qui te nolit perisse [5]; unum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui tibi vel ad statuam [6] pecuniam contule-

2. *Illo.* Quod sequitur. Nempe *in tua potestate.*

3. *At enim frumentum.* Prolepsis qua fit transitus ad tertiam narrationem. — *Probasti.* Bonum judicasti, accepisti. Supra: *in medimna* nempe singula. Quamvis utrumque « in medimnum » et « in medimna » sit latinum; Ernest. tamen existimat Ciceronem vix variasse.

4. *Quid tandem?* Subaud. *id causam tuam adjuvat.*

5. *Qui te nolit perisse.* Inopinatum; exspectabatur enim ut diceret, *qui se dicat totum accepisse.*

6. *Qui tibi vel ad statuam.* Vid.

runt, qui sibi dicat pro frumento omne esse, quod oportuerit, solutum. Confirmo, judices, neminem esse dicturum.

LXXVIII. Ex omni[1] pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione[2] et collybo[3]; deinde pro nescio quo cerario[4]. Hæc omnia, judices, non rerum certarum[5], sed furtorum improbissimorum sunt vocabula. Nam collybus esse qui potest, quum utantur omnes uno genere nummorum? Cerarium vero quid? quomodo hoc nomen[6] ad rationes magistratus, quomodo ad pecuniam publicam allatum est? Nam illud genus tertium[7] deductionis erat ejusmodi, quasi non modo liceret, sed etiam oporteret; nec solum oporteret, sed plane necesse esset. Scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquagesimæ detrahebantur.

supra libro II, capite 57 et seqq.

LXXVIII. 1. *Ex omni*. Tertia narratio ad cap. 81.

2. *Pro spectatione*. Id est, exploratione et probatione pecuniæ. Spectatores pecuniæ alio nomine nummularii appellabantur. Eorum provincia erat inspicere nummos, qui ad se deferebantur, et explorare an probi essent, cujus æri, an non subærati, an æqui ponderis, an bonæ fusionis. Vid. Digest. lib. XLVI, tit. 3, l. 39.

3. *Collybo*. Id est, permutatione. Gall. *pour le change*. Collybus proprie significat nummulum æreum, cui bos esset impressus. Sed quia minutis hisce nummis permutari soleret aurum argentumque, hinc factum, ut generatim pro pecuniæ permutatione dici cœperit, et latius etiam, ut hoc loco accipitur, pro intertrimento nummorum ex permutatione pecuniæ, quæ fieri solet apud nummularium. Nam pecunia, quam quis habet, quum aut abrogata, aut non recepta in ea provincia in qua debet expendi, tum illa permutatur et nummulario, pro permutatione, dantur nummi aliquot lucri nomine. Quod lucrum etiam collybus appellatur. Vid. Voss. Etym.

4. *Cerario*. Erat pecunia quam Verres exigebat pro cera ad obsignandas tabulas adhibita, seu pro ceratis tabulis, in quas erogatam aratoribus pecuniam scribæ referebant. Sic hodie publicani pro schedula accepti, gall. *pour la quittance*, pecuniam exigunt.

5. *Certarum*. Usu receptarum, aut lege constitutarum.

6. *Hoc nomen*. Cur id debitum invenitur in rationibus magistratus? Si quid scribæ pro ceræ, seu chartæ impensis exigunt, quid habet ista pecunia cum prætoris rationibus?

7. *Illud gen. tertium*. Nempe pro cerario erat.—*Ejusmodi*. Sic exigebatur.

Quis tibi hoc concessit? quæ lex? quæ senatus auctoritas? quæ porro æquitas, ut tantam pecuniam scriba tuus auferret[8], sive de aratorum bonis[9], sive de populi romani vectigalibus? Nam si potest ista pecunia sine aratorum injuria detrahi, populus romanus habeat, præsertim in tantis ærarii angustiis: sin autem et populus id voluit, et æquum ita est, solvi aratoribus, tuus apparitor[10] parva mercede populi conductus, de aratorum bonis prædabitur? et in hac causa scribarum ordinem in me concitabit[11] Hortensius? et eorum commoda a me labefactari, atque oppugnari jura[12] dicet? quasi vero hoc[13] scribis ullo exemplo sit, aut ullo jure concessum. Quid ego vetera repetam? aut quid eorum scribarum mentionem faciam, quos constat sanctissimos homines atque innocentissimos fuisse? Non me fugit, judices, vetera exempla pro fictis fabulis[14] jam audiri atque haberi: in his temporibus versabor miseris ac perditis. Nuper[15], Hortensi, quæstor fuisti; quid tui scribæ fecerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico, quum in eadem ista Sicilia[16] pro frumento civitatibus pecuniam solverem, et mecum

8. Cod. Nann. *averreret.* Lambin. Lallem. *averteret.* J. V. L.

9. *De aratorum bonis.* De pecunia quæ erat aut ex aratorum bonis, quia tota illis pro frumento dari debebat, aut ex vectigalibus, unde frumentum illud solvebatur.

10. *Tuus apparitor.* Contemptim de isto Verris assecla. Nam alias apparitor verbum est commune et comprehendit omnes prætoris ministros, scribas nempe, accensos, interpretes, lictores, præcones, viatores, servos publicos, carnifices, qui omnes magistratibus præsto esse debebant. Hi omnes mercede publica conducebantur.

11. *Concitabit.* Verbo invidioso utitur, ut supra verbo « ordinem ».

12. Alii, *injuria.* Utrumque Ern. abesse mallet. J. V. L.

13. *Hoc.* Id est, cerarium et binæ quinquagesimæ.

14. *Pro fictis fabulis.* Tam corruptis moribus vivimus, ut quidquid vitia nostra excedat et altioris virtutis specimina monstret, jam pro fabulis habeatur.

15. *Nuper.* Ante decem annos. Nam quæstor fuit Hortensius anno 673.

16. *In Sicilia.* In qua quæstor fui anno 678, quo anno Hortensius ædilis fuit.

duos frugalissimos homines scribas haberem, L. Mamilium et L. Sergium; non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum.

LXXIX. Dicerem [1], hoc mihi totum esse attribuendum, judices, si illi umquam a me hoc postulassent, si umquam omnino cogitassent. Quamobrem enim scriba deducat, ac non potius mulio, qui advexit [2]? tabellarius, cujus adventu certiores facti [petiverunt]? præco, qui adire jussit? viator, ac Venerius, qui fiscum sustulit? Quæ pars operæ aut opportunitatis in scriba est, cur ei non modo merces tanta detur, sed cur cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat? Ordo [3] est honestus. Quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? Est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque [4] magistratuum committuntur. Itaque ex his scribis, qui digni sunt illo ordine, patribusfamilias, viris bonis atque honestis, percontamini, quid sibi istæ quinquagesimæ velint. Jam omnes intelligetis, novam rem totam atque indignam videri. Ad eos me scribas revoca, si placet: noli hos

LXXIX. 1. *Dicerem.* Me unum delicti eorum obsidem futurum.

2. Alii habent *advexerit;* alii *adduxerit.* Deinde rescriptum *adire* e cod. Nanniano. Fere omnes ceteri, *abire.* Hotom. dederat *adesse*, quod quidam receperunt. J. V. L. — *Advexit.* Pecuniam. — *Petiverunt.* Censet Grævius vocem hanc, ut irreptitiam delendam esse. — *Qui adire.* Qui eos, quum ad prætorem venerunt, nominatim vocavit. — *Qui fiscum sustulit.* Qui saccos plenos pecuniæ, quæ numeranda erat aratoribus, sustinuit et attulit. — *Fiscus* est corbis sparteus, vel vimineus, ad majoris summæ pecunias accipiendas.

3. *Ordo est honestus.* De hujus ordinis honestate, in quem cuivis per pecuniam pervenire licebat, multa dabit Ernest. in Indic. qui plures recitat auctores.

4. *Pericula.* Hoc loco sunt libelli, seu tabellæ, quibus aliquid consignatur. Magistratuum administrationis tabulas scribæ diligenter conficiebant, ex quibus postea ratio istius administrationis senatui reddi posset; ideo iis quibus illæ tabulæ committuntur, *magistratuum pericula* committi aptissime dicuntur, id est, tabulæ ex quibus senatus periculum seu documentum capiet recte ne, an secus provincia administrata fuerit.

colligere[5], qui nummulis corrogatis de nepotum[6] donis, ac de scenicorum corollariis[7], quum decuriam[8] emerunt, ex primo ordine explosorum[9] in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt. Eos scribas[10] tecum disceptatores hujus criminis habebo, qui istos scribas esse moleste ferunt. Tametsi, quum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriæ propositus est et dignitati; mirabimur, turpes aliquos[11] ibi esse, quo cuivis licet pretio pervenire?

LXXX. Tu ex pecunia publica H-S tredecies[1] scri-

5. *Nihil hos colligere*. Similes Verris scribæ, quem orator Scenicum fuisse significat, ineptum quidem, et ex iis maxime qui exploderentur, sed qui tamen ab iis qui suas opes in ludos profundebant, scenicisque corollaria præbebant, locupletatus, locum in aliqua scribarum decuria coemerat.

6. *Nepotum*. Ii dicuntur qui temere et inconsulte largiendo, qui epulis, ludis, compotationibus patrimonia sua effundunt. Hi solebant in theatro sæpe ad ostendendam suam liberalitatem pecunia, aut aliis muneribus histriones donare.

7. *Corollariis*. Corollarium dicitur id, quod additur præter debitum. Fit a corollis, quæ actoribus, quum placuerant, in scena olim dari solebant. Postea pecunia etiam iis data est. Vid. lib. IV, cap. 16.

8. *Quum decuriam*. Id est, locum in aliqua decuria. Porro *decuriæ* erant collegia, in quibus librarii, scribæ, lictores, viatores, nomenclatores, accensi magistratuum rom. censebantur.

9. *Ex primo ordine explosorum*. Histriones, quum eorum actio aut pronuntiatio non probatur, exsibilantur et exploduntur. In iis fuisse scriba Verris, antequam decuriam emeret. Primus ordo explosorum deterrimos significat histriones, in quo festive Cicero, quum videtur laudare, dicens *primus ordo*, vituperat, subjungens *explosorum*. — *In secundum ordinem*. Is est equester ordo: primus erat senatorius. — *Se venisse dicunt*. Non quod revera venerint, sed quod venisse se sibi videantur; quia decuriam emerunt, unde in equestrem ordinem ascendi solet.

10. *Eos scribas*. Superiores illos, qui sunt boni viri et digni illo ordine. — *Hujus criminis*. Quo binas quinquagesimas detraxisti. Porro judicium peculatus aperte Verri denuntiat. — *Qui istos*. Olim histriones, nunc scribas esse, etc. Verris scribam præcipue significat. — *Moleste ferunt*. Propter eorum indignitatem. — *Tametsi*. Correctio. — *In eo ordine*. Senatorio. Interpretatur Grævius de scribis, quorum ordinem honestum esse modo dixit Tullius. Sed eum refellunt ipsa Ciceronis verba. Quis enim dicat patere dignitati ordinem, quo cuivis licet pretio pervenire?

11. Edd. vett. *aliquot*. J. V. L.

LXXX. 1. *H-S tredecies*. Immo quatuordecies, subaud. centena millia (gall. 287,000 fr.). Nam binæ quinquagesimæ totius illius summæ quæ Verri per triennium fuerat erogata ex

bam tuum permissu tuo quum abstulisse fateare, reliquam tibi ullam defensionem putas esse? hoc ferre quemquam posse? hoc quemquam denique nunc tuorum advocatorum[2] animo æquo audire arbitrare? qua in civitate C. Catoni, clarissimo viro, consulari homini, H-S XVIII[3] millibus lis æstimata sit; in eadem civitate apparitori tuo esse concessum, ut H-S uno nomine[4] tredecies auferret? Hinc ille est annulus aureus[5], quo tu istum in concione donasti: quæ tua donatio singulari impudentia prædita, nova Siculis omnibus, mihi vero etiam incredibilis videbatur. Sæpe enim nostri imperatores, superatis hostibus, optime republica gesta, scribas suos annulis aureis in concione donarunt: tu vero quibus rebus gestis, quo hoste superato, concionem, donandi causa, advocare ausus es? Neque enim solum scribam tuum annulo; sed etiam virum fortissimum ac tui dissimillimum, Q. Rubrium, excellentem[6] virtute, auctoritate, copiis[7], corona et phaleris, et torque donasti; M. Cos-

ærario, quæque erat fere H-S trecenties sexagies, cap. 70, efficiunt quatuordecies sestertium, et paullo plus.

2. *Advocatorum*. Vid. pro Quint. cap. 1, quid sint.

3. *H-S* XVIII *millibus*. Judicatus est Cato de provincia prædatus fuisse ad sestertium decem et octo millia (gall. 3,690 fr.), atque nulla dignitatis hominis, aut tenuitatis pecuniæ habita ratione, ut eam restitueret, condemnatus est. Consul fuit Cato anno 639. Ex consulatu Macedoniam administravit, ex qua repetundarum est damnatus. Litem Catonis quater millibus duntaxat fuisse æstimatam (820 fr.), ait Velleius Paterc. lib. II, cap. 8. C. Cato damnatus ivit in exsilium Tarraconem in Hispaniam, soloque civitatis suæ mutato, civis Tarraconensis est factus. Ille erat nepos Catonis Censorii. Cic. pro Corn. Balbo. Vid. et Ind. Histor.

4. *Uno nomine*. H. e. una serie, uno manus conjectu.

5. *Hinc ille est annulus*. Digressio qua clauditur tertia hæc narratio. —*Hinc*. Id est, ex illa pecunia, ex qua jam censum equestrem habebat. — *Donasti*. Atque equitem fecisti; nam annulus erat equitum romanorum insigne.

6. Victor. Manut. *excellenti*. J. V. L.

7. *Copiis*. Divitiis; valde locupletem. — *Corona*. Hæc erant dona militaria. Coronæ aliæ erant civicæ, quæ civi dabantur ob civem in prælio servatum; aliæ murales, quibus donabantur ab imperatore, qui murum hostilem primi subiissent.

sutium, sanctissimum virum atque honestissimum; M. Castritium, summo splendore, ingenio, gratia præditum. Quid hæc sibi[8] horum trium civium romanorum dona voluerunt? Siculos præterea, potentissimos nobilissimosque, donasti; qui non, quemadmodum sperasti, tardiores fuerunt, sed ornatiores[9] tuo judicio ad testimonia dicunda venerunt. Quibus ex hostium spoliis? de qua victoria? qua ex præda aut manubiis hæc abs te donatio constituta est? an[10] quod, [11] te prætore, paucorum adventu myoparonum, classis pulcherrima, Siciliæ propugnaculum, præsidiumque provinciæ, piratarum manibus incensa est? an quod ager Syracusanus prædonum incendiis, te prætore, vastatus est? an quod forum Syracusanum navarchorum sanguine redundavit? an quod in portu Syracusano piraticus myoparo navigavit? Nihil possum reperire, quamobrem te in istam amentiam incidisse arbitrer: nisi forte id egisti, ut hominibus ne oblivisci quidem rerum tuarum male gestarum liceret. Annulo est aureo scriba donatus, et ad eam donationem concio est advocata. Quod erat os tuum, quum videbas in concione eos homines, quorum ex bonis iste annulus aureus donabatur, qui ipsi annulos aureos posuerant, liberisque detraxerant, ut esset [12], unde scriba [13] tuus

8. *Quid hæc sibi?* An ideo eos donasti muneribus, ut ne contra te, quum reus esses factus, testimonium dicerent?

9. *Ornatiores*. Alludit ad morem militum, qui donis militaribus ornati, una cum imperatore suo in triumphum veniebant. — *Tuo judicio*. Te ipso judicante donis eos esse ornandos.

10. *An quod?* Inopinatum. — *Paucorum*. Myoparo est navicula piratarum. Hanc cladem multo fusius describit infra lib. V, cap. 33.

11. Ernest. addere jubet *quibus;* Schütz. addidit. Ambo in MSS et edd. perperam omissum putant. J. V. L.

12. Olim vulgati omnes libri *essent*. Primus Gronov. e cod. Franc. dedit *esset;* quam lectionem nemini non approbavit. J. V. L.

13. *Ut esset, unde scriba tuus*. Ut census equestris tuo scribæ conficeretur, unde jus haberet annuli illius gestandi, qui muneris ac beneficii tui est. Census equestris sestertium erat

hoc tuum munus ac beneficium tueretur? Quæ porro præfatio tuæ donationis fuit? Illa scilicet vetus atque imperatoria[14]? QUANDO TU QUIDEM IN PRÆLIO, IN BELLO, IN RE MILITARI; cujus ne mentio quidem, te prætore, ulla facta est : an illa? QUANDOQUIDEM TU NULLA UMQUAM MIHI IN CUPIDITATE AC TURPITUDINE DEFUISTI; OMNIBUSQUE IN IISDEM FLAGITIIS MECUM ET IN LEGATIONE[15], ET IN PRÆTURA, ET HIC IN SICILIA VERSATUS ES: OB HASCE RES, QUONIAM TE LOCUPLETAVI[16], HOC ANNULO AUREO DONO. Vera hæc fuisset oratio : non enim iste annulus aureus abs te datus, istum virum[17] fortem, sed hominem locupletem esse declarat. Ita eumdem annulum ab alio datum, testem virtutis duceremus: abs te donatum, comitem pecuniæ[18] judicamus.

LXXXI. Dictum[1], judices, est de decumano frumento; dictum de empto : extremum et reliquum est, de æstimato[2]. Quod quum magnitudine[3] pecu-

quadringentorum millium (gallicæ pecuniæ 82,000 fr.).

14. *Imperatoria*. Id est quam adhibere solent imperatores, quum ob virtutem ornant aliquem donis militaribus.

15. *In legatione*. Asiatica. Vid. lib. I, cap. 15. — *In prætura*. Urbana. Ibid. cap. 40.

16. *Te locupletavi*. Tibi censum equestrem dedi. — *Hoc annulo*. Id est, equestri loco, cujus insigne est annulus aureus. Docere videtur hic locus, qui annulo aureo donaretur, adeptum eum fuisse locum inter equites romanos, et jam pro equite haberi solere, licet a censoribus nondum lectus esset.

17. *Virum fortem*. Hominem scilicet virtute ita spectata insignem, ut militari hoc munere donetur. — *Locupletem*. Cui per censum liceat annulum equestrem gestare.

18. *Comitem pecuniæ*. Quum nihil aliud præter pecuniam, in eo respicias, quem ornas illo munere.

LXXXI. 1. *Dictum, judices*. Transitio ad tertiam partem contentionis, de frumento æstimato, ad cap. 97.

2. *De æstimato*. De quo hæc habe. Dabat prætori provincia frumenti in cellam, seu ad usus domesticos, certum modiorum numerum, quorum singuli quaternis sestertiis solvebantur aratoribus, ex senatusconsulto. Licebat prætori pro frumento pecuniam, si vellet, accipere, non illam solum ex senatus decreto constitutam, sed tantam quantam in singulos modios ipse pro jure suo constituerat. Itaque in ea re, ut ait Asconius, pag. 95, avarissimi quique prætores infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium sociis imperando. De cella vid. lib. II, c. 2.

3. Alii, *tum magnitudine*. J. V. L.

niæ[4], tum injuriæ genere quemvis debet commovere; tum vero eo magis, quod ad hoc crimen non ingeniosa aliqua defensio, sed improbissima confessio comparatur. Nam quum ex senatusconsulto et ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret; idque frumentum senatus ita æstimasset, quaternis H-S tritici modium; binis, hordei: iste, numero[5] ad summam tritici adjecto, tritici modios singulos cum aratoribus denariis ternis[6] æstimavit. Non est in hoc[7] crimen, Hortensi; ne forte ad hoc meditere, multos sæpe viros bonos, et fortes, et innocentes cum aratoribus et cum civitatibus frumentum, in cellam quod sumi oporteret, æstimasse, et pecuniam pro frumento abstulisse. Scio, quid soleat fieri; scio, quid liceat: nihil, quod antea fuerat in consuetudine bonorum, nunc in istius facto reprehenditur. Hoc reprehendo, quod, quum in Sicilia H-S II tritici modius esset, ut istius epistola ad te missa declarat; summum H-S ternis, id quod et testimoniis omnibus et tabulis aratorum planum factum antea est: tum iste pro tritici modiis singulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Hoc crimen est; ut intelligas, non ex[8] æstimatione;

4. *Pecuniæ.* Quam Verres prædatus est hoc nomine.

5. *Numero.* Ad summam quam salvis legibus imperare poterat, adjecto.

6. *Denariis ternis.* Quaternis sestertiis (gall. 82 cent.) in modios singulos erat senatus æstimatio; pro ea denarios ternos (gall. 2 fr. 46 cent.) Verres exegit ab aratoribus.

7. *In hoc.* Quod pecuniam pro frumento acceperit. — *Crimen.* Accusatio mea. — *Multos sæpe.* Deest *scio*, quod reponendum est.

8. *Non ex æstimatione.* Non ex eo Verrem reprehendo, quod frumentum æstimarit, quia id jam antea ab aliis factum scio; neque ex eo maxime quod ternos denarios pro singulis modiis acceperit, potuit enim in caritate annonæ modius tanto æstimari. Sed ex eo illum reprehendo, quod modiorum, qui dari debebant, numerum auxerit, et quod in vilitate annonæ modiorum singulorum æstimationem ad ternos denarios produxerit. Hoc crimen est, atque adeo non avaritiam prætoris, sed ejus impudentiam, quod illa coauctione consuetudinem, leges, et instituta violarit, accuso. Porro, *annonæ*, pro frumento prætoris an-

neque ex ternis denariis pendere crimen, sed ex coauctione annonæ[9], atque æstimationis.

LXXXII. Etenim hæc æstimatio nata est, judices, initio, non ex prætorum aut consulum, sed ex aratorum atque civitatum commodo. Nemo enim fuit initio tam impudens, qui, quum frumentum deberetur, pecuniam posceret: certe hoc ab aratore primum est profectum, aut ab ea civitate, cui imperabatur[1]: quum aut frumentum vendidisset, aut servare vellet, aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollet; petivit in beneficii loco, et gratiæ, ut sibi pro frumento, quanti[2] frumentum esset, dare liceret. Ex hujusmodi principio, atque ex liberalitate[3] atque accommodatione magistratuum, consuetudo æstimationis introducta est. Sequuti sunt avariores magistratus: qui tamen in avaritia sua non solum viam quæstus invenerunt, verum etiam exitum ac rationem defensionis. Instituerunt semper ad ultima[4] ac difficillima ad portandum[5] loca frumentum imperare, ut, vecturæ difficultate, ad quam vellent æstimationem pervenirent. In hoc genere facilior est existimatio, quam reprehensio; ideo, quod eum, qui hoc facit, avarum possumus existimare, crimen in eo consti-

nuo sumitur hoc loco. Nam alias rerum omnium ad victum pertinentium, sed maxime rei frumentariæ proventum annuum significat.

9. *Annonæ.* Annonam veteres pro dea coluerunt. Declarat inscriptio vetus divæ Annonæ apud Voss. in Etymol. et Annonæ sanctæ apud Gruter. pag. 81.

LXXXII. 1. *Cui imperabatur.* A qua frumentum exigebatur.

2. *Quanti.* Tantum pecuniæ, quanti tunc frumentum constare liceret.

3. *Ex liberalitate.* Ex nimia facilitate prætorum, qui se ad illorum voluntatem accommodaverunt.

4. *Ad ultima.* Ad extrema provinciæ suæ loca, et quo difficillimæ erant vecturæ. —*Ad portandum.* Ut ea vecturæ difficultate territos aratores ad eam, quam vellent, conditionem sive æstimationem adducerent: et tanti modios singulos, quanti vellent ipsi prætores, solverent et æstimarent.

5. Alii habent, *loca adportandum fr. imp.* J. V. L.

tuere non tam facile possumus; quod videtur concedendum magistratibus nostris esse, ut iis, quo loco velint, frumentum accipere liceat. Itaque[6] hoc est, quod multi fortasse fecerunt : et[7] ita multi, ut ii, quos innocentissimos meminimus, aut audivimus, non fecerint.

LXXXIII. Quæro nunc a te, Hortensi, cum utris tandem istius factum collaturus es? cum iis, credo, qui, benignitate adducti, per beneficium et gratiam civitatibus concesserunt, ut nummos pro frumento darent. Ita credo, petiisse ab isto aratores, ut, quum H-S ternis tritici modium vendere non possent, pro singulis modiis ternos denarios dare liceret. An, quoniam hoc non audes dicere, illuc confugies, vecturæ difficultate adductos, ternos denarios dare maluisse? Cujus vecturæ? quo ex loco, in quem locum ne portarent? Philomelione Ephesum[1]? Video[2], quid inter annonam interesse soleat; video, quot dierum via sit; video Philomeliensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quam Ephesum portare, aut ad emendum frumentum Ephesum pecuniam et legatos mittere. In Sicilia vero quid ejusmodi? Enna mediterranea est maxime: coge, ut ad aquam[3] tibi, id quod summi juris est, frumentum

6. *Itaque hoc est.* Itaque hoc multi fortasse fecerunt; sed ita tamen, ut ii, quos viros bonos novimus non egerint.

7. Melius *sed*, ut jam vidit Manut. J. V. L.

LXXXIII. 1. *Philomelione Ephesum?* An a Philomelio verbi gratia urbe Phrygiæ ultra montes posita, Ephesum usque portandum erat frumentum? Quod iter passuum ducentorum triginta millium, gall. 92 *lieues*, difficile vecturis faciunt anfractus diversi, variique flexus Mæandri.

2. *Video.* Scio frumenti pretium non idem esse omnibus in locis; potest enim pluris esse Ephesi, quam Philomelii.

3. *Ad aquam.* Ad aliquem portum. — *Quod summi juris est.* Id est, ulterius ad portandum frumentum imperare non potuisti, quia provincia tua non patet ulterius.

Ennenses metiantur : vel Phintiam, vel Halesam, vel Catinam, loca inter se[4] maxime diversa, eodem[5] die, quo jusseris, deportabunt. Tametsi ne vectura[6] quidem opus est. Nam totus quæstus[7] hic, judices, æstimationis, ex annonæ natus est varietate. Hoc enim magistratus in provincia assequi potest, ut ibi accipiat, ubi est carissimum. Ideo valet ista ratio æstimationis in Asia; valet in Hispania; valet in his provinciis, in quibus unum pretium frumento esse non solet. In Sicilia vero quid cujusquam intererat, quo loco daret? neque enim portandum erat; et, quo quisque vehere jussus esset, ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi vendidisset. Quamobrem si quid, Hortensi, docere vis, aliquid[8] ab isto[9] simile in æstimatione, atque a ceteris, esse factum; doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ, prætore Verre, ternis denariis tritici modium fuisse.

LXXXIV. Vide, quam tibi defensionem patefecerim; quam iniquam in socios, quam remotam ab utilitate reipublicæ, quam sejunctam a voluntate atque sententia legis. Tu, quum tibi[1] ego frumentum in meis agris, atque in mea civitate, denique quum in iis locis, in quibus es, versaris, rem geris, provinciam

4. *Loca inter se.* Sunt enim in singulis Siciliæ lateribus posita.

5. *Eodem die.* Non omnino, loca enim hæc distant ab Enna amplius quinquaginta millibus passuum (gall. 20 *lieues*), quæ vix duobus diebus possunt emetiri. Sed hæc oratorie dicuntur.

6. *Ne vectura.* Emet arator ibi tantum frumenti, quod magistratui det, quantum domo exportare debuisset.

7. *Totus quæstus.* Quæstus quem nonnulli magistratus fecerunt ex frumenti æstimatione, natus est ex varietate pretii annonæ. Magistratus enim imperat, ut ibi frumentum sibi detur, ubi est carissimum. Inde nascitur quæstuosior æstimatio. Ideo hac utuntur ratione prætores in Asia, et in his provinciis, in quibus frumentum non ut in Sicilia erat certa lege æstimatum.

8. Lambinus edidit, *quamobrem si vis, Hortensi, docere aliquid.* Garaton vero *aliquid* delere maluit. J. V. L.

9. *Aliquid ab isto.* Repete, *si... docere vis.* J. V. L.

LXXXIV. 1. *Tu quum tibi.* Hæc dicuntur ex persona aratoris.

tuere non tam facile possumus; quod videtur concedendum magistratibus nostris esse, ut iis, quo loco velint, frumentum accipere liceat. Itaque[6] hoc est, quod multi fortasse fecerunt: et[7] ita multi, ut ii, quos innocentissimos meminimus, aut audivimus, non fecerint.

LXXXIII. Quæro nunc a te, Hortensi, cum utris tandem istius factum collaturus es? cum iis, credo, qui, benignitate adducti, per beneficium et gratiam civitatibus concesserunt, ut nummos pro frumento darent. Ita credo, petiisse ab isto aratores, ut, quum H-S ternis tritici modium vendere non possent, pro singulis modiis ternos denarios dare liceret. An, quoniam hoc non audes dicere, illuc confugies, vecturæ difficultate adductos, ternos denarios dare maluisse? Cujus vecturæ? quo ex loco, in quem locum ne portarent? Philomelione Ephesum[1]? Video[2], quid inter annonam interesse soleat; video, quot dierum via sit; video Philomeliensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quam Ephesum portare, aut ad emendum frumentum Ephesum pecuniam et legatos mittere. In Sicilia vero quid ejusmodi? Enna mediterranea est maxime: coge, ut ad aquam[3] tibi, id quod summi juris est, frumentum

6. *Itaque hoc est.* Itaque hoc multi fortasse fecerunt; sed ita tamen, ut ii, quos viros bonos novimus non egerint.

7. Melius *sed*, ut jam vidit Manut. J. V. L.

LXXXIII. 1. *Philomelione Ephesum?* An a Philomelio verbi gratia urbe Phrygiæ ultra montes posita, Ephesum usque portandum erat frumentum? Quod iter passuum ducentorum triginta millium, gall. 92 *lieues*, difficile vecturis faciunt anfractus diversi, variique flexus Mæandri.

2. *Video.* Scio frumenti pretium non idem esse omnibus in locis; potest enim pluris esse Ephesi, quam Philomelii.

3. *Ad aquam.* Ad aliquem portum. — *Quod summi juris est.* Id est, ulterius ad portandum frumentum imperare non potuisti, quia provincia tua non patet ulterius.

Ennenses metiantur: vel Phintiam, vel Halesam, vel Catinam, loca inter se[4] maxime diversa, eodem[5] die, quo jusseris, deportabunt. Tametsi ne vectura[6] quidem opus est. Nam totus quæstus[7] hic, judices, æstimationis, ex annonæ natus est varietate. Hoc enim magistratus in provincia assequi potest, ut ibi accipiat, ubi est carissimum. Ideo valet ista ratio æstimationis in Asia; valet in Hispania; valet in his provinciis, in quibus unum pretium frumento esse non solet. In Sicilia vero quid cujusquam intererat, quo loco daret? neque enim portandum erat; et, quo quisque vehere jussus esset, ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi vendidisset. Quamobrem si quid, Hortensi, docere vis, aliquid[8] ab isto[9] simile in æstimatione, atque a ceteris, esse factum; doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ, prætore Verre, ternis denariis tritici modium fuisse.

LXXXIV. Vide, quam tibi defensionem patefecerim; quam iniquam in socios, quam remotam ab utilitate reipublicæ, quam sejunctam a voluntate atque sententia legis. Tu, quum tibi[1] ego frumentum in meis agris, atque in mea civitate, denique quum in iis locis, in quibus es, versaris, rem geris, provinciam

4. *Loca inter se.* Sunt enim in singulis Siciliæ lateribus posita.

5. *Eodem die.* Non omnino, loca enim hæc distant ab Enna amplius quinquaginta millibus passuum (gall. 20 *lieues*), quæ vix duobus diebus possunt emetiri. Sed hæc oratorie dicuntur.

6. *Ne vectura.* Emet arator ibi tantum frumenti, quod magistratui det, quantum domo exportare debuisset.

7. *Totus quæstus.* Quæstus quem nonnulli magistratus fecerunt ex frumenti æstimatione, natus est ex varietate pretii annonæ. Magistratus enim imperat, ut ibi frumentum sibi detur, ubi est carissimum. Inde nascitur quæstuosior æstimatio. Ideo hac utuntur ratione prætores in Asia, et in his provinciis, in quibus frumentum non ut in Sicilia erat certa lege æstimatum.

8. Lambinus edidit, *quamobrem si vis, Hortensi, docere aliquid.* Garaton. vero *aliquid* delere maluit. J. V. L.

9. *Aliquid ab isto.* Repete, *si... docere vis.* J. V. L.

LXXXIV. 1. *Tu quum tibi.* Hæc dicuntur ex persona aratoris.

administras, paratus sim dare; angulum mihi aliquem eligas provinciæ reconditum ac derelictum? jubeas ibi me metiri, quo portare non expediat[2]? ubi emere[3] non possim[4]? Improbum facinus, judices, non ferendum, nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum: tamen ego hoc, quod ferri nego posse, Verri, judices, concedo et largior. Si ullo in loco ejus provinciæ frumentum tanti fuit, quanti iste æstimavit, hoc crimen in istum reum valere oportere non arbitror. Verum enimvero quum esset H-S binis, aut etiam ternis, quibusvis in locis provinciæ, duodenos sestertios[5] exegisti. Si mihi tecum[6] neque de annona, neque de æstimatione tua potest esse controversia, quid sedes? quid exspectas? quid defendes? Utrum tibi[7] pecuniæ[8] conciliatæ videntur adversum leges, adversum rempublicam, cum maxima sociorum injuria; an vero id recte, ordine, e republica, sine cujusquam injuria factum esse defendes? Quum tibi senatus ex ærario pecuniam prompsisset, et singulos tibi denarios adnumerasset, quos tu pro singulis modiis aratoribus solveres; quid facere debuisti? Si, quod[9] L. Piso ille Frugi, qui legem de

2. *Non expediat.* Propter vecturæ difficultatem.

3. *Ubi emere.* Propter istius anguli miseriam.

4. Alii, *possum*. J. V. L.

5. *Duodenos sestertios.* Seu ternos denarios, quod idem est; nam denarius quatuor respondet sestertiis.

6. *Si mihi tecum.* Tollitur controversia quum id probatur, quod objicitur. Ego nihil objicio quod non probem; ergo mihi tecum non potest esse controversia, neque de annona, i. e. quanti apud Siculos constiterit triticum, quod facile probatur sestert. binis aut ternis fuisse; neque de æstimatione, id est, de ternis denariis.

7. *Utrum tibi.* Utrum fateris pecunias istas, duodenos inquam sestertios a sociis vi, et cum injuria ereptas fuisse? Nam *conciliare* hic est capere. Utrumque verbum conjungitur supra cap. 30, quibus statim subjicitur explicandi causa, vi atque imperio cogere invitos.

8. Lambin. addit *coactæ*. J. V. L.

9. *Si quod.* Si fecisses quod fecit L. Piso, quum Siciliæ præesset ex prætura, anno Urbis conditæ 614: tulit legem anno Urbis conditæ 604.

pecuniis repetundis primus tulit; quum emisses[10], quanti esset, quod superaret pecuniæ, retulisses: si, ut[11] ambitiosi homines, aut benigni; quum pluris senatus æstimasset, quam quanti esset annona, ex senatus[12] æstimatione, non ex annonæ ratione, solvisses: sin, ut plerique[13] faciunt, in quo etiam erat aliquis quæstus, sed is honestus, atque concessus; frumentum, quoniam vilius erat, ne emisses; sumpsisses id nummorum, quod tibi senatus, cellæ nomine, concesserat.

LXXXV. Hoc vero[1] quid est? quam habet rationem, non quæro æquitatis, sed ipsius improbitatis atque impudentiæ? Neque enim est fere quidquam, quod homines palam facere audeant in magistratu, quamvis improbi, quin ejus facti, si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. Hoc[2] quid est? Venit prætor: Frumentum[3], inquit, me abs te emere oportet.—Optime[4].—Modium denario.—Benigne, ac

10. *Quum emisses.* Subaudi tot modios quot erant emendi, et pro iis pretium persolvisses, non quanti senatus æstimasset, sed quanti esset annona in provincia. — *Retulisses.* In ærarium.

11. *Si, ut.* Si fecisses quod faciunt ii homines, qui gratiam et benivolentiam provincialium ambiunt. — *Benigni.* Minime avari. — *Quanti esset.* In provincia.

12. *Ex senatus.* Totam pecuniam quam acceperas a senatu, dedisses aratoribus, et *ex senatus æstimatione solvisses*, nulla habita ratione pretii minoris, quo annona esset in provincia.

13. *Sin, ut plerique.* Si facere voluisses quod plerique faciunt, frumentum, quoniam vilius erat senatus æstimatione, non emisses, id est, non petisses ab aratoribus, et a quæstore sumpsisses tibi id nummorum pretium.

LXXXV. 1. *Hoc vero.* Illud autem quod fecisti an consentit, non dico cum æquitate, sed cum ipsa improbitate? ipsa enim suis etiam consiliis regi vult improbitas.

2. *Hoc quid est?* Sed hoc tuum factum qua ratione defendes.

3. *Frumentum.* Dialogismus prætorem inter et aratorem.

4. *Optime*, inquit arator. — *Modium*, ait prætor, emam *denario*, seu quatuor sestertiis. —*Benigne*, ait arator. — *Vendere.* Subaud. hic in provincia. — *Mihi.* Verba prætoris. — *Nam*, pro *sed.* — *Me ad denarios.* Me pecuniam pro frumento accepturum. —*Necesse est.* Ut ego dem pecuniam. — *Video esse.* Verba Verris. — *Quid ergo.* Verba aratoris.— *Dederit.* Quos possis retinere, et quum frumentum sit vilius.

liberaliter: nam ego tribus H-S non possum vendere.—Mihi frumento non opus est: nummos volo.—Nam speraveram, inquit arator, me ad denarios perventurum; sed, si ita necesse est, quanti frumentum sit, considera. Video esse binis H-S. Quid ergo a me tibi nummorum dari potest, quum senatus tibi quaternos H-S dederit? Quid poscat[5], attendite; et vos, quæso, simul, judices, æquitatem prætoris attendite.—Quaternos H-S, quos mihi senatus decrevit, et ex ærario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco. —Quid postea?—Quid? pro singulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos H-S[6] dato.—Qua[7] ratione? —Quid quæris[8] rationem? non tantam rationem res habet, quantam utilitatem atque prædam.—Dic, dic, inquit ille, planius. Senatus te voluit mihi nummos dare; me tibi frumentum metiri. Tu eos nummos, quos mihi senatus dari voluit[9], ipse habebis; a me, cui singulos denarios dari oportuit, binos aufers? et huic prædæ ac direptioni, cellæ[10] nomen imponis? Hæc deerat injuria[11], et hæc calamitas aratoribus, te prætore, qua reliquis fortunis omnibus everterentur: nam quid esse reliqui poterat ei, qui per hanc injuriam non modo frumentum omne amittere, sed etiam omne instrumentum vendere cogeretur? Quo enim se verteret, non habebat. Ex quo fructu nummos, quos

5. Victor. Manut. *poscit*. J. V. L.—*Quid poscat?* Verba Ciceronis.—*Quaternos H-S*. Verba Verris.—*Quid postea?* Verba aratoris.—*Quid?* ait prætor.

6. *Octonos sestertios*. Seu duos denarios, qui ad singulos denarios quos pro singulis modiis dat senatus, adjecti, ternos efficient denarios in singulos modios.

7. *Qua ratione*. Verba aratoris.

8. *Quid quæris?* Verba forte hæc sunt Ciceronis inserta dialogismo.—*Inquit ille*. Id est, arator.

9. *Dari voluit*. Hotom. et Manut. Sed codices habent *dare*. Sic Desjard.

10. *Cellæ*. Et hoc vocas dare tibi frumentum in cellam.

11. Cod. Nann. *Hoc deerat injuriæ*. J. V. L.—*Hæc deerat injuria*. Hucusque dialogismus. Jam loquitur Cicero.

tibi daret, inveniret? Decumarum nomine tantum erat ablatum, quantum voluntas tulerat Apronii; pro alteris decumis, emptoque frumento, aut nihil datum[12], aut tantum datum, quantum reliqui[13] scriba fecerat, aut ultro etiam, id quod didicistis, ablatum. Cogantur etiam[14] nummi ab aratore? quomodo? quo jure? quo exemplo?

LXXXVI. Nam, quum fructus diripiebantur aratorum, atque omni lacerabantur injuria; videbatur id perdere arator, quod aratro ipse quæsisset, in quo elaborasset, quod agri segetesque extulissent. Quibus injuriis gravissimis tamen illud erat miserum solatium, quod id perdere videbatur, quod alio prætore, eodem ex agro reparare posset. Nummos vero ut det[1] arator, quos non[2] aratro ac manu quærit, boves, et aratrum ipsum, et omne instrumentum vendat, necesse est. Non enim debetis hoc cogitare: habet[3] idem in nummis; habet idem in urbanis prædiis. Nam quum aratori onus aliquod imponitur, non hominis[4], si quæ sunt præterea, facultates, sed arationis ipsius vis ac ratio[5] consideranda est, quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit ac debeat. Quamquam illi[6] quo-

12. *Aut nihil datum*. Aut nulla pecunia soluta est.

13. *Quantum reliqui*. Ablatis illis binis quinquagesimis, cap. 78, quod reliquum fuit pecuniæ, id datum aratoribus est, pro alteris decumis; aut etiam id reliqui *ultro*, id est, nulla causa, nullo nomine, sed pro Verris ipsius libidine, ablatum est.

14. *Cogantur etiam*. Et post tot direptiones, tu coges etiam nummos dare aratorem? Epiphonema.

LXXXVI. 1. *Det*. Alii, *daret*. J. V. L.

2. Cod. Nann. *quos non exarat*. Audacius. J. V. L.

3. *Habet idem*. Facultates in nummis, sive in fœnore positis, sive in arca reconditis. Idem habet villas et prædia. Porro *urbana prædia* jurisconsulti appellant, inquit Hotomannus, omnia ædificia, quamvis in villa sint.

4. Sic, teste Camerario, editio Veneta, et eodem ducunt regii codices, in quibus scribitur, *non homines*. Ernest. cum vulgat. *non omnes*. J. V. L.

5. *Vis ac ratio*. Non reliquæ hominis sunt attendendæ fortunæ, sed quum de aratione agatur, videndum quid, ut arator, possit pati.

6. *Quamquam illi*. Qui habebant in nummis et prædiis.

que sunt homines ab isto omni ratione exinaniti ac perditi; tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in republica fungi [7] ac sustinere velitis. Imponitis decumas [8]: patiuntur; alteras [9]: temporibus vestris serviendum putant; dent emptum [10] præterea: dabunt, si voletis. Hæc quam sint gravia, et quid, his rebus detractis, possit ad dominos puri ac reliqui pervenire, credo vos ex vestris rebus rusticis conjectura assequi posse. Addite nunc eodem [11] istius edicta, instituta, injurias; addite Apronii Veneriorumque servorum in agro decumano regna ac rapinas. Quamquam [12] hæc omitto: de cella loquor [13]. Placetne vobis, in cellam magistratibus nostris frumentum Siculos gratis dare? Quid hoc indignius [14]? quid iniquius? Atqui hoc scitote, aratoribus, hoc prætore, optandum [15] ac petendum fuisse.

LXXXVII. Sositenus [1] est Entellinus, homo cum primis prudens, et domi nobilis: cujus verba audistis; qui ad hoc judicium legatus publice cum Artemone et Menisco, primariis viris, missus est. Is quum in senatu Entellino multa mecum de istius injuriis ageret, hoc dixit: si hoc de cella atque hac æstimatione

7. *Fungi.* Jungitur accusativo, Terentiano more.

8. *Decumas.* Eas, quæ non emebantur.

9. *Alteras.* Eas, quæ emebantur H-S ternis in modios singulos.

10. *Dent emptum.* Imperatum, civitatibus æqualiter distributum.

11. *Eodem.* Est adverbium loci. Id est, his tot oneribus, quæ vos aratoribus imponitis, addite rapinas, quas Verres edictis suis iniquis fecit.

12. *Quamquam hæc omitto.* Correctio, qua fit transitus ad alteram amplificationem.

13. *De cella loquor.* De frumento quod in annonam prætori datur.

14. *Quid hoc indignius?* Affingit orator hanc judicibus responsionem, cui statim subjicit *atqui hoc scitote.*

15. *Optandum.* Ut his verbis, quæ sunt inopinata, miserrimam aratorum conditionem mire demonstrat! Exspectabatur enim ut diceret simpliciter *hoc factum fuisse;* sed contra exspectationem subjicit optandum.

LXXXVII. 1. Lambinus scripsit *Sositheus.* J. V. L.

concederetur[2], velle Siculos senatui polliceri frumentum in cellam gratis, ne posthac tantas[3] pecunias magistratibus nostris decerneremus. Perspicere vos certo scio, Siculis quantopere hoc expediat, non ad æquitatem[4] conditionis, sed ad minima malorum eligenda. Nam, qui mille modium[5] Verri suæ[6] partis in cellam gratis dedisset, duo millia[7] nummum, aut summum tria dedisset : idem nunc pro eodem numero frumenti H-S VIII millia dare coactus est. Hoc arator assequi per triennium, certe fructu suo[8], non potuit : vendiderit instrumentum, necesse est. Quod si hoc munus[9] et hoc vectigal aratio tolerare, hoc est, Sicilia ferre ac pati potest; populo romano ferat potius, quam nostris magistratibus. Magna est pecunia; magnum præclarumque vectigal. Si modo id salva provincia, si sine injuria sociorum percipere possitis; nihil detraho[10]; magistratibus tantumdem detur in

2. *Concederetur.* Dicendum erat *a nobis* approbaretur. Sed illo verbo, ut magis invidioso, uti maluit. Eadem vis est in verbo *decerneremus*, quod sequitur.

3. *Tantas pecunias.* Id est, tantarum pecuniarum rapiendarum occasionem, decreto nostro præberemus.

4. *Non ad æquitatem.* Non quia sit æqua conditio, sed quia sit hoc tolerabilius, frumentum in cellam gratis dare, quam illud prætori in cellam vendere, cum æstimatione a Verre instituta.

5. Putat Grævius id latine dici non posse, et conj. *mille modios.* Sed Livius, VII, 16, dicit etiam *mille jugerum*, et XXIII, 44, *mille passuum.* J. V. L. — *Mille modium.* In genitivo plurali regitur vocabulo *mille*, quod est substantivum neutrum. Sic alibi, *mille hominum*, *mille sestertium*, etc. legitur apud Ciceronem. Hæc notamus propter Grævium et Gronovium, qui hanc improbant locutionem, ut minus latinam, et legunt *mille modios.*

6. *Suæ partis*, etc. Id est, pro sua parte, pro eô quod ad ipsum attineret.

7. *Duo millia* (gall. 410 fr.).— *Tria millia* (615 fr.). — *Octo millia* (1,640 fr.).

8. Edd. vett. *certo fructu suo;* quod Desjard. probavit. Sed plures MSS refragantur. J. V. L.

9. *Hoc munus.* Hoc onus, id est, sestertios octonos in modium, pro frumento imperato. *Munus* est quidquid penditur, sive sponte, sive ex pacto, quo sensu causarum patroni, iique judices qui corrumpuntur, accipere *munera* toties dicuntur; sive tandem imperatum id sit ex necessitate usuque reipublicæ.

10. *Nihil detraho.* De hoc vectigali.

cellam, quantum semper datum est. Quod præterea Verres imperat, id, si facere non possunt[11], recusent; si possunt, populi romani potius hoc sit vectigal, quam præda prætoris. Deinde cur in uno[12] genere solo frumenti æstimatio constituitur? Si est æqua et ferenda, debet populo romano Sicilia decumas; det pro singulis tritici modiis ternos denarios[13]; sibi habeat frumentum. Data tibi pecunia est, Verres: una, qua frumentum tibi emeres in cellam; altera, qua frumentum emeres a civitatibus, quod Romam mitteres: tibi datam pecuniam domi retines, et præterea pecuniam permagnam[14] tuo nomine aufers. Fac idem in eo frumento, quod ad populum romanum pertinet; exige eadem æstimatione pecuniam a civitatibus, et refer[15], quam accepisti: tum refertius erit ærarium populi romani, quam umquam fuit. At enim istam rem in publico frumento[16] Sicilia non ferret: hanc rem in meo frumento tulit. Proinde[17] quasi aut æquior sit ista æstimatio in tuo, quam in populi romani commodo; aut ea res, quam ego dico, et ea, quam tu fecisti, inter se genere injuriæ, non magnitudine pecuniæ differat. Verum istam ipsam cellam[18] ferre

11. *Si facere non possunt.* Solvere nequeunt. Eodem sensu sup. cap. 42 dixit *tributum facere.*

12. *In uno genere.* Nempe ejus frumenti, quod in cellam imperatur.

13. Cod. Nann. et Fabr. item ed. Grævii, *ternos X*, scilicet nota denarii. J. V. L. — *Ternos X.* Hac nota X significabant veteres denarium, propterea quod valet decem asses. Jam decem asses quatuor sestertios efficiunt, quum sestertius duos asses cum semisse valeat.

14. *Pecuniam permagnam.* Sestertios octonos in singulos modios. Cap. 85. — *Tuo nomine aufers.* Jam enim ex senatus decreto pecuniam, nomine frumenti, a quæstore acceperas; quam igitur ab aratoribus exigis, tuo, non frumenti, nomine aufers.

15. *Et refer.* Ad ærarium.

16. *In publico frumento.* In frumento quod ad populum romanum pertinet. Non tantam æstimationem, non tantum onus Sicilia ferre posset.

17. Lallem. ut multi alii, *Perinde.* J. V. L.

18. *Cellam.* Istam æstimationem frumenti ejus, quod in cellam dare solent.

nullo modo possunt: ut omnia [19] remittantur, ut omnibus injuriis et calamitatibus, quas te prætore tulerunt, in posterum liberentur; istam se cellam atque istam æstimationem negant ullo modo [20] ferre posse.

LXXXVIII. Multa Sophocles Agrigentinus apud Cn. Pompeium consulem nuper, homo disertissimus, et omni doctrina et virtute ornatissimus, pro tota Sicilia de aratorum miseriis graviter ac copiose dixisse ac deplorasse dicitur. Ex quibus hoc, iis, qui aderant (nam magno conventu acta res est), indignissimum videbatur: qua in re senatus optime ac benignissime cum aratoribus egisset, large liberaliterque æstimasset [1], in ea re prædari prætorem, bonis everti aratores; et id non modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat, concessumque sit.

Quid ad hæc Hortensius? Falsum esse crimen? Hoc numquam dicet. Non magnam hac ratione pecuniam captam? Ne id quidem dicet [2]. Non injuriam factam Siculis atque aratoribus? Qui poterit dicere? Quid igitur dicet? Fecisse alios. Quid est hoc? utrum crimini defensio, an comitatus [3] exsilio quæritur? Tu in hac republica [4], atque [5] in hac hominum libidine [6], et (ut adhuc habuit se status judiciorum [7]) etiam licen-

19. *Ut omnia.* Etiamsi omnia alia quæ populo romano solvere debent, eis remittantur.

20. Al. *negant se u. m.* Ern. sequutus est Manutium. J. V. L.

LXXXVIII. 1. *Large liberaliterque æstimasset.* Quum sestertios quaternos in modios singulos prætori decrevisset; quamvis in Sicilia sestertiis binis tritici modius esset, aut summum sestertiis ternis. Cap. 81.

2. Sic Lallem. Beck. Al. post Grut. *dicit.* J. V. L.

3. *An comitatus.* Hæc enim defensio non assequitur ut Verrem absolvant judices, sed ne solum condemnent, et ut exsilii sui comites habeat.

4. *In hac republica.* In qua flagrant cupiditates.

5. Alii, *an.* Male. J. V. L.

6. *In hac hominum libidine.* Quam pœna minui, non augeri impunitate oportet.

7. *Judiciorum.* Quæ non eam, quam decebat, severitatem retinuerunt.

tia, non ex jure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo, quod oportuerit, non ex eo, quod licuerit, sed ex eo, quod aliquis fecerit, id, quod reprehenditur, recte factum esse defendes? Fecerunt alii [8] alia quam multa: cur in hoc uno crimine isto genere defensionis uteris? Sunt quædam omnino in te singularia [9], quæ in nullum alium hominem dici, neque convenire possint: quædam tibi cum multis communia. Ergo, ut omittam tuos peculatus, ut ob jus dicundum [10] pecunias acceptas, ut ejusmodi cetera, quæ forsitan alii quoque etiam fecerint: illud, in quo te gravissime accusavi, quod ob judicandam rem pecuniam accepisses, eadem ista ratione defendes, fecisse alios? Ut ego assentiar orationi [11], defensionem tamen non probabo. Potius enim, te damnato, ceteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquatur [12], quam, te absoluto, alii, quod audacissime fecerunt, recte fecisse existimentur.

LXXXIX. Lugent omnes provinciæ; queruntur omnes liberi populi [1]; regna denique jam omnia de nostris [2] cupiditatibus et injuriis expostulant: locus intra Oceanum jam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non, per hæc tempora, nostrorum hominum libido iniquitasque per-

8. *Fecerunt alii.* Quæ facere non licebat.

9. *In te singularia.* Quorum simile nemo quidquam fecit.

10. *Ob jus dicundum... ob judicandam rem.* Mire hoc e multis elegit, quod ipsos judices leniter sui officii admonet. Illo, tota Verris prætura urbana significatur; hoc vero, Sopatri et Sthenii damnatio intelligitur, de qua fuse actum est libro inferiore.

11. *Ut ego assentiar orationi.* Etsi fatear verum esse multos ob rem judicandam pecunias accepisse. Transitio ad hypotyposim, quæ sequitur.

12. *Relinquatur.* Alii, *relinquetur.* J. V. L.

LXXXIX. 1. *Liberi populi* dicuntur, qui sui juris sunt, qui neque vectigal populo romano pendunt; neque magistratibus romanis, jus dicentibus, parent.

2. *De nostris.* Id est, nostrorum magistratuum.

vaserit. Sustinere jam populus romanus omnium nationum non vim, non arma, non bellum, sed luctum, lacrymas, querimonias non potest. In ejusmodi re ac moribus[3], si is, qui erit adductus in judicium, quum manifestis in flagitiis tenebitur, alios eadem fecisse dicet, illi exempla non deerunt; reipublicæ salus deerit, si improborum exemplis improbi judicio ac periculo liberabuntur. Placent vobis hominum[4] mores? placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari, quod restat[5], ut per hæc tempora tractatos videtis? Cur hæc a me opera[6] consumitur? quid sedetis[7]? cur non in media oratione mea consurgitis atque disceditis? Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? Desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere. Tametsi quæ ista sunt exempla multorum[8]? nam quum in causa tanta, quum in crimine maximo dici a defensore cœptum est, factitatum esse aliquid; exspectant ii, qui audiunt, exempla ex vetere memoria et monumentis ac literis, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc enim[9] plurimum solent et auctoritatis habere ad probandum, et jucunditatis ad audiendum.

XC. Africanos[1] mihi, et Catones, et Lælios com-

3. *In ejusmodi re ac moribus*. Quum civitatis mores sint ejus modi; quum tanta sit hominum nostrorum iniquitas et libido.

4. *Hominum*. Nostrorum.

5. *Quod restat*. Scilicet in posterum.

6. *Cur hæc a me opera*. Cur hunc laborem ex lege Cornelia repetundarum accusandi suscipio, si nimirum placet vobis socios sic tractari?

7. *Quid sedetis?* Cur hoc judicium lege sociali constitutum exercetis?

8. *Exempla multorum*. Quibus factum suum Verres defendit.

9. Aberat *enim*. E cod. Nanniano Græv. recuperavit. Post deleverat Lallem. volentibus codd. suis. Cum Ernestio restituimus. J. V. L.

XC. 1. *Africanos*. Hoc utrumque significat, quorum tantis laudibus elata est continentia.

memorabis? et eos fecisse idem dices? quamvis res mihi non placeat[2], tamen contra hominum auctoritatem pugnare non potero. An, quum eos[3] non poteris, proferes[4] hos recentes, Q. Catulum[5] patrem, C. Marium, Q. Scævolam, M. Scaurum, Q. Metellum? qui omnes provincias habuerunt, et frumentum cellæ nomine imperaverunt. Magna est hominum auctoritas, et tanta, ut etiam delicti suspicionem tegere possit. Non habes, ne ex his quidem hominibus, qui nuper fuerunt, ullum auctorem[6] istius æstimationis. Quo me igitur, aut ad quæ exempla revocas? Ab illis hominibus, qui tum versati sunt in republica, quum et optimi mores erant, et hominum existimatio gravis habebatur[7], et judicia severa fiebant, ad

2. *Non placeat.* Nempe tantos viros, sapientum nominibus honestatos, tam inique se gessisse.

3. *Quum eos.* Quia illi nobis multa æquitatis, nulla improbitatis exempla reliquerunt.

4. Alii, *poteris proferre, proferes.* J. V. L.

5. *Q. Catulum.* Is fuit eruditus et eloquens. Cic. in Brut. cap. 35. Ex prætura provinciam sortitus Siciliam obtinuit anno 645. Consul fuit cum Mario quartum consule, anno 651. Anno sequenti, magnam de Cimbris stragem ambo ediderunt, deque iis triumpharunt. Anno 666, bello civili Cinnano, mortem obiit, de qua Vell. Paterc. lib. II, cap. 22. — *C. Marium.* Virum bello optimum, pace pessimum, sed vita castum. Vell. Paterc. II, 11. Septimum consulatum, in dedecus priorum, vix ingressus, decessit idibus januariis, anno 667. — *Quint. Scævolam.* Pontificem maximum, virum innocentissimum, quem, jussu Marii junioris, prætor urbanus Damasippus occidit, anno 671. — *De M. Scauro.* Principe senatus, patre ejus quem Cicero defendit. Vid. Act. I, cap. 17. — *Q. Metellum.* Numidicum intelligit Manut. nulli secundum seculi sui, inquit Vell. lib. II, cap. 11, qui contra Jugurtham bellum gessit, ac de eo triumphavit an. U. 646. Sigon. in Fast. Inter claros oratores eum recenset Vell. lib. II, cap. 9. Meminit A. Gell. lib. XII, cap. 4, orationis quam habuit de triumpho suo. Putat autem Ferratius satit probabiliter h. l. de Macedonico agi, ex cujus filia Isauricus natus est.

6. *Auctorem.* Auctor dicitur cujus exemplum et factum imitamur, translatione ab iis qui rem aliquam nobis mancipio tradiderunt, sumpta. Nam, ut illi rem tradunt, sic isti exemplum; ut illos in rei controversia laudamus, hoc est nominamus, sic hos in reprehensione facti nostri commemoramus.

7. *Gravis habebatur.* Quum cuperet unusquisque bene de se ab hominibus existimari.

hanc[8] hominum licentiam et libidinem me abducis? et in quos[9] aliquid exempli populus romanus statui putat oportere, ab iis tu defensionis exempla quæris? Non fugio ne hos quidem mores[10], dummodo ex his ea, quæ probat populus romanus exempla, non ea, quæ condemnat, sequamur. Non circumspiciam, non quæram foris[11], quum habeas judices, principes civitatis, P. Servilium[12], Q. Catulum[13]: qui tanta auctoritate sunt, tantis rebus gestis, ut in illo antiquorum et clarissimorum hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur. Exempla quærimus, et ea non antiqua: modo uterque horum exercitum habuit. Quære, Hortensi, quoniam te recentia exempla delectant, quid fecerint. Itane vero? Q. Catulus frumento est usus, pecuniam non coegit; P. Servilius quinquennium exercitui quum præesset, et ista ratione innumerabilem pecuniam facere posset, non statuit sibi quidquam licere, quod non patrem suum, non avum Q. Metellum[14] facere vidisset: C. Verres reperietur, qui, quod expediat[15], id licere dicat?

8. *Ad hanc.* Id est, hujus temporis.

9. *In quos.* Quos severe puniendos, ad aliorum exemplum, seu documentum, pop. rom. putat oportere.— *In quos exempla quæris.* Ex accepti significatione vocabuli contraria contrariis opposuit. Nam *exemplum* dicitur, et quod imitandum, et quod fugiendum est. Graves enim pœnæ, quæ possunt ceteris documento esse ne delinquant, exempla dicuntur.

10. *Ne hos quidem mores.* Correctio. Nec præsentis etiam temporis exempla recusabo.

11. *Non quæram foris.* Extra hunc consessum judicum.

12. *P. Servilium.* Isauricum, ob Isauros a se debellatos, appellatum. Consul fuit anno 674 cum Appio Clodio. De Isauris triumphavit anno 679. Vid. lib. I, cap. 21, et lib. V, cap. 26.

13. *Q. Catulum.* Filium ejus de quo proxime diximus. Consul fuit cum Lepido anno 675. Anno sequenti, Catulus eumdem Lepidum patriæ bellum nefarie molientem devicit.

14. *Q. Metellum.* Macedonicum, Servilii avum maternum.

15. *Quod expediat.* Commodis suis nimirum. Non operæ pretium est h. l. animadvertere, qua vi ac eloquentia, convictum jam tot argumentis Verrem hac cum præstantissimis viris invidiosa collatione obruat.

quod nemo, nisi improbus, fecerit, id aliorum exemplo se fecisse defendat?

XCI. At in Sicilia[1] factitatum est. Quæ est ista conditio Siciliæ? cur, quæ optimo jure[2], propter vetustatem, fidelitatem, propinquitatem esse debet, huic præcipua[3] lex injuriæ definitur? Sed in ista ipsa Sicilia, non quæram exemplum foris : hoc ipso ex consilio utar exemplis[4]. C. Marcelle, te appello. Siciliæ provinciæ, quum esses pro consule[5], præfuisti. Num quæ in tuo imperio pecuniæ, cellæ nomine, coactæ sunt? Neque ego hoc in tua laude pono : alia sunt tua facta, atque consilia, summa laude digna; quibus illam tu provinciam afflictam et perditam erexisti[6] atque recreasti. Nam hoc de cella ne Lepidus[7] quidem fecerat, cui tu successisti. Quæ sunt tibi igitur exempla in Sicilia cellæ, si hoc crimen non modo Marcelli facto, sed ne Lepidi quidem potes defendere? An me ad M. Antonii[8] æstimationem frumenti, exactionemque pecuniæ revocaturus es? Ita, inquit, ad M. Antonii : hoc enim mihi significasse et annuisse visus est. Ex omnibusne igitur populi romani prætoribus,

XCI. 1. *At in Sicilia.* Hoc dicit propter M. Lepidum et Antonium, de quibus supra, et item C. Sacerdotem. Sed tamen respondet capite sequenti.

2. *Quæ optimo jure.* Cujus conditio omnium optima, propter vetustatem societatis, esse debet, cur, quasi lege permittente, liceat nostris magistratibus huic uni injuriam facere, et ea lex una hac provincia definiatur, et quasi circumscribatur? Cur potius in hac licet, quam in ceteris?

3. Hotom. malit *præcipue.* J.V.L.

4. *Hoc ipso ex consilio.* Utar exemplis sumptis ex viris qui jam nunc sedent judices in hac causa.

5. *Pro consule.* Qui tamen consul non fuerat; sed proconsules quoque vocari solebant, qui post præturam in provinciam proficiscebantur, ex lege Cornelia, 675.

6. *Perditam erexisti.* Ita ut bis in eadem familia salus Siciliæ constitueretur. Vid. lib. II, cap. 3.

7. *Ne Lepidus quidem.* Qui tot modis Siciliam afflixerat, ut salva esse non posset, nisi Marcellus ei successisset. Ibidem.

8. *Ad M. Antonii.* Quem universæ oræ maritimæ infinito cum imperio præfuisse, supra diximus, lib. II, cap. 3.

consulibus[9], imperatoribus, M. Antonium delegisti, et ejus unum improbissimum factum, quod imitarere? Et hic utrum mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se in illo infinito imperio M. Antonium gessisse, ut multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quam si defendere[10] possit, nihil in vita se M. Antonii simile fecisse? Homines in judiciis ad crimen defendendum, non, quid fecerit quispiam, proferre solent, sed quid probarit[11]. Antonium, quum multa contra sociorum salutem, multa contra utilitatem provinciarum et faceret et cogitaret, in mediis ejus injuriis et cupiditatibus mors oppressit. Tu mihi, quasi ejus omnia facta atque consilia senatus populusque romanus [judices[12]] comprobarint, ita M. Antonii exemplo istius audaciam defendis.

XCII. At idem fecit Sacerdos[1]. Hominem innocentem et summa prudentia præditum nominas: sed tum idem fecisse erit existimandus, si eodem[2] consilio fecerit. Nam genus æstimationis ipsum a me numquam est reprehensum: sed ejus æquitas aratorum commodo et voluntate perpenditur. Non potest re-

9. *Proconsulibus*, apud Gruter. Græv. al. e cod. Nann.

10. *Quam si defendere*. Locus male affectus, ex quo sententiam hanc elicit Lambinus. Verri multo perniciosius est fateri se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quam facile, quam *possibile* probare, si tamen potest hanc defensionem tentare, nihil se in vita M. Antonio simile fecisse. Garaton. autem : Res Antonii gestæ tam improbæ fuerunt, ut perniciosum sit defendere, se nihil fecisse simile, quum hac uti defensione vel improbissimi possint. Est autem perniciosius ab Antonio exemplum petere, seque illum imitatum esse fateri.

11. *Sed quid probarit*. Sed quid fecerit hujusmodi, ut recte factum existimetur.

12. *Judices*. Qui sunt judices. Quod friget. Ernest. expunxit.

XCII. 1. *Sacerdos*. Qui prætor in Sicilia fuit proxime ante Verrem.

2. *Eodem consilio*. Uti Verres, ut ex aratoribus prædaretur. Non enim factum ipsum æstimationis est improbum, nisi cum aratorum incommodo ac detrimento fuit. Nempe hæc æstimatio nata est initio, non ex præto-

prehendi ulla æstimatio, quæ aratori non modo incommoda non est, sed etiam grata est. Sacerdos, ut in provinciam venit, frumentum in cellam imperavit. Quum esset, ante novum[3], tritici modius denariis quinque; petiverunt ab eo civitates, ut æstimaret. Remissior aliquanto ejus fuit æstimatio, quam[4] annonæ: nam æstimavit denariis III. Vides, eamdem æstimationem, propter temporis dissimilitudinem, in illo laudis causam habere; in te, criminis: in illo, beneficii; in te, injuriæ? Eodem tempore Antonius III denariis æstimavit, post messem, summa in vilitate, quum aratores frumentum dare gratis[5] malebant. Et aiebat, se tantidem æstimasse, quanti Sacerdotem; neque mentiebatur: sed eadem ista æstimatione, alter sublevarat aratores, alter everterat. Quod nisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset et annona, non ex numero[6], neque ex summa, consideranda; numquam tam grati hi sesquimodii, Q. Hortensi, fuissent, quos tu[7] quum ad mensuræ tam exiguam rationem populo romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus fecisti: caritas enim annonæ faciebat, ut istuc, quod re parvum videbatur, tempore magnum videretur. Idem istuc si in vilitate populo romano largiri vo-

rum aut proconsulum, sed ex aratorum atque civitatum commodo. Cap. 81.

3. *Ante novum*. Subaud. frumentum, id est, ante messem.—*Denariis quinque*. Viginti sestertiis (gall. 4 fr.).

4. *Quam annonæ*. Quam pretium, quo vendebatur frumentum. — *Denariis tribus*. 12 sestertiis (gall. 2 fr. 46 cent.).

5. *Dare gratis*. Pro eo non accipere decretam a senatu pecuniam *malebant*, quia minori suo sumptu frumentum dedissent gratis, quam si illud ex Antonii æstimatione solvissent: illic enim denarium, seu quatuor tantum sestertios in modium decretos a senatu, amittebant; hic vero, ad illos quaternos, octonos præterea sestertios in modium de suo addere cogebantur.

6. *Non ex numero*. Non ex multitudine, aut paucitate modiorum qui dantur, sed ex caritate aut vilitate annonæ.

7. *Quos tu*. Subaud. quum esses prætor. Inter quæstorum provincias rei frumentariæ cura erat.

luisses; derisum tuum beneficium esset, atque contemptum.

XCIII. Noli igitur dicere, istum idem fecisse, quod Sacerdotem: quoniam[1] non eodem tempore, neque simili[2] fecit annona. Dicito potius, quoniam habes auctorem idoneum[3], quod Antonius uno adventu, et vix menstruis cibariis[4] fecerit, id istum per triennium fecisse; et istius innocentiam[5] M. Antonii facto atque auctoritate defendito. Nam de Sext. quidem Peducæo[6] fortissimo atque innocentissimo viro, quid dicetis? de quo quis umquam arator questus est? aut quis non ad hoc tempus innocentissimam omnium diligentissimamque præturam illius hominis existimavit? Biennium provinciam obtinuit, quum alter annus in vilitate[7], alter in summa caritate fuerit: num aut in vilitate nummum arator quisquam dedit, aut in caritate de æstimatione frumenti questus est? At uberiora[8] cibaria facta sunt caritate. Credo: neque id est novum, neque reprehendendum. Modo C. Sentium vidimus, hominem vetere illa[9] ac singulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam deportare. Quamobrem non ego invideo tuis

XCIII. 1. *Non eodem tempore.* Al. *non eo tempore*. J. V. L.

2. *Neque simili.* Neque simile erat tempus, neque simile annonæ pretium.

3. *Auctorem idoneum.* Exemplar quod tibi conveniat imitandum.

4. *Menstruis.* Ad unum scilicet mensem necessariis.

5. *Et istius innocentiam.* Ironice, ut etiam quum subjungit, *auctoritate*, quæ nulla erat; nam turpissime vixerat Antonius.

6. *S. Peducæo.* Hoc prætore, quæstor in Sicilia fuerat Tullius.

7. *In vilitate.* Annonæ; quum annonæ pretium esset vile.

8. *At uberiora.* At ex frumento quod a Siculis accepit ad cibaria, seu in cellam, divendito, pecuniæ plus, quam in vilitate collegit.

9. *Vetere illa.* Id est, incorruptissima, qualis erat veterum illorum Romanorum tam celebrata innocentia. Notum quonam modo corrupta postea, omninoque sublata evanuerit. Inde, quoniam ad deos antiquitas accedit proxime, ideo antiquos omnes viros bonos, ac probos appellamus,

commodis, si qua[10] ad te lege venerunt: injuriam queror, improbitatem coarguo, avaritiam in crimen et in judicium voco.

Quod si suspiciones injicere voletis, ad plures homines et ad plures provincias crimen hoc[11] pertinere; non ego istam defensionem vestram pertimescam[12], sed me omnium provinciarum defensorem esse profitebor. Etenim hoc dico[13], et magna voce dico: Ubicumque hoc factum est, improbe factum est; quicumque hoc fecit, supplicio dignus est.

XCIV. Nam, per deos immortales[1]! videte, judices, et prospicite animis, quid futurum sit. Multi[2] magnas pecunias ab invitis civitatibus atque ab invitis aratoribus ista ratione, cellæ nomine, coegerunt (omnino ego neminem video, præter istum; sed do hoc vobis, et concedo, esse multos): in hoc homine rem adductam in judicium videtis: quid facere potestis? Utrum, quum judices sitis de pecunia capta[3], conciliata, tantam pecuniam captam negligere; an, quum lex sociorum causa rogata sit, sociorum querimonias non audire[4]? Verum hoc quoque vobis remitto; negligite præterita, si vultis: sed ne reliquas[5] spes turbetis, atque omnes provincias evertatis; id providete,

ait Cicero, Tusculan. Disputat. lib. I.

10. *Si qua.* Subaud. commoda. — *Lege.* Id est, juste, legitime, sicut est lege sancitum.

11. *Crimen hoc.* Hanc meam Verris avaritiæ et improbitatis accusationem, non eum solum impugnare, sed etiam ad alios pertinere.

12. *Pertimescam.* Quamvis illa multas in me concitetis inimicitias.

13. *Etenim hoc dico.* Transitio vivida ad conclusionem.

XCIV. 1. *Nam per deos.* Conclusio hujus tertiæ partis.

2. *Multi.* Nimirum, ut studet Hortensius suspicionem injicere.

3. *De pecunia.* De repetundis.

4. *Sociorum querimonias.* Lex bipartita est, primum enim jubet quæri de pecunia contra leges capta; deinde sociorum causa id jubet. Utramvis partem negligentes, in utramvis peccatis. Non potestis enim unam in partem peccare, quin simul in alteram delinquatis.

5. *Reliquas.* Quas aratores habent in posterum; h. e. ne omnino miseros Siculos evertatis.

ne avaritiæ, quæ antehac occultis itineribus[6] atque angustis[7] uti solebat, auctoritate vestra viam patefaciatis illustrem atque latam. Nam si hoc probatis, et si hoc licere, pecunias isto nomine capi[8], judicatis; certe hoc, quod adhuc nemo, nisi improbissimus, fecit, posthac nemo, nisi stultissimus, non faciet. Improbi sunt, qui pecunias contra leges cogunt; stulti, qui, quod licere judicatum est, prætermittunt. Deinde, judices, videte, quam infinitam sitis hominibus licentiam pecuniarum eripiendarum daturi. Si ternos denarios qui coegit, erit absolutus; quaternos, quinos, denos denique, aut vicenos coget alius. Quæ erit reprehensio? in quo primum injuriæ gradu[9] resistere incipiet severitas judicis? quotus erit[10] iste denarius, qui non sit ferendus, et in quo primum æstimationis iniquitas atque improbitas reprehendatur? Non enim a vobis summa, sed genus æstimationis erit comprobatum: neque hoc potestis judicare, ternis denariis æstimare licere; denis non licere. Ubi enim semel ab annonæ ratione[11], et ab aratorum voluntate[12] res ad prætoris libidinem translata est; non est jam in lege atque in officio, sed in

6. *Occultis itineribus*. Adverte contraria contrariis relata; nam *occultis itineribus* viam illustrem, et *angustis*, latam, voluit respondere.

7. *Angustis*. Olim, *angustiis*. J. V. L.

8. *Isto nomine*. Isto genere æstimationis. — *Judicatis*. Id est, judicio vestro declarabitis omnibus postea hoc licere, si Verrem absolvatis.

9. *In quo primum injuriæ gradu*. An in quarto, in quinto, in decimo? Id est, an quum prætor iniquus quaternos, an quum quinos denarios exegerit, tum severitatem judex excitabit suam, et iniquitati resistere incipiet?

10. *Quotus erit?* An quinus, an denus, an denique vicenus? Certe nullus erit. Non enim summam aliquam, puta quaternos, quinos, etc. denarios statuitis, ultra quos prætoris æstimatio progredi non possit; sed genus totum æstimationis, cujus summam statuit prætoris avaritia, erit a vobis comprobatum.

11. *Ab annonæ ratione*. A pretio annonæ ejus anni, quo fit æstimatio, et quam sequi prætorem decet.

12. *Ab aratorum voluntate*. Qui, quod licet, id fieri volunt, et frumentum quanti licet, æstimari.

voluntate hominum atque avaritia positus modus æstimandi.

XCV. Quapropter, si vos semel in judicando finem æquitatis et legis transieritis[1]; scitote, vos nullum ceteris in æstimando finem improbitatis et avaritiæ reliquisse. Videte igitur, quam multa simul a vobis postulentur[2]. Absolvite eum, qui se fateatur maximas pecunias cum summa sociorum injuria cepisse. Non est satis. Sunt alii quoque plures[3], qui idem fecerint: absolvite etiam illos, si qui sunt; ut uno judicio quam plurimos improbos liberetis. Ne id quidem satis est. Facite, ut ceteris posthac idem liceat: licebit. At hoc parum est[4]. Permittite, ut liceat, quanti quisque velit, tanti æstimet; æstimabit. Videtis jam profecto, judices, hac æstimatione[5] a vobis comprobata, neque modum posthac avaritiæ cujusquam, neque pœnam improbitatis futuram. Quas ob res, quid agis, Hortensi? Consul es designatus; provinciam sortitus es[6]; de æstimatione quum dices[7] frumenti, sic te audiemus, quasi id, quod ab isto recte factum esse defendes, te facturum profiteare, et quasi, quod isti licitum esse dices, vehementer cupias tibi licere. Atqui, si id licebit, nihil est, quod

XCV. 1. *Transieritis*. Nempe Verrem qui leges æquitatis in æstimatione sua frumentaria transiit, absolvendo.

2. *Postulentur*. Ab ipsis Verris defensoribus.—*Absolvite eum*, inquiunt. Invidiosam affingit Verris defensoribus orationem, ut magis excitet judices ad eum severe puniendum.

3. *Plures*. Alii, *complures*. J. V. L.

4. Vetus liber Ursini, *Adhuc parum est*, et sic emendatum fuit in uno cod. regio. J. V. L.

5. *Hac æstimatione*. A Verre facta.

6. Conjicit Ant. Augustin. *sortiturus*. J. V. L.—*Provinciam sortitus es*. Cretam scilicet, qua tamen collegæ concessa Q. Metello, qui inde Cretici cognomen adeptus est, in Urbe mansit. Porro senatus, priusquam comitia consularia fierent, consulibus futuris provincias decernebat, quas designati sortiebantur, aut inter se comparabant.

7. *Quum dices*. In tua Verris defensione. Vide ut defensionem præcidat astute sub ipsa defensoris persona.

putetis quemquam posthac commissurum, ut de pecuniis repetundis condemnari possit[8]. Quantam enim quisque concupierit pecuniam, tantam licebit, per cellæ nomen[9], æstimationis magnitudine consequatur.

XCVI. At enim est quiddam, quod, etiamsi palam in defendendo non dicit Hortensius, tamen ita dicit, ut vos id suspicari et cogitare possitis: pertinere[1] hoc ad commodum senatorium; pertinere ad utilitatem eorum, qui judicent[2], qui in provinciis cum potestate[3], aut cum legatione se futuros aliquando arbitrentur. Præclaros vero existimas judices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes, quo facilius ipsos peccare liceat. Ergo id volumus populum romanum, id provincias, id socios nationesque exteras existimare, si senatores judicent, hoc certe unum genus infinitæ pecuniæ per summam injuriam cogendæ nullo modo posse reprehendi? Quod si ita est, quid possumus contra illum prætorem[4] dicere, qui quo-

8. *Condemnari possit.* Nam postulatus repetundarum, habebit quo factum suum defendat, pecunias omnes quas rapuerit, dicet a se coactas fuisse æstimatione frumenti, quod licere, et sic judicatum esse in causa Verris, ostendet.

9. *Per cellæ nomen.* Id est, prætexta cellæ, ut loqui mos.

XCVI. 1. *Pertinere hoc.* Verres ut hoc æstimationis crimine absolvatur, senatorum omnium interesse contendit; ut senatoribus idem posthac in provinciis liceat, quod Verri licuit. Notandum autem nisi ex ordine senatorio neminem aut cum potestate, aut cum legatione, in provincias mitti solitum esse.

2. *Eorum qui judicent.* Hæc verba superioribus adjiciuntur, non quia sit necesse, nam judices erant senatores; sed quia Hortensius judicum sibi vult benivolentiam conciliare. Nam ea dicuntur ex illius persona.

3. *Cum potestate.* Cum facultate jurisdictionem exercendi, hoc enim proprie significat *potestas*, quum de præside provinciæ agitur. — *Aut cum legatione.* Nam legatis etiam frumentum in cellam imperabatur. Sup. c. 98.

4. *Contra illum prætorem.* C. Aurelium Cottam, qui e rostris quotidie conciones habebat, ut legem suam de judiciis ferre posset. — *Templum* vocabatur locus quivis religione quadam consecratus; sive deorum, sive magnorum hominum imaginibus fuerit instructus; hic autem *rostra* significat, locum in foro rom. ex quo ad populum conciones habebantur, mortui laudabantur, etc. Appellatio a rostris navium Antiatium ibi suffixis. Liv. XIII, c. 4.

tidie templum tenet, qui rempublicam sistere[5] negat posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur[6]? Quod si ille hoc unum[7] agitare cœperit, esse aliquod genus cogendæ pecuniæ, senatorum commune, et jam prope concessum ordini, quo genere ab sociis maxima pecunia per summam injuriam auferatur[8]; neque ullo modo senatoriis judiciis reprehendi posse[9], idque, dum equester ordo judicaret, numquam esse commissum; quis obsistet[10]? quis erit tam cupidus vestrum, tam fautor ordinis, qui de transferendis judiciis possit recusare?

XCVII. Atque utinam posset[1] aliqua ratione hoc crimen, quamvis falsa, modo humana atque usitata defendere! minore periculo vestro, minore periculo provinciarum omnium, judicaretis[2]. Negaret hic[3] æstimatione se usum? vos id credidisse homini, non factum comprobasse videremini. Nullo modo negare potest; urgetur a tota Sicilia; nemo est ex tanto numero aratorum, a quo pecunia cellæ nomine non sit exacta. Vellem etiam hoc posset dicere, nihil ad se

5. *Sistere*, stare, et ideo salvam et incolumem esse.

6. *Judicia referantur.* Ut ea non soli tamen equites, sed una cum senatoribus exerceant.

7. *Hoc unum.* Quod sequitur *esse aliquod*, etc. *agitare*, crebris ad populum orationibus contra hoc vociferari.

8. *Auferatur.* Al. *averratur.* J. V. L.

9. *Reprehendi posse.* Quoniam ii judicant, qui magistratus provinciales soli carpere possunt, nec eas res in aliis damnabunt, quas ipsi committere postea cogitant.

10. C. Stephan Græv. al. *obstet.* J. V. L. — *Quis obsistet?* Quis talia dicenti os obstruet? Quis hoc crimen poterit ab ordine senatorio propulsare?

XCVII. 1. *Utinam posset.* Verres. — Excidisse videtur *iste.* Sch. — *Hoc crimen.* Hanc suam æstimationem.

2. *Judicaretis.* Absolveretis Verrem. — *Periculo vestro.* Absolvere enim sine summo periculo vestro non potestis eum reum, qui scelera sua nec velare, nec negare potest; populus nempe romanus non vosmet ipsos absolveret. — *Periculo provinciarum.* Quia, si Verrem absolvitis, peccabunt ceteri multo impudentius maximo provinciarum damno, quum hoc genus injuriæ judicio vestro comprobari ac consecrari viderint.

3. Lambinus edidit *hac*, quod videtur aptius. J. V. L.

istam rationem[4] pertinere; per quæstores rem frumentariam esse administratam. Ne id quidem ei licet dicere: propterea quod ipsius literæ[5] recitantur, ad civitates de ternis denariis missæ. Quæ est igitur defensio? Feci, quod arguis; coegi pecunias maximas cellæ nomine: sed hoc mihi licuit; vobis, si prospicitis[6], licebit. Periculosum provinciis, genus injuriæ confirmari judicio; perniciosum nostro ordini, populum romanum existimare, non posse eos homines[7], qui ipsi legibus teneantur, leges in judicando religiose defendere. Atque isto prætore, judices, non solum æstimandi frumenti modus non fuit, sed ne imperandi quidem: neque enim id, quod debebatur, sed quantum commodum[8] fuit, imperavit. Summam faciam vobis, ex publicis literis et testimoniis civitatum, frumenti in cellam imperati: reperietis quinquies tanto, judices, amplius istum, quam quantum ei in cellam sumere licitum sit, civitatibus imperasse. Quid ad hanc impudentiam addi potest, si et æstimavit tanti, ut homines ferre non possent, et tanto plus, quam erat[9] ei concessum legibus, imperavit?

Quapropter, cognita tota re[10] frumentaria, judices, jam facillime perspicere potestis, amissam esse populo romano Siciliam, fructuosissimam atque opportunissimam provinciam, nisi eam vos istius damna-

4. *Istam rationem*. Istud negotium.

5. *Ipsius literæ*. Quibus significatur Verrem ab eis ternos denarios in modium exegisse.

6. *Vobis*. Judices — *Si prospicitis*. Si me absolvitis scilicet; nam ipse loqui Verres effingitur.

7. *Eos homines*. Senatores, qui legum sunt quasi custodes a populo positi. — *Legibus teneantur*. Legem de repetundis intelligit, qua reus erat Verres, et qua soli tenebantur senatores, quippe qui soli provincias obtinebant; et ideo soli furta, rapinas et omnia scelera in eas exercebant.

8. *Quantum commodum*. Quantum pro arbitrio libuit.

9. Ernest. malebat *esset*. Sine causa. J. V. L.

10. *Quapropter*. Peroratio. — *Tota re*. Tota Verris agendi ratione in re frumentaria æstimanda.

tione recuperatis. Quid est enim Sicilia, si ei agri cultionem sustuleris, et si aratorum numerum ac nomen exstinxeris? Quid enim potest esse in calamitate residui, quod non ad miseros aratores, isto prætore, per summam injuriam ignominiamque pervenerit? quibus, quum decumas dare deberent, vix ipsis decumæ [11] relictæ sunt; quum pecunia deberetur[12], soluta non est: quum optima æstimatione [13] senatus frumentum eos in cellam dare voluisset, etiam instrumenta agrorum vendere coacti sunt.

XCVIII. Dixi jam antea, judices, ut has omnes injurias tollatis[1], tamen ipsam rationem arandi spe magis et jucunditate quadam, quam fructu atque emolumento teneri. Etenim ad incertum casum[2] et eventum certus quotannis labor et certus sumptus impenditur. Annona[3] porro pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet; si autem ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis: ut aut male vendendum[4] intelligas, si processit[5]; aut male perceptos fructus, si recte licet vendere. Totæ autem res rusticæ ejusmodi sunt, ut eas non

11. Lamb. *ipsæ*, invitis libris omnibus. J. V. L. — *Vix ipsis decumæ.* Decima pars fructuum.

12. *Deberetur.* Ad solutionem alterarum decumarum.

13. *Optima æstimatione.* Optima conditione, id est, quaternis sestertiis in modium. — *In cellam.* In usum prætoris domesticum — *Instrumenta agrorum.* Etenim non modo pecuniam attributam sibi a senatu non acceperunt, verum etiam multo majorem, æstimationis nomine, dare coacti sunt, quam quanti frumentum esset; quum autem eam de fructu agrorum solvere non possent, instrumenta agrorum quæ sola supererant, ad eam pecuniam conficiendam vendere coacti sunt aratores.

XCVIII. 1. *Ut.* Quamvis. — *Tollatis.* Verris puniendo maleficia.

2. *Ad incertum casum.* Pendet enim proventus annuus ex aeris temperie; quippe, quum pluviæ, serenitates, hiemes commode accidunt, uberiora omnia ac fecundiora sunt.

3. *Annona.* Id quod ex aratione percipitur. — *Calamitate.* Inopia fructuum, adverso anni tempore.

4. *Male vendendum.* Parvo pretio. — *Si processit.* Si messis copiosa fuit. — *Male perceptos.* Parum frumenti perceptum fuisse. — *Recte.* Id est, care.

5. Beck. e Franc. 1 et editione Venet. addit *bene*. J. V. L.

ratio, neque labor, sed res incertissimæ, venti tempestatesque moderentur. Hinc quum unæ decumæ lege et conditione [6] trahantur; alteræ novis[7] institutis propter annonæ rationem imperentur; ematur [8] præterea frumentum quotannis publice; postremo etiam in cellam magistratibus et legatis imperetur: quid aut quantum præterea est, quod aut liberum possit habere ille arator ac dominus in potestate suorum fructuum, aut in ipsis fructibus solutum [9]? Quod si hæc feruntur [10] omnia; si vobis potius ac populo romano, quam sibi et suis commodis, opera, sumptu, labore deserviunt: etiamne hæc nova [11] debent edicta et imperia prætorum, et Apronii dominationem, et Veneriorum servorum furta rapinasque perferre? etiamne frumentum pro empto gratis dare [12]? etiamne in cellam quum cupiant gratis dare ultro, pecuniam grandem dare? etiamne hæc tot detrimenta atque damna cum maximis injuriis contumeliisque perferre? Itaque hæc, judices, quæ pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt [13]. Arationes tota Sicilia desertas atque a

6. Grut. et Græv. e cod. Nannian. *consuetudine*. Nihil horum ita placet, ut admittamus. J.V. L.— *Lege et conditione*. Qua in amicitiam populi romani recepti sunt. — *Conditione*. Pactio et status Siculorum, atque jus quo jam inde ab lege Hieronica vivebant.

7. *Novis institutis*. Decumæ quæ non gratis, neque ex lege dabantur, sed constituto pretio imperantur. — *Propter annonæ rationem*. Quia primæ decumæ non sufficerent in annonam populi romani.

8. *Ematur præterea*. 800,000 modii. Vide supra cap. 70.

9. *Solutum*. Purum, residuum ad se et familiam alendam.

10. *Feruntur*. A Siculis. Si tot nominibus exacta frumenta Siculi æquo animo persolvunt.

11. *Nova*. A Verre primum reperta, quæ alii prætores, absoluto Verre, imitabuntur.—*Apronii dominationem*. Quæ numquam deerit, sceleribus impunitate proposita.

12. *Gratis dare*. Non accipere pecuniam quæstoribus a senatu attributam, quoniam ejus pecuniæ nomine, prætores audacius frumentum æstimant.

13. *Non pertulerunt*. Arationem enim deseruerunt, sedes patrias reliquerunt, ne perferrent quæ pati non poterant. Vide supra cap. 51.

dominis relictas esse cognoscitis; neque quidquam aliud agitur hoc judicio, nisi ut antiquissimi socii fidelissimique, Siculi, coloni populi romani atque aratores, vestra severitate et diligentia, me duce atque auctore [14], in agros atque in ædes suas revertantur.

14. *Me duce atque auctore.* Meo ductu atque mea auctoritate. Auctor illis redeundi erit Cicero, quum illos sua fide ac periculo suo, redire jubebit.

EXCURSUS

DE RE FRUMENTARIA ROMANORUM.

LIBER tertius Accusationis totus est de re frumentaria, hoc est, de furtis, quibus Verres detraxit de cibariis, ut ait Cicero, « de victu, de vita et sanguine populi romani. » Ista me admonuerunt, ut paullo diligentius in rem frumentariam Romanorum inquirerem; rem cognitione jucundam et utilem, intuenti quibus artibus populo prope immenso victus sine labore compararetur; et quam justæ sint querelæ quas assidue Tullius deplorare solet de averso Siculo frumento, et de remissis Clodia lege semissibus, ac trientibus.

In argumento simili versati sunt olim J. Lipsius et Vincent. Contarenus; quædam ab illo, ab hoc vero non pauca huc transtuli.

Hujusce disputationis hæc erunt capita. I. Populi romani parcimonia. II. Deinde avaritia. III. Frumento empto et vectigali populus romanus utebatur. IV. Largitionum frumentariarum origo et causa. V. Primæ largitiones. VI. Leges frumentariæ. 1° Gracchi. 2° Incerti auctoris. 3° Apuleia. 4° Livia. 5° Terentia-Cassia. 6° Senatusconsultum Catonianum. 7° P. Clodii. VII. Modus frumenti qui dabatur. An viritim? VIII. Qui accipiebant, et quomodo. IX. Numerus accipientium. X. Curatores rei frumentariæ. XI. Per quos frumentum distribuebatur. XII. Provinciæ frumentariæ.

I. Primis temporibus summa fuit Romanorum parcimonia. Bina jugera ad alendam familiam erant satis: nulli civi majorem agrorum modum Romulus attribuit. « M. Curii post triumphos, immensumque terrarum adjectum imperio, nota concio est: perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non sufficerent; quæ mensura plebi post exactos

reges assignata est.» Plin. XVIII, 2 et 3. His moribus non modo sufficiebant fruges domesticæ, nulla provinciarum pascente Italiam, verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat. Ibid. Illud autem diutius permansit: testatur Polybius, II, 15, etiam ætate sua medimnum Siculum, non vero modium, ut Casaubonus vertit, Budæum perperam sequutus, venisse obolis quatuor.

II. Sed ubi avaritia et luxuria in rempublicam immigravere, rerum facies immutata est. Nullus agrorum habendorum modus fuit. Leges ferendæ fuerunt, quibus cupiditas coerceretur, et modus definiretur agri, quem nobilium quisque possideret. Leges vanæ fuerunt. Ipsi earum auctores in eas primi peccaverunt. Adeo fræni impatiens flagravit avaritia. Liv. VI, 35. Plin. ubi supra. Appian. Civil. I.

III. Interea quanto rura potentiorum ampliora in dies fiebant, tanto magis plebi crescebat difficultas frumentaria. Suberat difficultatis istius altera causa, distributiones agrariæ, quæ tribunitiis factionibus constitutæ, aliquantulum opis civibus aliquot afferebant, quum ceteri languerent inopia. Ergo his malis quærendum fuit remedium. Ut sufficerentur populo cibaria, quæ industria sua sibi parare jam amplius non poterat, senatus legatos in feraciores Italiæ provincias, ad comparandum frumentum quod plebi viritim daretur, subinde mittendos curavit; maxime vero in Etruriam, quæ frumento tantum abundabat, ut magnam ejus vim præstare vicinis posset.

Præterea ut Romanorum ditioni provinciæ subjici cœperunt, ager earum, factus publicus jure victoriæ, illis quidem redditus est, verum ea conditione, ut decimam partem frugum, quas ex suis arationibus perciperent, tributi nomine penderent. Quod primo quidem in Italia; deinde in Sicilia, Africa, ceterisque provinciis, prout subjiciebantur, factitatum esse constat. Hæc est decumarum illarum origo, quarum mentio tam frequens occurrit in Verrinis, et præ-

cipue libro tertio. Quum autem decumanum frumentum alendæ plebi, quæ in dies crescebat, jam non sufficeret, idem senatus publice ad auxilia domestica coemendum in provinciis, maxime in Sicilia, frumentum curavit. Cic. Verr. III, cap. 69. Frumentum illud omne Romam devectum, plebi levi pretio distribuebatur, in hoc tantum, ut ærario pecunia, quam repræsentaverat, reciperetur.

IV. Verum, ut ex malo malum nascitur, tenuiorum civium multitudinem, quia illi unde solveret non erat, ære alieno obstringi necesse fuit. Igitur ita rem moderari oportuit; ut utrique difficultati et annonariæ et pecuniariæ obviam iretur : neque permittere, ut multitudini, quæ satis ipsa per se levis est, ulla paullo justior ad motus in Urbe concitandos accederet occasio. Itaque plebi annona menstrua præbita est pretio, non eo, quo publice vendebatur, sed vilissimo: quo et egestas domestica levaretur, nec tamen plebs avocaretur ab industria.

Fontem hic habes et rivulum publicarum largitionum (quippe largiri dicitur non solum qui gratis dat, verum etiam qui ex pretio aliquid detrahit) qui deinceps eundo tantum tribunitiis legibus accrevit, ut earum moli postea sustinendæ ærarium impar fuerit.

V. Prima frumenti largitio (illam dico quæ retinuit quamdam venditionis speciem), quæ minime dubia occurrit in romana historia, contigit anno Urbis conditæ 262, quo anno caritas primum annonæ fuit ex incultis per secessionem plebis agris, et fame deinde laboratum est. Consules dimiserunt passim ad coemendum frumentum, non in Etruriam modo, et per Volscos usque ad Cumas, sed in Siciliam quoque: quod Romam advectum populo datum est levi sane pretio; curante senatu ut frumentum et res omnes ad victum necessariæ tanti essent, quanti minimi fuissent ante secessionem. Liv. II, 34.

Anno Urbis 298, quum annona, inquit Liv. III, 31, propter aquarum intemperiem, laboraretur, Manius Mar-

cius ædilis plebis primum frumentum, id est, frumentum quod mense primo (singulis enim mensibus dividebatur, et sic interpretor τὸ primum, quod mire torsit doctos homines) sui magistratus divisit, populo in modios assibus donavit. Plin. Hard. XVIII, 4.

Anno Urbis 315, quum fame plebs urgeretur, L. Minucius Augurinus præfectus annonæ creatus, ejus levatæ gloriam tulit. Nam oppresso Sp. Mælio, omne frumentum, quod hic privata pecunia ad largitiones faciendas coemerat, una cum reliquis ejus bonis publicatum fuit. Quod frumentum Minucius assibus in modios venale quum proposuisset, ita pretium farris imminuit, ut tribus nundinis tantidem in foro prostaret: qua de causa statua ei a populo stipe collata, statuta est. Liv. IV, 12-16. Plin. ubi supra.

Dixi post argumentum ad lib. Aceus. tertium, frumentum commune esse nomen. Sed hic et in superioribus accipio pro farre, quo puls illa conficiebatur, qui priscus fuit Romanorum victus: unde *pulti-fagi* Plauto dicuntur. Nam panifici pistores incogniti Quiritibus olim; solique in usu ii, qui farinam in pistrino pinserent, id est, tunderent, seu molerent. M. Varro, apud Nonium, voc. *pinsere.* Plin. XVIII, 1.

Sequitur apud Plinium, XVIII, 3, Trebii largitio. Is in ædilitate anno 343 populo frumentum et ipse assibus in modios præstitit: quam ob causam ei statuæ dicatæ sunt, et supremo die populi humeris portatus in rogum est. Postea divisum etiam frumentum est sæpius, atque id fere per ædiles; sed graviori pretio, etiam in vilitate annonæ, quam antea. Testis Livius, XXX, 26, et XXXI, 4.

Hæc antiquitus facta sunt, quum largitio ea omnis voluntaria adhuc, et in arbitrio aut magistratuum esset, aut senatus. Frumentum plebi dabatur non illud quidem gratuitum, sed pretio levissimo. Plebs publico fere sumptu alebatur: ipsa vicissim liberis educandis subministrabat reipublicæ milites, et sanguine suo rependebat ei damna pe-

cuniæ. Verum hisce temporibus largitiones fuerunt incertæ. Aliquanto post annum sexcentesimum leges tum primum latæ sunt, quibus perpetua stataque frumentatio facta est. Quamquam his quoque legibus modo fixis, modo refixis, illa etiam fluctuavit; donec venit respublica in unius potestatem, qui gratuita annona bene emi imperium putaret. Leges illæ sive frumentariæ, sive alimentariæ, sive annonariæ, nam hisce nominibus appellantur, plurimum a tribunis plebis, aliquando a consulibus latæ sunt. Semel ea de re factum est senatusconsultum.

VI. 1. Primus de stata perpetuaque frumentatione legem tulit C. Sempronius Gracchus tribunus pleb. anno U.C. 630. « Uti semisse atque triente in singulos modios plebi frumentum ex publico singulis mensibus per singulas tribus divideretur; horreaque, quæ ab ipso legislatore *Sempronia* deinde vocata sunt, in Urbe constituerentur, in quibus frumentum publicum cum legibus frumentariis asservaretur.» Plutarch. in Gracch. Epit. Liv. LX. Festus. Pigh. ad ann. 630.

Postea horrea plurima in quatuordecim Urbis regionibus ædificata sunt. Numerat ad trecenta novem Lipsius, Elect. 1, 8: sortita nomen ab iis, a quibus exstructa fuerunt.

Lege Sempronia duo sanciuntur; pretium largitionis, et perpetuitas. Statuit Gracchus uti frumentum populo daretur singulis mensibus: uti semisse atque triente: vel, semissibus et trientibus, ut Cicero, et alii loquuntur. Primum aperienda est insolens forma orationis; deinde pretium quod in modium Gracchus statuit, demonstrabo.

Quærit autem Contarenus cur Gracchus semissis et trientis nomina usurpare maluerit, quum rem et brevius et planius potuisset exponere: et adductis aliquot rationibus, amplius pronuntiat. Abramus, ad orat. pro Sestio, cap. 25, censet, quod triticum semisse, hordeum, lupinus, et minuta alia legumina triente vendebantur, ideo distinctam semissis et trientis fieri mentionem. Nos verius, ni fallor, ex

Gronovio sic: As in partes secabatur, sive uncias, duodecim. Semissis erat assis dimidia pars; triens, erat tertia pars; hic quatuor, ille sex uncias, capiebat : conjuncti, decem uncias comprehendebant; et decuncem, seu dextantem conficiebant. Cur autem Gracchus semissem et trientem potius, quam dextantem, qui idem est, nominaverit, et cur illa uti circuitione maluerit, causa est, quia semissis et trientis formæ publicæ percutiebantur; dextantis vero nullæ fuerunt. Gronov. de Pecun. vet. IV, 12. Si Grævio ad Cicer. loc. cit. credis, hæc vera est et unica locutionis istius ratio : quæ tamen illius insolentiam non excusat. Quasi quis hodie velit viginti quatuor et duodecim asses, potius quam sex et triginta asses rei venali cuipiam pretium statuere, ob id nimirum quod viginti quatuor, et duodecim assium nummi apud nos ambulent; triginta vero et sex assium nulli sint.

Jam ad pretium lege Gracchi constitutum in modios: as romanus respondet novem denariolis nostratibus et quod excurrit. Dextantem æquant, semidenario addito, nostrates septem denarii. Hoc erat lege Sempronia pretium in frumenti modios, plebi levissimum sane, sed ærario gravissimum, quod tanto magis premebatur, quanto magis levabatur plebis inopia. Itaque legi senatus diu multumque adversatus est, « quod et ab industria plebem ad desidiam avocari putabat; et ærarium exhauriri videbatur ». Pro Sestio, cap. 48; de Offic. II, cap. 2.

Lex nihilominus perlata fuit. Eam stetisse ad tempora Sullæ Lipsius existimat; negat Vinc. Contarenus; et, Graccho interfecto, statim abrogatam fuisse contendit. Neuter recte. Abrogatam legem ante Sullana tempora fuisse contra Lipsium ostendunt leges Apuleia et Livia, quibus Sempronia largitio revocatur. Non autem statim ab interfecto Graccho abrogatam, sed Octavia lege temperatam fuisse contra Contarenum Cicero testatur de Offic. II, cap. 2, his verbis, « Modica M. Octavii largitio; et reipublicæ to-

lerabilis, et plebi necessaria.» Contarenum decepit illud, quod ait Cicero in Bruto, « M. Octavium auctoritate dicendi tantum valuisse, ut legem Semproniam frequentis populi suffragiis abrogaverit.» Quod non ita accipiendum, quasi abrogata omnino Sempronia lex Octavia lege fuerit. Illam correxit, non sustulit, Octavius: verum qua ratione istud præstiterit, quum nullum legis istius exstet caput, obscurum est. Videtur statuisse Octavius vel majus pretium in singulos modios, pro annonæ caritate: vel, uti, quum populo frumentum venderetur, de pretio, quo emptum esset, remitterentur in modium semis et triens. M. Octavius tulit legem suam anno U. C. 633, quo anno fuit tribunus plebis. Pighius.

2. Anno post, alia lex frumentaria promulgata, sed non perlata est; ejus auctor ignoratur: tribunum plebis fuisse puto: huic Marius, ipse tribunus plebis, intercessit, quod reipublicæ damnosa videretur. Confer Plutarch. in Mario, et Pigh. ad hunc annum.

3. L. Apuleius Saturninus, seditiosorum omnium post Gracchos eloquentissimus, qui ab optimatibus defecerat ad plebem, et se ad C. Marium, et alios plebeiæ factionis principes applicuerat, tribunus plebis iterum, anno 653 legem frumentariam promulgavit, quæ Sempronia lege fuit etiam dissolutior. Hæc enim pretium, levissimum quidem, sed pretium tamen frumento dando statuebat; Apuleius vero tulit, ut, « remissis semissibus et trientibus populo frumentum menstruum gratis distribueretur.» Huic legi intercessit Cæpio, qui per id temporis quæstor urbanus erat; docuitque senatum, ærarium pati non posse largitionem tantam. Lex non est perlata; et ejus auctor Saturninus, ex senatusconsulto judicatus hostis reipublicæ, occisus est. Rhet. ad Herenn. I, cap. 12.

4. Legem Apuleiam Livia sequuta est. M. Livius Drusus, tribunus pleb. anno 662, is qui jactabat in tribunatu « nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum di-

videre vellet, aut cælum », ut plebis gratiam sibi conciliaret, tulit, « ut Sempronia lex frumentaria valeret. » Sed legem hanc, ut Livias omnes alias, latore in magistratu occiso, senatus, Philippo consule referente, abrogavit. Liv. Epit. LXXI. Flor. III, 17. Ascon. ad Cornelianam.

A Drusi morte sociale bellum statim exarsit. Id excepit civile; imo multa civilia, quæ tam occupatum habuere populum romanum, ut ne injecta quidem a tribunis fuerit mentio ullius largitionis. Ut autem, rebus compositis, injici non posset, fecit Sulla, qui quum invasisset rempublicam, tribunis omne jus legum ferendarum ademit. Eo consilio turbarum ac seditionum exstinctæ sunt faces, quæ tamen Sulla mortuo anno 675, statim revixere, quum plebs niti cœpit ut tribunitia potestas in integrum restitueretur. Res fuit per multos annos magnis contentionibus jactata: consulibus strenue tuentibus senatusconsultum, quo acta Sullæ confirmabantur; plebe vero summa vi pugnante ne, spoliata præsidio tribunitio, potentium libidini subjiceretur. Sallust. fragment. lib. III, 8 et seqq.

5. Tandem anno 680, tanto impetu plebs coorta est in patres, ut sustineri amplius non posset. Itaque consules ejus anni C. Cassius, et M. Terentius Lucullus, ut plebem delinirent, et ut rem integram in adventum Pompeii, qui tum in Hispania bellum cum Sertorio gerebat, si qua possent, rejicerent, frumentariam legem tulere: quo blandimento plebs quietem egit usque ad annum 683, quo anno Pompeius et Crassus Coss. tribunitiam potestatem, ea lege quam sæpius omnes vituperavere, in integrum restituerunt. Hæc est illa lex Terentia-Cassia, quam Cicero altero contentus nomine quandoque Terentiam vocat. Frumentariam fuisse intelligitur ex eodem Cicerone, in Verr. III, 69. Ea lege, Siculi dare tenebantur imperati tritici nomine octingenta millia modium, pro quibus sestertios quaternos in modium accipiebant.

Terentiam-Cassiam legis nomine appellari debere negat

Hottomannus, Antiqu. I, 1, et cum eo docti nonnulli; qui, quia sit de frumento ex sola Sicilia exportando, privilegium, non legem appellari debere contendunt. Affirmat Contarenus: non enim de solo frumento siculo latam legem putat fuisse. Imo, inquit, illud de siculo frumento, unum caput legis fuit, qua cautum præterea est, qui numerus frumenti, et quanti esset in aliis provinciis emendus. Et sane frumentum emptum aliunde oportuit. Quandoquidem illa modiorum siculi frumenti octingenta millia trium mensium cibariis non satis esse poterant uti infra declarabitur. Nisi forte præter emptum frumentum, partem etiam decumani distributam plebi fuisse dixeris: qua de re nihil habeo quod affirmem.

Legem Terentiam præcesserat sive mensibus, sive annis aliquot, mihi enim non liquet, senatusconsultum de alteris decumis, quod sic habet: Omnis ager Siciliæ decumanus jam ante imperium populi romani ipsorum Siculorum voluntate, et institutis fuerat. Cic. lib. III, cap. 6. Quumque agrum illum fecisset victoria publicum populi romani, Siculis est redditus, ita tamen, ut, præter septem civitatum, eadem conditione esset, qua antea fuerat; id est, ut decumas gratuitas penderet, non, ut olim, regibus suis, qui nulli jam erant, sed reipublicæ. Hæ sunt primæ decumæ quæ a Cicerone appellantur. Quum vero annonæ difficultate Urbs premeretur, Senatus decreto Siculi tantum frumenti dare coacti sunt, quantum ex primis decumis fuisset.

Hæ sunt alteræ decumæ, quæ non erant tamen gratuitæ, uti primæ; nam pretium his decumis constitutum erat in modios singulos sestertii terni, qui aratoribus persolverentur. Cic. ibid., cap. 69. Ceterum videtur Senatus non, nisi quum temporibus reipublicæ cogeretur, decrevisse ut alteræ decumæ exigerentur. Ibid. cap. 16. Nollem hoc de alteris decumis senatusconsultum omisisset Vincent. Contarenus, scriptor alioquin in hoc argumento de re frumentaria non mediocri diligentia versatus.

6. Legem Terentiam post aliquot annos, i. e. anno 691, excepit senatusconsultum Catonianum; sic dictum, quia factum in Catonis est sententiam. Suasit vir ille ad disturbanda perniciosa Cæsaris consilia, ut, quando superioribus annis frumentariæ largitionis beneficio discussæ turbæ, et tranquillitas reipublicæ reddita fuisset, eodem remedio Cæsaris conatibus obviam iretur; occupatique animi pauperiorum hoc munere senatui reconciliarentur: quo facto Cæsaris spes in ventos abiere, nec moliri quidquam ausus est. Distributum est ergo plebi frumentum menstruum; quæ accessio fuit ad reliquos sumptus reipublicæ quingentarum quinquaginta myriadum, inquit Plutarchus, in Cæsare, seu ducenties vicies sestertium, gall. 4,141,000 fr. vel millium ducentorum quinquaginta talentorum, seu trecenties sestertium (gall. 6,150,000 fr.), ut idem scribit in Cat. nam, ut sæpius apud eumdem accidit, variat Plutarchus in summa.

Hujus rei culpam in librarios derivat Rualdus, Animadv. XXII, et jubet, ut et Contarenus, illic legi ἑπτακόσιαι, *septingentæ*, pro τῷ πεντακόσιαι, *quingentæ*, quod est in vulgatis. Idem Rualdus dum Plutarchum ibid. criminis unius absolvit, eumdem alterius postulat, imperitiæ nimirum, vel saltem negligentiæ. Ex eo enim quod annonarii hujus senatusconsulti plane non meminit Asconius, in Pison. sed a Gracchana lege desilit statim ad Clodiam frumentariam, contendit contra Plutarchum vir eruditus illud non viguisse, sed eodem quasi momento et factum et abrogatum fuisse. Respondetur Rualdo non itidem memorari ab Asconio leges Octaviam, Apuleiam, et alias quas supra recitavimus; quæ nihilominus perlatæ sunt. Atque ideo argumentum ex Asconii silentio contra senatusconsultum Catonianum non recte assumi. Præterea satis habuit Asconius ad rem præsentem afferre legem principem, hoc est, Gracchanam, a qua, ceu fonte, deinceps frumentariæ leges maxime populares derivatæ sunt, ut ostenderet, quasi

facta utriusque comparatione, Gracchum, hominem maxime et popularem et perniciosum, in his ipsis rebus superatum fuisse a P. Clodio. Adstipulatorem habet Rualdus Dacerium: nos Contarenum, qui rebus attente perpensis firmiora esse argumenta pronuntiat, quæ pro senatusconsulti diuturnitate afferuntur.

Ex ejusdem Plutarchi verbis alia suboritur quæstio; an, quum senatusconsultum illud factum est, ex lege Sempronia frumentum etiam aliquod distribueretur. Sunt qui affirment, sunt qui negent; et graves utroque trahunt auctoritates. Verum eo inclinat animus, ut credam largitionem aliquam antea fieri solitam fuisse, et Catonem voluisse ut illa fieret amplior: hoc est, ut plures e plebe, qui expertes hujus erant largitionis, [sic enim interpretor ἀνέμητον ὄχλον apud Plutarchum] frumentum menstruum acciperent. Unde quum augeretur numerus eorum quibus frumentum daretur, facta fuit illarum 750 myriadum accessio ad alios sumptus; non eos quosvis qui fiebant in republica, sed privatim ad eos qui antea fiebant pro largitione frumentaria. Non enim mihi fit verisimile plebeculam hisce largitionibus toties et tamdiu inescatam, iis æquo animo caruisse, quo tempore illi maxime erant necessariæ; tum quia prisca illa parcimonia erat obliterata; tum quia ex opulentorum luxu, longe majus erat quam antea, pretium rerum omnium quibus vita retinetur.

7. Venio nunc ad legem Clodiam frumentariam, quam tulit P. Clodius, ille Ciceronis inimicus, in tribunatu anno Urb. 695. Meminit autem Dio, lib. XXVIII, his verbis: « Clodius frumentum gratis rursus divisit. Tulit enim, Gabinio jam et Pisone coss. ut frumentum pauperibus daretur. » Ex his Dionis verbis contendit Contarenus legem Clodii frumentariam fuisse duplicem. Nam αὖθις, *rursus*, inquit ille, legem posteriorem significat. Ergo alia prior fuit. At docti melius, qui legem Clodii largitricem unicam agnoscunt. In hoc decipitur Contarenus quod jungit τὸ *rur-*

sus, τῷ *divisit;* quod jungendum erat τῷ *gratis*. Gracchus dederat frumentum semissibus et trientibus in modios. Remiserat semisses et trientes Apuleius, et gratis dederat. Apuleia lex perlata, Cæpione intercedente, non fuerat. Restituit eam Clodius, et dedit i. e. dandum tulit *rursus* gratis. Hanc Clodii legem Cicero multis locis impugnat, ut perniciosam, et pestem ærarii, si quidem ea lege quinta prope pars vectigalium tolleretur. Vid. pro Sest. cap. 25.

Clodia lex viguit omnium diutissime. Quum enim reliquæ ad breve spatium temporis fuerint ratæ, hæc, ad tria sæcula, fixa et firma perseveravit. Causa fuit ambitio, mater civilium bellorum. Dum nemo principum parem ferret, nedum priorem, servierunt omnes plebi miseris modis; et populi gratiam, reipublicæ incommodis, aucupati sunt. Hinc non ausus est quisquam verbum unum facere de Clodia lege abroganda. Præterea quum respublica redacta fuit in unius potestatem, Cæsar rerum potitus, et qui Cæsarem sequuti sunt Imperatores, animadverso quantum esset momentum in hujusmodi largitionibus ad plebis animos sibi conciliandos, largiri perseveraverunt. Neque in frumento menstruo dividendo stetit eorum liberalitas, sed certam etiam pecuniam, tunicas, porcinam, oleum, vinum plebeculæ diviserunt. Sed ista non sunt hujus nostri instituti.

VII. Hactenus de initiis frumentariæ largitionis, et de legibus ad eam pertinentibus; sequitur ut disputem de modo frumenti, seu de numero modiorum qui dabantur. Gracchum, qui primus de stata ac perpetua frumentatione legem tulit, de modo etiam frumenti quod daretur, cavisse verisimile est: sed quanta fuerit hæc menstrua largitio nemo omnium, qui exstant, veterum scriptorum, ut opinor, prodidit. Itaque tentandum an rem assequi conjectura possimus. Servis singulis cibaria per hiemem tritici modios menstruos quatuor attribuit Cato, de Re Rust. cap. 56, per æstatem, quatuor et semis. « Servi, inquit Donatus in

Phorm. I, 1, 9, quaternos modios frumenti accipiebant in mensem; et id demensum dicebatur; utrum a mense, an a metiendo, incertum». Non sane a mense, sed a demetiendo fit demensum. At illa inconstans, et incerta fuisse videtur attributio. Nam ex Seneca, Epist. 80, « Servus est, qui quinque modios accipit ».

Fuit igitur menstruus servilis canon modiorum quatuor frumenti, aut quinque, si quando liberaliores erant domini : servos vero eos intelligo, qui ruri opus exercebant. Tot modiorum fuisse largitionem plebi factam mihi persuadet Macer, seu Marcius Licinius apud Sallust. Hist. fragm. lib. III, cap. 10. Is enim in ea oratione quam in tribunatu habuit ad populum ibi, ubi Terentiam legem frumentariam elevat et explodit, sic ait : « Absit periculum et labor, quibus nulla pars fructus est : nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur. Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere; qui profecto non amplius possunt (al. *prosint*), alimentis carceris ».

Isthæc commemoratio de alimentis carceris injicitur oratorie magis ad invidiam, quam ad similitudinem. Nam lege XII tabularum singulæ libræ farris in singulos dies vincto dabantur. A. Gell. XX, 1. Quod diarium quia servis etiam in ergastulo aut domi vinctis præbebatur, alimentum servile apud Sallustium vocatur. Fragm. lib. I. cap. 6. Sed hæc exiguitas victus qua mors tantummodo prohibebatur, nihil facit ad quinos modios, qui modus fuit Terentianæ largitionis.

Cogitanti Contareno videtur par fuisse constitutus lege Sempronia, fortasse etiam et Senatusconsulto Catoniano et lege Clodia, modus frumenti quod daretur. Hic igitur stamus. Quinos modios singulis mensibus datos fuisse dicimus. Sed viritimne, an per familias? Si viritim, quini modii large præbebant uni homini menstrua cibaria : quandoquidem observatum est modium hominibus octo alendis in diem sufficere. Itaque modii quini victum diurnum dabunt

quadraginta hominibus; seu, quod idem est, uni homini per quadraginta dies; at mensis est dierum duntaxat triginta. Sin autem modii familiis singulis quini assignabantur, ut inde paterfamilias non solum vitam suam, sed et conjugis ac liberum toleraret, fatendum est parce præbitum fuisse ad victum quotidianum, et rem tam parvam non *absolvisse cura familiari:* ut ait Macer, apud Sallust. III, 10. Sed ut largitionem per familias factam non credam facit Sueton. in Jul. cap. 41, ubi sic ait: « Cæsar rerum potitus, ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit ». Enim vero an tot familiarum millia acceperint? non fit verisimile. Neque tamen viritim datam puto, quod largius, quam par est, præbitum fuisset. Si conjectura uti licet, quod tamen in re tam obscura necesse est, credam, feminis exclusis, mares solos, patrem dico, et natos, qui essent ætate militari, admissos ad istam largitionem fuisse, ita ut per capita frumentum quodammodo distribueretur, neque tamen, ut Licinius querebatur, « absolveret cura familiari tam parva res », quæ quia minor erat alendæ toti familiæ, marito, inquam, et conjugi cum liberis, plebem ab industria ad desidiam non avocaret.

VIII. Ad frumentum publicum admittebantur cives romani tenuiores, sive ingenui essent, sive libertini, sive nobiles, sive obscuri, dummodo Romæ domicilium haberent. De tenuioribus non est quod dubitemus. Accepisse nobiles et consulares discimus ex Cicerone, qui, lege lata Sempronia Pisonem Frugi, consularem hominem, ad accipiendum frumentum venisse ait. Tuscul. Quæst. III, cap. 48. Quod Gracchus quum videret, non objecit Pisoni avaritiam indignam viro consulari, quod sane fecisset, si a publico frumento civem nobilitas arcuisset. Quærit ab eo tantum, « qui sibi constet, quum ea lege frumentum petat quam dissuaserat ».

Eorum, qui frumentum caperent, nomina descripta in

album referebantur. Dio, lib. XXXIX, et lib. IV. Et ut ne quis se obtruderet, singulis mensibus per eum qui frumento distribuendo præfectus erat, recensio ante largitionem fiebat in campo Martio nominum eorum, quos fas erat capere frumentum. Ejus recensionis tabulæ conficiebantur, quæ in æde Nympharum asservarentur. Cic. pro Mil. cap. 27. Sunt qui velint id per censores fieri solitum, et qui tabulas recensionis *Censorias* appellent. Casaub. ad Suet. Jul. cap. 41; Manut. ad Cic. ubi supra. Sed eos refellit Dio, ubi supra.

Ut fraudibus certius occurreretur, recensitis, et in *album* descriptis singulis dabantur tesseræ, quas *tesserario* ostenderent frumentum accepturi. *Tessera* fit a Græco τέσσαρα, quatuor, quod haberet quatuor latera : nam ligneum fuit frustillum, oblongum : vel alius cujusvis figuræ. Ejus latera inscriptum habebant nomen Consulum, et civis ejus cui dabatur; diem mensis; et has literas SP, seu SPECT. id est, *spectata;* quo significabatur eam tesseram spectatam fuisse, veramque eam esse, et probatam. Vid. Reines. Inscript. LX, class. V. Sunt tamen qui has literas interpretentur de gladiatoribus qui spectati satis rude donabantur. Schot. Nod. Cicer. II, 6. Tesserarum schemata exhibet Montf. Antiq. tom. III, tab. 186.

IX. Jam ad numerum accipientium, hoc est, ad alias tenebras pergimus. Censet enim Contarenus, certum et definitum non fuisse ante legem Semproniam; tum quia raræ et incertæ erant largitiones, tum quia nunc major, nunc minor frumenti numerus Romam advehebatur. Lege Gracchi, legibus Apuleia et Livia de hac re cautum fuisse minime est dubitandum : at earumdem legum beneficio quot acceperint, nusquam diserte significatum reperi : sed ex Ciceronis presso vestigio rem subodorari posse videor. Is, lib. III, cap. 30, orationem sic ad Verrem convertit. « Imperas, inquit, ut Agyrinenses decumas accipiant; Apronio dent lucrum, tritici medimnum XXXIII millia. Quid est

hoc? Una civitas ex uno agro, plebis romanæ PROPE MENSTRUA CIBARIA prætoris imperio donare Apronio cogitur! » Sic Tullius. Porro romanæ plebis nomine aut intelligenda plebs universa, aut illa solum plebecula, quæ frumenti largitionibus alebatur. Plebs universa nullo modo intelligi potest. In Urbe enim omnium, quas sol aspiceret, maxime frequenti quis non facile concedat illo ævo fuisse amplius quadringenta millia hominum de plebe?

Huic tantæ multitudini ducenta millia medimnum menstrua vix satis fore subducta ratione comperiemus, ut singulis tribuerentur tantum modii terni, seu semi-medimnus. Qui numerus frumenti ab his triginta tribus millibus medimnum abest tam longe, ut nullo modo tam impudenti mendacio fucus fieri judicibus potuerit. Intelligenda igitur est apud Ciceronem plebs illa, seu plebecula, cui annona menstrua donata fuit lege Terentia eo triennio, quo Siciliam Verres administravit. Porro Agyrinenses Apronio XXXIII millia medimnum donare coacti sunt « plebis rom. prope menstrua cibaria, inquit Cicero »; sed hoc verbum *prope* quum addit, oratorie imminuit modum frumenti quod donabatur menstruum, ut furtum Verris tanto magis augeat, quo propius ad illum ciborum menstruorum modum accedat. Hæc est, ni fallor, mens Contareni, quem Grævius, quia non eam assequutus est, male reprehendit. Ad lib. tert. Accus. cap. 30.

Ciceronem igitur habemus auctorem triginta tria millia medimnum donata fuisse romanæ plebeculæ lege Terentia: atque illa *prope* satis fuisse ad cibum plebis menstruum: ita ut si ad illa XXXIII, aliquot millium medimnum accessio fiat, numerum medimnum alendæ plebi necessarium habituri simus. Hac igitur quasi face prælucente progrediamur conjecturis quam minime audacibus.

Imminuit orator modum frumenti ad crimen augendum, nos eum amplificemus, et producamus vel ad L. millia medimnum : ita ut ad illum Ciceronianum numerum fiat

tertiæ partis, hoc est, septemdecim millium accessio: quæ sane gravior ei non videbitur, qui tantisper attenderit ad illud Oratoris artificium quod proposui. Medimna singula modios romanos capiunt sex. Ergo quinquaginta medimnum erunt trecenta modium millia; quæ sufficiunt hominum sexaginta millibus alendis, ut modus frumenti fuerint in singulos modii quini. Aut igitur hæc ipsa, aut circiter, mea quidem sententia, hominum multitudo lege Terentia publicum frumentum accepit. At senatusconsulto cujus auctor fuit M. Cato, Contarenus admissa ad frumentationem fuisse hominum millia circiter centum, conjicit ex sumptu, quem factum quotannis in eam rem tradit Plutarchus.

Clodia lex remisit semisses et trientes, sed accipientium non auxit numerum, qui postea, quum per seditiones et bella civilia plurimi irrepsissent nullo jure in has largitiones, adeo crevit, ut esset anno Urbis 708, tercentum viginti millium: quem Cæsar, recensione facta, retraxit ad centum quinquaginta millia. Sueton. in Jul. cap. 41. Hunc numerum Augustus produxit ad ducenta hominum millia. Ex Monum. Ancyr.

X. Pulsis regibus, procurationem rei frumentariæ, seu annonæ, id est, curam emendi frumentum in provinciis et Romam mittendi, suscepit Senatus. Mox Ædilibus plebis hæc reipublicæ pars mandata est; semel extra ordinem ad L. Minucium, deinde ad Ædiles curules translata, diuque gesta præclare: fortasse usque ad legem Terentiam. Sane constat ex Asconio, Argum. in Cornel. septennio post eam legem, prætorem de majestate curam gessisse frumenti publici.

Lege Clodia S. Clodio homini impurissimo procuratio frumenti, quod uspiam fuit, tradita est. Cic. pro domo, cap. 25. Eidem erepta anno sequenti, et Cn. Pompeio extra ordinem toto orbe terrarum in quinquennium est delata. Africa capta anno Urb. 709, Julius Cæsar jussit vi-

ginti myriadas, i. e. ducenta millia medimnum frumenti ad alendum populum romanum advehi; et olei librarum myriadas ccc, i. e. tricies centena millia; duosque curatores et totidem Cereales ædiles instituit, qui hoc frumentum Romam advehendi et populo distribuendi curam haberent. Dio, lib. XLIII. Annonæ procuratio ad consules etiam pertinuisse videtur ex eo, quod, quum inopia laboraretur anno Urb. 315, tribuni consulum negligentiam accusarint, quasi eorum culpa accidisset ut populus fame premeretur. Liv. IV, 12.

XI. Dum stetit respublica, iidem ferme, qui annonam procurabant, Ædiles sive plebis, sive curules, frumentum populo distribuerunt. At Gracchus ipse præfuit, aut saltem adfuit, ut patet ex Cicerone, Tuscul. Quæst. III, cap. 20, quum ejus lege frumentum plebi daretur. Post legem Terentiam verisimile est prætorem, ut gerebat curam frumenti advehendi, ita etiam illud distribuendum curasse. Pompeius extraordinaria annonæ præfectura ornatus, frumentum etiam donavit.

XII. Jam dixi frumentarias Romanorum provincias fuisse primum Italiam, maxime vero Etruriam. At anno Urb. 262, quum annonæ caritas esset summa ex incultis agris per secessionem plebis, missi qui frumentum compararent non modo hinc in Etruriam, illinc per Volscos, usque ad Cumas; sed quæsitum in Sicilia quoque: unde vis magna frumenti advocata est, partim coempti; partim a Gelone Syracusarum tyranno dono accepti. Liv. II, 34; Dion. Hal. VII, 1.

Aliquanto post subacta Sicilia ingentem frumenti numerum aut decumarum, aut emptionis nomine, quotannis Romam misit. Vid. Argum. Lib. III, in Verr. Deinceps domita Africa pependit et ipsa victrici reipublicæ vectigal annuum frumentum. Deinde, ut quæque provincia ferax frumenti Romanorum ditioni subjecta est, statim nutrix pro sua parte facta est plebis romanæ. Harum præcipuæ fue-

runt Sicilia, Africa, Sardinia, Hispania, Bœotia, Macedonia, Chersonesus, Asia, Syria, Ægyptus: e quibus omnibus, si Ægyptum excipias, quæ non, nisi post funus reipublicæ, provincia ab Augusto facta est, frumenti maximus numerus Romam advectus est, aut publici ex vectigalibus; aut senatusconsulto empti; aut privatim a mercatoribus. Harum provinciarum meminit Cicero, libro tertio, in Verrem passim; et pro lege Manilia, cap. 12, ubi Siciliam, Africam, Sardiniam, tria fuisse testatur frumentaria subsidia reipublicæ.

Diximus post argumentum libri tertii quantum frumenti numerum Sicilia quotannis Romæ suppeditaret. Africani frumenti modum statuere non ita promptum est. Nam quod ait Plutarchus in Cæs. Cæsarem Africano bello confecto reversum, in concione fuisse gloriatum, se regionem subegisse tantam, ut ex ea quotannis populus romanus præter olei pondo tricies centena millia, percepturus esset frumenti ducenta millia medimnum atticorum, hoc est, duodecies centena millia modiorum romanorum, id nos in eo constituendo leviter adjuvat. Cui enim persuadeatur tam exiguum vectigal ab Africa universa, feracissima regione, exactum fuisse? Aut igitur in referendo dicto Cæsaris lapsus est, ut sæpe in rebus romanis scribendis, homo græcus; aut hæc de quibusdam tantum Africæ civitatibus, ut vult Contarenus, accipienda sunt. Neque nobis prælucet in re tam obscura Josephi locus ex oratione Agrippæ ad Judæos (de Bello Jud. II, 16, pag. 189 et 191, edit. Vest.) qua eos a bello contra Romanos suscipiendo dehortatur. In ea rex ille affirmat Africam octo mensibus populum romanum alere; Ægyptum quaternis. In quo suæ causæ magis, quam veritati, eum servire apertum est. Si enim ita se res habuerit, nihil frumento tanto ex tot aliis provinciis importato opus fuerit. Importatum tamen fuisse ex supra memoratis provinciis constat ex Plinio, XVIII, 7. Aliis etiam argumentis refelli possit Agrippa. Sed quia ista

magis ad imperatorum quam ad reipublicæ tempora pertinent, supersedeo de ea re plura loqui.

De medimnis et modiis romanis quorum mentio sæpe hac in disputatione facta est, diximus post argumentum ad librum tertium in Verr.

Addam coronidis vice, largitiones non modo per senatum aut magistratus, sed per privatos etiam homines aliquando, præsertim testamento, factas fuisse: ut suspicari licet ex Horatio, Sat. II, 3, 84 et seqq. neque frumentum solum, sed et oleum etiam populo donatum. Memoratur Ciceroni de Off. II, cap. 17, M. Seius ædilis curulis anno Urb. 679, qui, ad ineundam a populo gratiam, revocavit longo intervallo veterem annonæ vilitatem de suo; et asse modium populo dedit. Idem ille M. Seius olei quoque denas libras, rem hoc ævo prope incredibilem, singulis assibus præstitit populo romano, per totum annum. Plin. XV, I.

DESJARDINS.

M. TULLII CICERONIS

IN C. VERREM

ACTIONIS SECUNDÆ

LIBER QUARTUS

DE SIGNIS

ARGUMENTUM.

Postquam omnem Verris ignominiam, latrociniaque tribus orationibus Cicero explicuit, jam illam furtorum partem aggreditur, qua prætor summa impudentia, summaque audacia in Siciliæ perniciem usus est. Nihil hac oratione vividius, quæ summa rerum et eloquentiæ varietate commendatur. Ne continuatæ enim narrationes una serie fastidium legenti moverent, orator providit; et ita constanti admirabilique ordine materiam disposuit, ut aliæ ex aliis defluere, et inter se mira quadam affinitate constringi videantur. Sæpe etiam quo facilius omnem ingenii vim explicet, orator non in furtis tantum commoratur, et nonnumquam a proposito paullulum digreditur, ut majora et atrociora Verris scelera appareant. Ita raptum Proserpinæ solerti oratione depingit, ad augendam prætoris culpam, qui Cereris signum Ennensibus per vim abstulit; ita Syracusarum statum et opes mira arte explicat, antequam in illam prætor ingruerit. Inter ceteros præsertim eminet locus ille quo magnificentissimum candelabrum Antiochi regis abreptum conqueritur. Qua vehementia in Verrem tum imprecatur, qui populi romani magistratus, socium reipublicæ regem e provincia excedere, tamquam nefarium coegit, postquam rebus spoliavit eum pretiosissimis! Quanta suavitate pingitur adventus regis in Siciliam, Verrisque circa candelabrum trepidatio; et animus ille regius qui nihil mali suspicatur! Nemo est, quem non acerrime commoveant querelæ regis in medio Syracusarum foro deploratæ. Deinde quo ingenii flumine in Verrem orator invehitur, regum sociorum exactorem et hostem infensissimum; quam scelus illud vehementer amplificat! Imo nihil in hac oratione occurrit, quod non suavitatis, et vehementiæ, utilissima præbeat documenta. Nam præter ornamenta eloquentiæ, alia sunt rerum extra causam petitarum, quæ ita singulis narrationibus accommodantur, ut optime rei cohæreant, et maxime legentium moveant animos. Sic in illa furtorum Syracusanorum narratione, statim mentio fit M. Marcelli, humanissimi viri, atque innocentissimi, quæ, sæpius

repetita, legentium animos tantæ laudis recordatione mire afficit, et comparatione facta utriusque, tanto vehementius odium in Verrem inflammat, quanto major exsistit, hujus et illius studiorum dissimilitudo. Sic ubi sublatam Segestanis Dianam narravit, et dejectam fuisse etiam basim ostendit, in qua P. Africani nomen fuerat incisum, luculentam gravemque ducit inde amplificationem; primo a P. Africano, cujus monumentum fœde violatum fuit et excisum, deinde a P. Scipione, hujus nepote, qui domesticæ laudis transfuga, suæ gentis hostem infestissimum spoliatoremque defendit; denique a persona, quum se P. Africani monumentorum defensorem ac propugnatorem profitetur. Hac denique oratione Verris adumbratur insania et morbus, ut eum agnoscas, qui postea proscriptus ab Antonio procul a patriis focis occumbere maluerit, quam signum ab illo vehementer expetitum concedere.

Sicut in præcedenti oratione, Tullius Verri defensionem affingit, quam nunc jocosa, nunc seria oratione confutat. Falso, inquit, objiciet Hortensius, et frustra contendet, tot illa Siciliæ ornamenta, empta esse de Siculis, non ablata. Primum quod magistratibus populi romani nihil in sua provincia mercari liceat; deinde quod Verres ea per potestatem abstulerit, eoque solverit pretio, si tamen pretium est solutum, ut nihilo turpius facturus fuisset, si palam atque aperte ea diripuisset. Statim ab introitu orationis ea conglobatim proponuntur, quæ singulatim deinceps orator commemoraturus est. Attentionem sibi conciliat, quum demonstrat se magna, nova, incredibilia dicturum, quæ quum ad summam reipublicæ, tum ad deos immortales pertineant.

SYNOPSIS.

Nullo hic exordio utitur orator; sed statim, ut judices genus ipsum cognoscant, negat in Sicilia ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam, aut margaritam, quidquam ex auro aut ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum, ullam picturam neque in tabula, neque in textili fuisse, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit, cap. 1.

Messanæ (etsi civitatem Mamertinorum præcipue diligere

videbatur, hi etiam miserant qui eum laudarent) tamen C. Heio quatuor signa abstulit pulcherrima, summo artificio, summa nobilitate, 2, 3. Mentitus se ista, ut multa alia emisse (etsi ne licebat quidem per leges iis qui cum potestate aut legatione in provinciam essent profecti mancipium emere, nisi in locum demortui), 5-8. Itaque hoc ipso argumento, aliisque ostendit Mamertinorum laudationem Verris nihil valere, præsertim quum princeps laudationis Heius se a Verre expilatum fateatur, et quum parum auctoritatis apud S. P. Q. R. habere debeant, quippe qui Cicerone, senatore populi romani publice haud invitato, ordini senatorio debitum honorem detraxerint, præterea populum romanum ea re offenderint, quod crucem illam, cui Verres civem romanum affixerat, nondum revellerint, 9-11.

Præterea Heio Verres peripetasmata Attalica rogatu suo ad eum missa haud reddidit; Philarcho Centuripino, Aristo Panormitano, Cratippo Tyndaritano phaleras pulcherrime factas abstulit, 12.

In hisce furtis opera usum esse ostenditur fratrum Tlepolemi et Hieronis, qui omnia ejusmodi signa et ornamenta investigarent, idque exemplo Pamphili Lilybætani confirmatur, 13, 14: neque enim ipsum his in rebus aliquem sensum habere; etsi studiosus sit hujus existimationis, ut putetur in iis intelligens esse, 15.

Lilybæi Diocli Popillio omnia abaci vasa, 16; M. Cælio, equiti romano vasa argentea, Cacurio supellectilem omnem, Q. Lutatio Diodoro mensam citream, Apollonio Drepanitano omne argentum optime factum, Lysoni Apollinis signum, pupillo Hegio scaphia cum emblematis eripuit, 17.

Tum narrantur injuriæ Diodoro Melitensi propterea factæ, quod ille pocula duo Thericlea Mentoris manu facta Verris cupiditati subtraxerat, 18, 19. Cn. Calidio equiti romano argenteos equuleos, L. Papirio thuribuli emblema abstulit, aliaque ejusmodi furta commisit, 20, 21. Catinensibus, Centuripinis, Agyrinensibus, Haluntinis omne argentum cælatum, et omnia vasa Corinthia eripuit, præterea plurimam vestem stragulam, lectos auratos, candelabra ænea sibi confici jussit, 22-26.

Sequitur nefarium facinus, quo Antiochum, Antiochi regis Syriæ filium, per Siciliam iter facientem vasis compluribus au-

reis et gemmeis, in primis candelabro pulcherrimo e gemmis clarissimis opere mirabili perfecto, quod in Capitolio ponendum Antiochus attulerat, spoliavit, 27-31.

Sequitur de Dianæ Segestanæ statua quam idem anteferendam curavit, pulcherrima et mirabili suavitate condita oratio, 32-38. Non minora sane de iis prædicanda sunt, quibus narrantur quæ Tyndaritanis, 39-42, Agrigentinis, 43 seq. Enguinis, 44, Catinensibus, 45, Melitensibus, 46, 47, Ennensibus, 48-51, Syracusanis, 52-59, abstulerit. Quibus in furtis significat acerbiorem fuisse civitatibus falsam istam et simulatam emptionem, quam si omnia aut eripuisset palam, aut clam surripuisset, 60.

In extrema oratione narratur Syracusanos, etsi clientes et amici Verris habiti sint, honorifice Ciceronem accusatorem ejus excepisse, laudationem Verri decretam, et Verrea, festum a Verre Marcelleorum loco institutum, sustulisse, 67. Ex duabus igitur quas adeo jactat Verres, laudationibus, altera decreto est sublata; alteram, quæ restat, ironice certis conditionibus Verri concedit.

Nullum in fine epilogum habet oratio, cum sequenti nempe conjuncta.

ORATIONES.

IN C. VERREM ACTIO SECUNDA.

DE SIGNIS.

ORATIO NONA.

I. VENIO nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium[1]; ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium : ego, quo nomine[2] appellem, nescio. Rem vobis proponam : vos eam suo, non nominis pondere penditote. Genus ipsum[3] prius cognoscite, judices; deinde fortasse non magnopere quæretis, quo nomine appellandum putetis.

Nego in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere pro-

I. 1. *Appellat studium.* Nomen honestum rei flagitiosæ præponens. Nam veluti laudandus artium amor hic habetur. — *Morbum et insaniam.* Cupiditates enim quum gravius invaluere, animi naturam ita corrumpunt, ut qui iis rapiatur, neque sui compos, nec recte valens dicatur. Et recte quidem hoc de Verre; nam, ut Plinius Lactantiusque testantur, proscriptus ab Antonio periit, quod se vasis Corinthiis cessurum negaverat.

2. *Quo nomine appellem.* Sæpe exaggerandi gratia, se verborum inopem fingit orator. Inde enim fit ut judex multo deteriorem de reo opinionem concipiat, cujus flagitia verbis æquare quidem se non posse profiteatur accusator. Hoc eodem artificio usus est Cicero, pro Quint. 18, et Verr. V, 66.

3. *Genus ipsum.* Cognoscite prius rem totam generatim, ut protinus pateat quo nomine sit appellanda.

vincia[4], tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium, aut Deliacum fuisse; ullam gemmam, aut margaritam[5]; quidquam ex auro, aut ebore factum; signum ullum æneum, marmoreum, eburneum; nego ullam picturam[6], neque in tabula, neque textili[7] fuisse, quin conquisierit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit.

Magnum videor dicere : attendite etiam quemadmodum dicam. Non enim verbi, neque criminis augendi causa complector omnia[8]. Quum dico, nihil istum ejusmodi rerum in tôta provincia reliquisse, latine me scitote, non accusatorie loqui. Etiam planius : nihil in ædibus cujusquam, ne in oppidis quidem; nihil in locis communibus, ne in fanis quidem; nihil apud Siculum, nihil apud civem romanum; denique nihil istum, quod ad oculos, animumque acciderit[9], neque privati, neque publici, neque profani, neque sacri, tota Sicilia reliquisse.

Unde igitur potius incipiam, quam ab ea[10] civitate,

4. *Tam vetere provincia.* Sæpius commemorat orator veterem illam Siculorum cum populo romano societatem; inde enim atrocior Verris agendi ratio apparet, quum tam crudelem se in veteres reipublicæ socios gesserit.

5. *Gemmam aut margaritam.* Gemma ad genus omne pretiosorum lapidum, margarita ad unam speciem refertur.

6. Alii, *neque in tabulis, neque textilem.* Schütz. *in textili.* J. V. L.

7. *Neque textili.* Tapetia acu contexta, et varias animalium aut ruris figuras exhibentia picturæ textiles dicuntur; quia sic tabulam pictam mentiuntur.

8. *Complector omnia.* Non invidiæ in Verrem concitandæ causa, in hunc unum hominem omnia furandi genera conjicio. — *Latine.* H. e. simpliciter nullis inanibus verbis superadditis. — *Accusatorie.* Hyperbolice, sicuti solent accusatores. — *Planius.* Subaud. dicam; h. e. clariori luce accusationem meam illustrabo.

9. *Ad oculos animumque acciderit.* Quod sub ejus oculos eeciderit, ad mentem venerit: quod multo est elegantius quam Vict. et Man. « quod oculos animumque accenderit », i. e. cupiditate commoverit.

10. *Ab ea civitate.* Messanam significat. Quam ex tot urbibus direptis spoliatisque eligam, nisi eam ipsam quæ tibi amicissima, legatos Romam qui te collaudarent misit? Obiter Cicero Mamertinos semper perstringit, et tamquam Verris socios, scelerumque participes indicat, quo leviori mo-

quæ tibi una in amore, atque in deliciis fuit? aut ex quo potius numero, quam ex ipsis laudatoribus tuis? Facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accusant, qui persequuntur; quum apud tuos Mamertinos inveniare improbissima ratione esse prædatus.

II. C. Heius [1] est Mamertinus (omnes hoc mihi facile concedent, qui Messanam accesserunt) omnibus rebus in illa civitate ornatissimus. Hujus domus est vel optima Messanæ, notissima quidem certe, et nostris hominibus apertissima, maximeque hospitalis. Ea domus ante adventum istius [2] sic ornata fuit, ut urbi quoque esset ornamento: nam ipsa Messana, quæ situ, mœnibus, portuque ornata sit, ab his rebus, quibus iste delectatur, sane vacua, atque nuda est. Erat apud Heium sacrarium [3] magna cum dignitate in ædibus, a majoribus traditum, perantiquum: in quo [4] signa pulcherrima quatuor, summo artificio, summa nobilitate; quæ non modo istum hominem, ingeniosum [5] atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas [6] appellat, delectare possent: unum Cupi-

mento foret publica, quam decreverant, collaudatio.

II. 1. *C. Heius*. Ita magnifice domum ejus celebrat Cicero et ædium apparatum explicat, quo atrociora Verris flagitia appareant, quum hanc ipsam domum modo tam splendidam, brevi a prætore nudatam spoliatamque demonstraverit.

2. *Ante adventum istius*. His paucis verbis, orator prætoris avaritiam quasi prænuntiat. Hoc illi usitatum est, ut crimen ipsum, tamquam e longinquo ostendat, antequam res ipsa narretur; unde major exspectatio, acriusque in reum odium.

3. *Sacrarium*. Lararium, in quo Lares domesticaque numina colebantur. Hic veteribus mos erat non tantum deorum, sed magnorum quoque virorum, aut eorum quos amicitia colerent, imagines consecrare, maximoque circumdare religionis apparatu. Vide Suet. in Vitell. cap. 2, et Lampr. in Sever. cap. 29.

4. *In quo*. Manutius hic verbum *inerant* desiderat.

5. *Ingeniosum*. Irrisione in Verrem dictum.

6. *Idiotas*. Græca vox. Primum privatos tantum significavit; sed brevi ad alium defluxit sensum. Quum enim privati magnarum rerum rudes sunt, ut qui nullum earum usum habeant,

dinis marmoreum, Praxitelis[7]: nimirum didici[8] etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina; idem, opinor, artifex ejusdem modi Cupidinem[9] fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiæ visuntur: nam alia visendi causa nulla est. Itaque ille L. Mummius[10], quum Thespiadas[11], quæ ad ædem Felicitatis sunt, ceteraque profana ex illo oppido signa tolleret, hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit[12].

III. Verum, ut ad illud sacrarium redeam, signum erat hoc, quod dico, Cupidinis e marmore: ex altera parte Hercules egregie factus[1] ex ære; is dicebatur esse Myronis[2], ut opinor: et certe. Item ante hosce deos erant arulæ[3], quæ cuivis sacrarii religionem

usurpata est vox illa pro imperito. Eamdem quoque gallice vim obtinuit, *idiot*.

7. *Praxitelis*. Celeberrimus apud Græcos statuarius, duabus præsertim Veneribus insignis. Vid. Plin. XXXIV, 19, et Ind. Histor.

8. *Nimirum didici*. Excusare se quodammodo videtur orator, quod nomina pictorum sculptorumque proferat. Non semel in orationibus contra Verrem tale occurrit artificium. Quamvis enim jam tunc Romam luxus invasisset, qui populi studia captabant omnium artium se rudes profitebantur, tamquam illa græcæ potius levitati quam romanæ gravitati convenirent.

9. *Ejusdem modi Cupidinem*. H. e. marmoreum. Hunc Pentelico lapide confectum, Praxitelisque operum præstantissimum, Phryne meretrix ab ipso extorsit, Thespiisque patriæ suæ donavit. Quo dolo ad id usa sit docet Pausan. in Att. cap. 20.

10. *L. Mummius*. Is est, qui Corintho excisa de Achæis triumphum egit anno 608, et Achaici cognomine dictus est.

11. *Thespiadas*. Sic Musas vocat a Thespiis, ubi præcipue colebantur.— *Ædem Felicitatis*. Hanc Romæ condidit L. Lucullus, propter bellum contra Mithridatem et Tigranem feliciter absolutum, simulacrumque deæ ibi ponendum curavit.

12. *Non attigit*. Hanc Mummii religionem non imitatus est Caligula, qui signum illud Romæ transferendum curavit. Thespiensibus deinde redditum, Nero Romam reduxit, ubi flammis consumptum est; quo tempore, incertum.

III. 1. Sic Græv. recte; olim, *factus est*. J. V. L.

2. *Myronis*. Celeberrimus ille statuarius fuit, bucula ærea insignis, in cujus laudem multa epigrammata in Anthologia occurrunt. Varia ejus opera recenset Plinius, XXXIV, 25.

3. *Arulæ*. H. e. parvæ aræ, quibus odores et thus, religionis causa, incendebantur.

significare possent. Erant ænea præterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ[4] ipsæ vocabantur: sed earum artificem quem? quemnam[5]? Recte admones: Polycletum[6] esse dicebant. Messanam ut quisque nostrum venerat, hæc visere solebat; omnibus hæc ad visendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quam civitati.

C. Claudius[7], cujus ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus, populoque romano habuit ornatum[8]; et, quum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. Nuper homines nobiles ejusmodi, judices, et quid dico nuper? imo vero modo, ac plane paullo ante vidimus,

4. *Canephoræ.* Sic dictæ, quod in sacris Cereris impositos capiti calathos gerebant. Quod ad munus implendum eligebantur virgines maxime vita et moribus integræ: nam capiti libros sacros Eleusinis circumferebant. Illas paullo infra Canephoros vocat Tullius, Græcorum more, apud quos κανηφόροι dicebantur.

5. *Quem? quemnam?* Hic eodem artificio quo supra utitur; seu quasi contemneret ea quorum cupiditate ita Verres flagrabat; seu quia nomen e memoria fingit excidisse, ut se tamquam ad ea quæ sit dicturus, imparatum ostendat; et criminatione in Verrem parata uti non videatur. Alii male omittebant *quem*, datum a cod. Cujac. Quintil. IX, 45; Jul. Rufin. c. 9.

6. *Polycletum.* Celeberrimus ille statuarius iisdem ac Myron temporibus floruit. Hujus opera iisdem quibus supra locis Plinius recenset.

7. *C. Claudius.* Ædilitatem illam, quam anno 654 gessit, tria præcipue commendaverunt. 1° Ludis iis, quos populo dedit, elephanti primum pugnavere; Plin. VIII, 7. 2° Scenam varietate colorum primus adumbravit. Narrat Plinius picturarum hæc ornamenta magnam concitasse admirationem, quum ad tegularum similitudinem corvi advolassent. Denique conjectis in labrum æneum lapidibus primus invenit, ut veri tonitrus similitudinem mentiretur. Unde natum illud proverbium ut Claudiana tonitrua maximi strepitus dicerentur.

8. *Habuit ornatum.* Unde mos ille defluxerit, Livius narrat, IX, 40.

qui forum ac basilicas [9], non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum, commodis hospitum [10], non furtis nocentium, ornarent: qui tamen signa, atque ornamenta sua cuique reddebant; non ablata ex urbibus sociorum, quatridui causa, per simulationem ædilitatis, domum deinde atque ad suas villas auferebant. Hæc omnia, quæ dixi, signa, judices, ab Heio de sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen [11], præter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor: eam iste habere domi suæ noluit [12].

IV. Pro deum hominumque fidem! quid hoc est? quæ hæc causa? quæ hæc impudentia est? [1] quæ dico signa, antequam abs te sublata sunt, Messanam cum imperio nemo venit, quin viderit; tot prætores, tot consules in Sicilia, tum in pace, tum etiam in bello fuerunt; tot homines cujusque modi: non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces; quorum nemo sibi tam vehemens, tam potens, tam nobilis visus est, qui ex illo sacrario quidquam poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres, quod ubique erit pulcherrimum, auferet? nihil habere præterea cuiquam licebit? tot domus locuple-

9. *Basilicas.* Erant basilicæ magnificentiora ædificia in foro posita, quibus viri centum tribunique plebis ad jus dicendum conveniebant. Utque multa Romæ fora, sic multæ basilicæ numerabantur.

10. *Commodis hospitum.* H. e. commodatis rebus. Nec vero tantum statuæ, ad celebrandos ludos publicos, a provincialibus numquam reddendæ petebantur, sed etiam a sociis pecunia irrogabatur. — *Furtis nocentium.* Dictum in Verris patronos qui forum ipsius furtis exornaverant.

11. *Ullum tamen.* Alii malebant *omnino.* MSS omnes in *tamen* consentiunt, et sensus sic est interpretandus: Omnes quas commemoravi statuas abstulit Verres, et tamen nullum aliud reliquit prætor, etc. *Tamen* hic elegantiæ tantum causa positum videtur.

12. *Noluit.* Tamquam sui conscius non se bona, h. e. favente fortuna dignum judicasset. Jocus est de futuro Verris exitio.

IV. 1. Lacunam hic Ernest. videt. Schütz. addit *ista.* J. V. L.

tissimas domus istius una capiet? idcirco nemo superiorum attigit, ut iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, ut C. Verres posset auferre? At non requirebat ille Cupido lenonis domum, ac meretriciam disciplinam[2] : facile illo sacrario patrio continebatur : Heio se a majoribus relictum esse sciebat in hereditate sacrorum : non quærebat meretricis heredem.

Sed quid[3] ego tam vehementer invehor? Verbo jam uno repellar. Emi, inquit. O dii immortales! præclaram defensionem! mercatorem cum imperio ac securibus in provinciam misimus; qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret; nihil cuiquam relinqueret. Hæc enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur, emisse. Primum, si id, quod vis, tibi ego concedam, ut emeris, quoniam in toto hoc genere hac una defensione usurus es; quæro, cujusmodi tu judicia Romæ putaris esse, si tibi hoc quemquam[4] concessurum putasti, te in prætura atque imperio, tot res tam pretiosas, omnes denique res, quæ alicujus pretii fuerint, tota ex provincia coemisse?

V. Videte majorum diligentiam, qui nihildum

2. *Ac meretriciam disciplinam.* Exempla impudicitiæ qualia solebant ab impuris hominibus dari et scortis, quibus domus prætoris erat referta. —*Facile continebatur.* Libenter habitabat, contentus erat hoc sacro patrio, id est, in quo ab Heii majoribus ad Heium ipsum hereditate pervenerat. — *Sacrorum.* Romæ unaquæque familia, sua sacra gentis suæ propria habebat; quæ gentilia vocabantur et perpetua jubebantur esse lege XII Tab. Itaque honorum heredem sacrorum quoque esse oportebat. Fuit autem a Chelidone meretrice heres institutus Verres. Variant hic MSS. Vett. ed. Pall. *ad hereditatem;* Grut. *in hereditatem;* Ern. maluit *ad hereditatem.* Sch. nobiscum plerosque codd. sequutus est.

3. *Sed quid ego?* Occupat hic orator Verris defensionem quam triplici modo refellit.

4. *Si tibi hoc quemquam.* Sensus est : Si maxime tibi hoc largiar et concedam te emisse : tamen non usque eo judices nulla mente ac nullo judicio sunt, ut id confestim credant, tibique concedant.

etiam [1] istiusmodi suspicabantur; verumtamen ea, quæ parvis in rebus accidere poterant, providebant. Neminem, qui cum potestate, aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem [2] fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico [3] : ut vestem; præbebatur enim legibus : mancipium putaverunt [4]; quo et omnes utimur, et non præbetur a populo : sanxerunt, « Ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum ». Si qui [5] Romæ esset demortuus? imo, si quis ibidem : non enim te instruere domum tuam voluerunt in provincia, sed illum usum [6] provinciæ supplere. Quæ fuit causa, cur tam diligenter nos in provinciis ab emptionibus removerent? hæc, judices, quod putabant ereptionem esse, non emptionem, quum venditori suo arbitratu vendere non liceret : in provinciis intelligebant, si is, qui esset cum imperio ac potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idque ei liceret, fore uti, quod quisque vellet, sive esset venale, sive non esset, quanti vellet, aufer-

V. 1. *Qui nihildum etiam.* Temporibus nimirum quibus nondum corrupti mores, nec depravati.—*Istiusmodi.* H. e. de scelerum illorum infamia, quibus apud Siculos Verres innotuit. —*Parvis in rebus.* Mancipiis scilicet quæ tenuissimi res est momenti.

2. *Tam amentem.* Adeo cupiditate et avaritia insanientem, ut quum omnibus ad vitam necessariis publice sit instructus, alia etiam in provincia coemeret.

3. *De publico.* Vasarii nomine dicebant, quidquid magistratus in provinciam euntes, ex ærario obtinebant.

4. *Mancipium putaverunt.* Hoc est, arbitrati sunt, fore ut prætor servo opus haberet, et idcirco emeret.

5. *Si qui.* Non insolentior videri debet illa constructio; syllepsis est, quæ sæpius usurpatur. Etenim non ad *mancipium, qui* refertur, sed ad *servum* subauditum sane, et quem, quum scriberet, orator mente agitabat. Garatonius corruptam hic scripturam suspicatur, et in lege fuisse *servum*, non *mancipium* arguit. — *Imo si quis ibidem.* Hoc legis beneficio uti Scipio noluit. Qui, quum ad orbem terrarum pacandum proficisceretur, quinque tantum sibi servos desumpsit. Quorum quum unus esset in itinere demortuus, amicis Romæ scripsit, ut emptum alium sibi mitterent; adeo severioris erat summus vir disciplinæ.

6. *Sed illum usum.* H. e. ea sola, quibus prætor in provincia carere sine dedecore non potest.

ret. Dicit aliquis : Noli isto modo agere cum Verre; noli ejus facta ad antiquæ religionis [7] rationem exquirere; concede, ut impune emerit, modo ut bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab invito, nihil per injuriam. Sic agam : si quid venale habuit Heius, si id, quanti æstimabat, tanti vendidit, desino quærere, cur emeris [8].

VI. Quid igitur nobis faciendum est [1] ? num argumentis utendum in re ejusmodi? quærendum est, credo, Heius iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit; si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit [2], ut sacrarium suum spoliaret, ut deos patrios venderet. At hominem video auctionem fecisse nullam; vendidisse, præter fructus suos, nihil umquam; non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse; si hæc contra, ac dico, essent omnia, tamen illum hæc, quæ tot annos in familia sacrarioque majorum fuissent, venditurum non fuisse. Quid, si [3] magnitudine pecuniæ persuasum est ei? Verisimile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suæ monumentisque majorum pe-

7. *Antiquæ religionis.* Religio hic pro continentia ac temperantia adhibetur; deorum enim cultus, summique numinis contemplatio, animum ab omni vili cupiditate exsolvit.

8. *Cur emeris.* Hoc est, qua fronte, quum id tibi non liceret; quum omnibus tuis necessitatibus resp. providisset?

VI. 1. *Quid igitur n. faciendum est?* Adnotanda hic est quædam argumentandi ratio acutissima, qua sæpius usus est orator. Verrem enim demonstrat, neque jure, neque facto recte egisse. Si emit, contra legem egit, qua vetabatur aliquid prætoribus in provincia emere. Heii vero res florentes erant, nullum æs alienum, nulla fortunæ jactura. Non ergo tot egregia signa, deos patrios præsertim vendidit Heius. Ergo vis tantum et infami potestatis concessæ abusu illa erepta sunt. Hoc orator Verrem involvit argumento, et quocumque se vertat semper nefarius scelestusque apparet.

2. Melius quam *presserit*, quod habent quidam MSS et edd. J. V. L.

3. *Quid, si.* Duas hic adversariorum objectiones occupat ac delet omnino orator. — *Sunt ista.* Subaud. vera quæ dicis, o Tulli.

cuniam anteponeret. Sunt ista : verumtamen abducuntur homines nonnumquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniæ. Videamus, quanta ista pecunia fuerit, quæ potuerit Heium, hominem maxime locupletem, minime avarum, ab humanitate [4], a pietate, ab religione deducere. Ita jussisti, opinor, ipsum in tabulas referre : « Hæc omnia signa Praxitelis, Myro« nis, Polycleti, H-S VI mill. et D [5] Verri vendita sunt ». Recita [6] ex tabulis. TABULÆ HEII. Juvat me, hæc præclara nomina artificum, quæ isti [7] ad cælum ferunt, Verris æstimatione sic concidisse. Cupidinem Praxitelis H-S M DC! Profecto hinc natum est : « Malo emere [8], « quam rogare ».

VII. Dicet aliquis : Quid? tu ista permagno æstimas? Ego vero ad meam rationem usumque non æstimo : verumtamen à vobis ita arbitror spectari oportere, quanti hæc eorum judicio, qui studiosi sunt harum rerum, æstimentur; quanti venire soleant; quanti hæc ipsa, si palam libereque venirent, venire possent; denique ipse Verres quanti æstimet. Numquam enim, si denariis quadringentis [1] Cupidinem

4. *Humanitate.* Humanum enim est his signis delectari. — *Pietate.* Erga parentes, a quibus deos illos tamquam hereditatem acceperat. — *Religione.* In sacrarium illud, quod numquam deorum ejus imaginibus spoliandum curavisset.

5. *H-S VI mill. et D.* 1,332 f. 50 c.

6. *Recita.* Post hoc verbum, cod. reg. habet *sed retulit.*

7. *Quæ isti.* Ii scilicet qui harum rerum studio tenentur. Totus hic per ironiam locus agitur. Notum enim ex Plinio et aliis, quanti illa græcæ artis miracula æstimarentur. Venerem enim ejusdem Praxitelis rex Nicomedes a Cnidiis mercari voluerat, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens dissolvendo. — *H-S M DC.* 328 fr.

8. *Malo emere.* Nulla res, ait Seneca de Ben. I, carius constat, quam quæ precibus empta est. Inde natum illud proverbium, *malo emere*, ex iis qui gravate ferunt, aliquid rogando obtinere. Jucunde vero in Verrem detortum est, unde natum illud dicitur; ita enim vili pretio signa illa emit, ut nullus sit qui non malit ea sic emere quam a domino rogare.

VII. 1. *Denariis quadringentis.* Hæc pecuniæ summa eadem est ac superior, quæ in sestertiis redacta fuerat. — *Putasset.* Subaud. esse, non pluris valere.

illum putasset, commisisset, ut propter eum in sermonem hominum atque in tantam vituperationem veniret. Quis vestrum igitur nescit, quanti hæc æstimentur? In auctione signum æneum, non magnum, H-S cxx millibus[2] venire non vidimus? Quid, si velim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerint, nonne possum? etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis : difficile est enim finem facere pretio, nisi libidini feceris. Video igitur[3] Heium, neque voluntate, neque difficultate aliqua temporis, neque magnitudine pecuniæ adductum esse, ut hæc signa venderet; teque ista simulatione emptionis, vi, metu, imperio, fascibus, ab homine eo, quem una cum ceteris sociis non solum potestati tuæ, sed etiam fidei populus romanus commiserat, eripuisse atque abstulisse.

Quid mihi[4] tam optandum, judices, potest esse in hoc crimine, quam ut hæc eadem dicat ipse Heius? nihil profecto; sed ne difficilia optemus. Heius est Mamertinus; Mamertina civitas istum publice communi consilio sola laudat[5]: omnibus ipse ceteris Siculis odio est; ab his solis amatur. Ejus autem legationis, quæ

2. Codd. Lambini, xl *millibus*. J.V.L.

3. *Video igitur.* Totius argumenti, quod supra adnotavimus, conclusio. Hic recenset orator tria quæ hominem impellere possint, ut accepta a patribus pulcherrima deorum signa venalia poneret, et sic clara luce Verris infamiam collustrat.

4. *Quid mihi.* Hactenus argumentis rem cum Verre habuit orator, nunc, quasi rem ipsam clariorem efficere aggrederetur, Verrem per ipsum Heii testimonium impugnat; quod si contra prætorem dicatur, magni debet esse momenti. Etenim Mamertina civitas sola Verrem publice laudandum decrevit; atqui Heius est legationis hujus princeps, ergo non nisi gravissimis de causis testimonium in Verrem his de rebus potest dicere.

5. *Sola laudat.* Elate. Nam Syracusana quoque civitas Verrem laudavit, ut infra et in Cæcil. videre est. Sed hæc tantum decreta laudatio fuit, nec verbis absoluta; sola Mamertina civitas ad Romam decem legatos misit, qui præterea palam et publice laudarent. Itaque solam illam Verrem laudavisse dici potest.

ad istum laudandum missa est, princeps est Heius; etenim est primus civitatis: ne forte[6], dum publicis mandatis serviat, de privatis injuriis reticeat. Hæc quum scirem[7] et cogitarem, commisi tamen me, judices, Heio: produxi eum prima actione; neque id tamen ullo periculo feci. Quid enim poterat Heius respondere, si esset improbus, si sui dissimilis? Signa illa domi suæ esse, non apud Verrem? Qui poterat quidquam ejusmodi dicere? ut homo[8] turpissimus esset, impudentissimeque mentiretur, hoc diceret, illa se habuisse venalia, eaque sese, quanti voluerit, vendidisse. Homo domi suæ nobilissimus, qui vos de religione sua ac dignitate vere existimare maxime[9] vellet, primo dixit, se istum publice laudare, quod sibi ita mandatum esset: deinde neque se illa habuisse venalia; neque ulla conditione, si, utrum vellet, liceret, adduci umquam potuisse, ut venderet illa, quæ in sacrario fuissent a majoribus suis relicta et tradita.

VIII. Quid sedes, Verres? quid exspectas? quid te a Centuripina civitate, a Catinensi, ab Halesina, ab Tyndaritana, Ennensi, Agyrinensi, ceterisque Siciliæ civitatibus circumveniri atque opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumvenit: tua, inquam, Messana, tuorum adjutrix scelerum, libidinum testis, prædarum ac furtorum receptrix[1]. Adest enim vir amplissimus ejus civitatis,

6. Verba hæc, *ne forte*, Ernestio suspecta, optime interpretatur Wyttenbach. Biblioth. critic. I, 2, p. 14, per ellipsin græcam, μή ποτε. J.V. L.

7. *Hæc quum scirem*. Nempe Verrem ab unis Mamertinis collaudari, Heiumque ejus esse legationis principem.

8. *Ut homo turp.* Etiamsi impudentissimus esset et infamia pollutus.

9. *Maxime vellet*. Verum nempe confitendo, et Verris furta infamiamque detegendo.

VIII. 1. *Furtorum receptrix*. Hoc dicit propter Cybeam navem, quam Verri Mamertina civitas dono dederat, ut furta sua latrociniaque Romam reportaret.

legatus hujusce judicii causa domo missus, princeps laudationis tuæ; qui te publice laudat (ita enim mandatum, atque imperatum est : tametsi rogatus de Cybea[2], tenetis memoria, quid responderit : ædificatam publicis operis, publice coactis, eique ædificandæ publice Mamertinum senatorem præfuisse) : idem ad vos privatim, judices, confugit; utitur hac lege[3], qua judicium est communis et privatæ rei sociorum : tametsi lex est de pecuniis repetundis, ille se negat[4] pecuniam repetere, quam ereptam non tantopere desiderat; sacra se majorum suorum repetere abs te dicit; deos penates a te, et patrios[5] reposcit.

Ecqui pudor est? ecqua religio, Verres? ecqui metus? Habitasti apud Heium Messanæ : res illum divinas apud eos deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti. Non movetur pecunia; denique, quæ ornamenti causa fuerunt, non requirit; habe Canephoros; deorum simulacra restitue. Quæ quia dixit; quia, tempore dato[6], modeste apud vos socius amicusque populi romani questus est; quia religioni suæ non modo

2. *Rogatus de Cybea.* Interrogatus, respondit Cybeam Messanæ sumptu publico fuisse ædificatam. Cybæa, navis oneraria erat, quadratam habens figuram, ut contendunt, qui eam sic dictam a græco κύβος affirmant. Grævius *cymbia* Ciceronem scripsisse conjicit, a κύμβη; Turneb. autem et Salmasius putant *cypæa*, a κυπή.

3. *Utitur hac lege.* De repetundis scilicet, qua constitutum erat, ut non modo de pecuniis quæreretur civitati ereptis, sed de iis, quibus singuli quique fraudarentur. — *Judicium est communis.* Schütz. « qua judicium est, communi arce sociorum ». Regius : « qua judicium est communi arcæ sociorum». Lambin. autem recepit : « hac lege, tamquam communi arce sociorum ».

4. *Se negat pecuniam.* Hoc verbo Heius complectitur res omnes quas sibi Verres eripuit. Animadvertendum est hoc verbo pecuniæ, ea tantum significari, quæ ad hominem pertinent, et in communi sunt vitæ commercio. Inde fit ut repetundarum judicium, res sacras religiosasque non complectatur.

5. *Patrios.* Deest copula in MSS; Francii primus habet, *deos penates atque patrios.* J. V. L.

6. *Tempore dato.* Hoc est, nactus occasionem querendi.—*Proximus fuit religioni suæ.* Notanda locutio; significat enim quia a religione sua non

in diis patriis repetundis, sed etiam in ipso jurejurando ac testimonio, proximus fuit : hominem missum ab isto scitote esse Messanam de legatis[7] unum, illum ipsum, qui navi istius ædificandæ publice præfuit; qui a senatu peteret, ut Heius ignominia afficeretur.

IX. Homo amentissime, quid putasti? te impetraturum? Quanti is a civibus suis fieret, quanti auctoritas ejus haberetur, ignorabas? Verum fac te impetravisse; fac aliquid gravius in Heium statuisse Mamertinos : quantam putas[1] auctoritatem laudationis eorum futuram, si in eum, quem constet verum pro testimonio dixisse, pœnam constituerint? Tametsi quæ est ista laudatio, quum laudator interrogatus lædat necesse est? Quid? isti laudatores tui nonne testes mei sunt? Heius est laudator : læsit gravissime. Producam ceteros : reticebunt, quæ poterunt, libenter; dicent, quæ necesse erit, ingratis[2]. Negent isti onerariam navem maximam ædificatam esse Messanæ? negent, si possint. Negent ei navi faciendæ senatorem Mamertinum publice præfuisse? utinam negent! Sunt etiam cetera, quæ malo integra[3] reservare, ut quam minimum sit illis temporis ad meditandum confirmandumque perjurium.

Hæc tibi laudatio procedat in numerum[4] : hi te ho-

discessit. Tale quidem profert Phædrus exemplum, lib. I, 10 : «Negabat illa se esse culpæ proximam».

7. *De legatis*. Ex iis scilicet, qui Verrem collaudaturi venerant.—*Ignominia afficeretur*. Ne scilicet verbis ejus fides adhiberetur, quum infamem perditumque scirent.

IX. 1. *Quantam putas*. Regius habet, *quam*. Melius.

2. Multi codd. mendose, *gratis*. Lambinus, *ingratiis*. J. V. L.

3. *Quæ malo integra*. MS Lambin. et Veneta habent, «quæ modo integra reservare volui, ut quam minimum dem illis... » Sic quoque et prim. Franc. quod probat Gar.

4. *Procedat in numerum*. Non eumdem hic sensum commentatores deprehenderunt. Manutius metaphoram ab histrionibus sumptam suspicatur, numerum in motu servantibus. Hotom. contra sic intelligit : Laudatio illa tibi sit pro numero aliarum civitatum,

mines auctoritate sua sublevent; qui te neque debent adjuvare, si possint, neque possunt, si velint; quibus tu privatim injurias plurimas, contumeliasque imposuisti; quo in oppido multas familias in perpetuum infames tuis stupris flagitiisque fecisti. At publice commodasti[5]. Non sine magno quidem reipublicæ, provinciæque Siciliæ detrimento. Tritici modium LX millia empta populo romano[6] dare debebant, et solebant: abs te solo remissum est. Respublica detrimentum fecit, quod per te imperii jus[7] una in civitate imminutum est; Siculi, quod hoc non de summa[8] frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos, et Halesinos, immunes populos; et hoc plus impositum, quam ferre possent. Navem imperare[9] ex fœdere debuisti; remi-

quæ hunc tibi non concessere honorem. Certus autem, et quasi legitimus erat, decem civitatum numerus. Rectius hæc nobis sic interpretata videntur.

5. *At publice commodasti.* Occupat hic orator et antevertit Verris defensionem. Sin minus, inquies, non profui, attamen civitatem adjuvi. Quippe Mamertinis civibus annuum, quod populo debebant, vectigal remisi. Quod Cicero refellit, quia duplex inde ortum sit detrimentum, reipublicæ primum, et deinde Siciliæ.

6. *Empta populo romano.* Quid emptum sit frumentum, Cicero ipse explanavit, supra Act. II, lib. III, cap. 62. — *Debebant et solvebant.* An ex lege Terentia? at lata fuit Verre prætore Siciliæ, et triticum illud impositum jam ante fuisse indicat verbum *solebant*, quod sequitur. An in alteras decumas? sed incerta erat illa summa, quia pendebat ab anni ubertate. Hic autem certa summa constituitur. Sed quia nullum aliud erat genus empti frumenti, hic intelligendum est alteras decumas; et illa sexaginta millia quæ exigebantur, accipienda de annis, qui medii sunt inter ubertatem et sterilitatem.

7. *Imperii jus.* Illud scilicet quod armis sibi victor populus arrogavit. Decumas, legitimum vectigal pendebat lege Hieronica Sicilia. Sed empti frumenti genera illi pro imperio a Romanis fuere imposita.

8. *Hoc non de summa.* Probat hic orator maximo et reipublicæ et Siciliæ detrimento Verrem egisse; quippe qui romani imperii jus infregerit, et duas civitates Siculas ultra modum oppresserit. Lambin. post *hoc* edidit *ipsum*.

9. *Navem imperare.* Præter cetera quæ Romanis Sicilia pendere erat coacta, maritimæ civitates naves instruere debebant, reip. donandas; quibus præsidiaria, contra prædones, classis instrueretur. Quas ad vim tantum repellendam irrogatas, postea respublica in longinqua bella adhibuit.

sisti in triennium : militem nullum umquam poposcisti per tot annos. Fecisti item, uti prædones solent; qui quum communes hostes sint omnium, tamen aliquos sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam præda quos augeant, et eos maxime, qui habent oppidum opportuno loco, quo sæpe adeundum sit navibus, nonnumquam etiam necessario.

X. Phaselis illa[1], quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs ante Cilicum atque prædonum : Lycii illam, Græci homines, incolebant. Sed quod erat ejusmodi loco, atque ita projecta in altum, ut et exeuntes e Cilicia prædones sæpe ad eam necessario devenirent, et, quum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrentur, adsciverunt illud[2] sibi oppidum piratæ, primo commercio, deinde etiam societate. Mamertina civitas improba antea[3] non erat; etiam erat inimica improborum : quæ C. Catonis, illius, qui consul fuit, impedimenta retinuit : at cujus hominis? clarissimi, potentissimique; qui tamen quum consul fuisset, condemnatus est : ita C. Cato, duorum hominum clarissimorum nepos, L. Paulli, et M. Catonis, et P. Africani sororis filius : quo damnato, tum, quum[4] severa judicia fiebant, H-S XVIII millibus[5] lis æstimata est : huic Mamertini irati fuerunt[6]; qui majorem sumptum, quam quanti Catonis lis æstimata est, in Timarchi-

X. 1. *Phaselis illa.* Urbs illa Lyciæ ultima ad Pamphyliæ fines fuit piratarum receptrix. Cf. Liv. XXXVII, 23. — *P. Servilius.* Isauricus, de quo Act. III, 95. — *Cilicum.* H. e. piratarum; nam Cilicia commune erat prædonum receptaculum, unde *Cilicum* nomen sortiti sunt.

2. *Adsciverunt illud.* Primum hanc urbem elegerunt, qua merces latrociniis quæsitas venderent; deinde, hanc scelerum participem in societatem suam receperunt.

3. *Antea.* Nempe ante Verris adventum in Siciliam.

4. *Tum quum severa.* Quum judicabant equites. Tacite forsan hic senatorium ordinem, qui remissius judicabat, pungit et incitat.

5. *H-S* XVIII *millibus.* 3,690 fr.

6. Male Ernest. *non fuerunt*, quasi hæc ad Verrem referantur. J. V. L.

dis prandium sæpe fecerunt. Verum[7] hæc civitas isti prædoni ac piratæ Siciliensi Phaselis fuit : huc omnia undique deportabantur, apud istos relinquebantur; quod celari opus erat, habebant sepositum, ac reconditum; per istos, quæ volebat, in navem clam imponenda, occulte exportanda curabat; navem denique maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam ædificandamque curavit. Pro hisce rebus vacatio data est ab isto sumptus[8], laboris, militiæ, rerum denique omnium. Per triennium soli non modo in Sicilia, verum, ut opinio mea fert, his quidem temporibus, in omni orbe terrarum, vacui, expertes, soluti, ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. Hinc illa Verrea[9] nata sunt : hinc in convivium Sext. Cominium protrahi jussit, in quem scyphum de manu jacere conatus est; quem obtorta gula de convivio in vincula, atque in tenebras abripi jussit: hinc illa crux, in quam civem romanum iste, multis inspectantibus, sustulit; quam non ausus est usquam defigere, nisi apud eos, quibuscum omnia scelera sua, ac latrocinia communicasset[10].

XI. Laudatum etiam[1] vos quemquam venire audetis? qua auctoritate? utrum, quam apud senatorium

7. *Verum*. Sensus est : Nihil est quod tantam animorum miremur conversionem, si quidem Verri fuit altera Phaselis, Messana.

8. *Sumptus*. Tritici modium LX millia, intelligit. — *Laboris*. Earum scilicet rerum, quæ prætoris ex arbitrio pendent. Gall. *corvées*.

9. *Hinc illa Verrea*. Tanti beneficii gratia, diem festum in Verris honorem instituere Mamertini. Hinc ratus prætor quidquid vellet in urbe se patraturum libere, Cominium jussit protrahi in quem scyphum jacere, etc. Nota totius loci vehemens incrementum.

10. *Communicasset*. Legendum est tunc in principio, *ausus esset*; aut reponendum ex veteri, *communicavit*.

XI. 1. *Laudatum etiam*. Hic, ut sæpe alias, Verris laudatores impugnat orator, quos senatui populoque romano pariter insultasse demonstrat. Ostendit enim judicibus, qui senatorii erant ordinis, neglectum senatorem; et populum acerbe in eos commovet, quod ad supplicium P. Gavium, civem romanum, et hoc ipso pœna ea immunem, egerint.

ordinem, an, quam apud populum romanum habere debetis? Ecquæ[2] civitas est, non modo[3] in provinciis nostris, verum etiam in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera[4], aut etiam tam immanis, ac barbara; rex denique ecquis est, qui senatorem populi romani tecto ac domo non invitet[5]? qui honos non homini solum habetur, sed primum populo romano, cujus beneficio[6] nos in hunc ordinem venimus; deinde ordinis auctoritati, quæ nisi gravis erit apud socios, atque[7] exteras nationes, ubi erit imperii nomen et dignitas? Mamertini me publice non invitarunt: me quum dico, leve est. Senatorem populi romani si non invitaverunt, honorem debitum detraxerunt, non homini, sed ordini. Nam ipsi Tullio[8] patebat domus locupletissima et amplissima Cn. Pompeii Basilisci; quo, etiam si esset invitatus a vobis, tamen devertisset. Erat etiam Parcenniorum, qui nunc item Pompeii[9] sunt, domus honestissima; quo L. frater meus summa illorum voluntate devertit. Senator populi romani, quod in vobis fuit, in vestro oppido jacuit[10], et pernoctavit in publico: nulla hoc civitas umquam alia commisit.

2. *Ecquæ*. Beck. e MSS et edd. nonnullis, *Ecqua*. J. V. L.

3. Alii omittunt *modo*. J. V. L.

4. *Libera*. Armis nostris adeo impervia et inaccessa.

5. *Invitare domo*. Est comiter et benigne aliquem excipere. Inde pessime Lambinus sic reponendum volebat, *in tectum ac domum*.

6. *Cujus beneficio*. Non populus senatores revera conscribebat; sed eos magistratus dabat, quos, qui gesserant, in senatum necessario admitti debebant. Ita quodammodo, populi beneficio, senatores creabantur, et qui populo grati erant, brevi via illa in senatorium ordinem eligebantur.

7. Grut. et Ern. *in exteras*.

8. *Ipsi Tullio*. Mihi ipsi Ciceroni.

9. *Item Pompeii*. Hoc est, Pompeii vocantur: quia beneficio Pompeii, in civitatem romanam adsciti, de more nomen patroni sumpserant. — *Lucius frater*. Is est L. Tullius, frater patruelis. Is cum Cicerone in Siciliam profectus erat, ut eum inquisitione sua contra Verrem adjuvaret. Apud veteres, nomen fratris sororisque ambiguum erat; et sæpe germanos, modo patrueles designabat.

10. *Jacuit*. H. e. neglectus et contemptus est, ab omnibusque desertus.

Amicum enim [11] nostrum in judicium vocabas. Tu, quid ego privatim negotii geram, interpretabere imminuendo [12] honore senatorio? Verum hæc tum queremur, si quid de vobis per eum ordinem agetur [13], qui ordo a vobis adhuc solis contemptus est. In populi romani quidem conspectum quo ore vos commisistis? nec prius illam crucem, quæ etiam nunc civis romani sanguine redundat, quæ fixa est ad portum, urbemque vestram, revellistis, neque in profundum abjecistis, locumque illum omnem expiastis [14], quam Romam, atque in horum conventum adiretis? In Mamertinorum solo fœderato atque pacato, monumentum istius crudelitatis constitutum est. Vestrane urbs electa est, ad quam qui [15] adirent ex Italia, crucem civis romani prius, quam quemquam amicum populi romani viderent? quam vos Rheginis, quorum civitati invidetis [16], item incolis vestris, civibus romanis, ostendere soletis: quo minus sibi arrogent, minusque vos despiciant, quum videant jus civitatis illo supplicio esse mactatum [17].

11. *Amicum enim.* Affingitur hic gravis rursus in Mamertinos accusatio. Ideo, enim inquiunt, te neglesimus, quia amicum nostrum impugnabas. Quam excusationem vehementer refellit orator. Tu enim, exclamat, quid privatus agam interpretabere, ut totius senatorii ordinis dignitatem ex animi tui libidine impugnes! Cicero, cum literis a Glabrione prætore datis, in Siciliam profectus est, publica auctoritate instructus. Quum igitur se privatum dicit, vult significare se, etiamsi privatus sui negotii causa venisset, non debuisse tamen a Mamertinis, quum senator sit, negligi.

12. *Imminuendo.* Multi, *in minuendo*, vocum similitudine ducti.

13. *Agetur.* Si umquam senatus acceptam illam a vobis injuriam ulciscatur.

14. *Expiastis.* Verbum religiosum. Piaculum enim est, quidquid ad deos placandos agitur. Locum ergo illum, Gavii supplicio consceleratum expiare, ait orator, et iratos deos placare vos decebat, ne saltem senatui populoque romano Romam, et iis ipsis, quorum religionem neglexistis, infesti invisique veniretis.

15. Sic Lamb. Vulg. *quum*. J. V. L.

16. *Civitati invidetis.* Quia scilicet cives sunt romani.

17. *Supplicio esse mactatum.* Maxime invidiosus est in Mamertinos locus ille. Ostendit enim orator, cum Gavio

XII. Verum hæc emisse[1] te dicis. Quid? illa Attalica[2], tota Sicilia nominata, ab eodem Heio peripetasmata emere oblitus es? Licuit eodem modo, ut signa. Quid enim actum est[3]? an literis pepercisti? Verum[4] hominem amentem hoc fugit: minus clarum putavit fore, quod de armario, quam quod de sacrario esset ablatum. At quomodo abstulit? Non possum dicere planius, quam ipse apud vos dixit Heius. Quum quæsissem, numquid aliud de bonis ejus pervenisset ad Verrem, respondit istum ad se misisse, ut sibi mitteret Agrigentum peripetasmata. Quæsivi, an misisset. Respondit id, quod necesse erat, se dicto[5] audientem fuisse prætori: misisse. Rogavi, pervenissentne Agrigentum. Dixit pervenisse. Quæsivi, an domum revertissent[6]. Negavit adhuc revertisse. Risus populi, atque admurmuratio omnium vestrum facta est.

Hic tibi in mentem non venit jubere, ut hæc quo-

jus romanum cruci affixum et prorsus enecatum fuisse. *Mactare* verbum est a religione desumptum, tamquam quis diceret magis auctare vel augere. Hinc apud Nonium, Cicero ait honoribus mactare. Brevi ad ipsam hostiam quæ cædebatur, defluxit, et pro immolare est desumptum, ut apud Plautum: « mactare malo », pro maximo afficere infortunio.

XII. 1. *Verum hæc emisse.* Abrupte redit ad Verris excusationem orator, et qui hic aliquid desiderari putant, profecto falluntur.

2. *Illa Attalica.* Ordo est: oblitus es quoque ab eodem Heio emere, hoc est, in tabulas tamquam empta referre, illa peripetasmata: *Attalica*, hoc est, auro intertexta, qualia rex Asiæ Attalus possidebat. Facetissime hoc in Verrem. Licuit enim emere *eodem modo*, quo emerat signa Herculis et Cupidinis, quæ sublata, in tabulas Heium jussisti tamquam vendita referre.

3. *Quid enim actum est?* Quidnam impedimento fuit, cur non ita quoque ageres? — *An literis pepercisti?* Non illum in tabulas referri jussisti, item ut de signis sacrarii?

4. *Verum.* Hæc causa est cur non sic ut antea Verres egerit, quod furtum illud, multo minus notum ac signorum fore, est arbitratus.

5. *Se dicto.* Multi *scilicet dicto* exhibent.

6. *An domum revertissent.* Lambin. Græv. et Lallem. ex Vict. receperunt « quemadmodum revertissent ». Alia vero lectio potior nobis est visa.

que referret, H-S VI millibus IↃ[7] se tibi vendidisse? Metuisti, ne æs alienum tibi cresceret, si H-S VI millibus IↃ se tibi constarent ea, quæ tu facile posses vendere H-S CC millibus? Fuit tanti[8], mihi crede: haberes, quod defenderes : nemo quæreret, quanti illa res esset; si modo te posses docere emisse, facile, cui velles, tuam causam et factum probares: nunc de peripetasmatis quemadmodum te expedias, non habes.

Quid[9]? a Philarcho Centuripino, homine locuplete ac nobili, phaleras[10] pulcherrime factas, quæ regis Hieronis fuisse dicuntur, utrum tandem abstulisti, an emisti? In Sicilia quidem[11] quum essem, sic a Centuripinis, sic a ceteris audiebam; non enim parum res erat clara : tam te has phaleras a Philarcho Centuripino abstulisse dicebant, quam alias ite[illegible]iles[12] ab Aristo Panormitano; quam t[illegible]as a Cratippo Tyndaritano. Etenim si [illegible]ilarchus vendidisset, non ei, posteaquam r[illegible]us factus es, redditurum te promisisses.

7. *H-S* VI *millibus* IↃ. Gall. 1,332 fr. 50 cent. Facete alludit ad pretium, quod tamquam de signis acceptum in tabulas referre Heius fuerat coactus. — *H-S* CC *millibus*. Gall. 41,000 fr.

8. *Fuit tanti*. Id referri scilicet. Quod enim si fecisses, haberes nunc unde te defenderes. Elliptica locutio est.

9. *Quid*. Aggreditur hic orator secundam narrationis partem, qua Verris furta leviora in lucem profert.

10. *Phaleras*. Non omnino liquet quid Romani, phalerarum nomine dicerent, et in hoc multi dissentiunt. Hoc verbo significantur ornamenta equorum, equitumque etiam, sed quænam sint ornamenta, non apud omnes constat. Alii enim phaleras, frontibus equorum, alii maxillis decus additum affirmant; alii etiam pectori, unde a Virgilio monilia dicuntur. Equitum etiam insigne quoddam phaleras demonstrat Liv. IX, 46 : « Tantum Flavii comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium annulos aureos, et phaleras deponerent ». Illas ab hominibus in pectore geri, ex hoc Sil. Ital. conjicere licet, XV, 255 : « phaleris hic pectora fulget ». Ex illis ornamentis, res inanes phaleræ dictæ sunt; hinc vox illa Persii, III, 30 : *Ad populum phaleras*. Hoc est ad populum qui tantum inani specie ducitur, te jactes.

11. *In Sicilia quidem*. Veneti et alii multi, *Siciliæ quidem*.

12. *Nobiles*. Insigni arte confectas, et ideo apud plerosque celebratas, quod furtum grave magis efficit.

Quod quia vidisti plures scire, cogitasti, si ei reddidisses, te minus habiturum[13], rem nihilominus testatam futuram; non reddidisti. Dixit Philarchus pro testimonio, se, quod nosset tuum istum morbum, ut amici tui appellant[14], cupisse te celare de phaleris; quum abs te appellatus esset, negasse habere sese; apud alium quoque eas habuisse depositas, ne qua invenirentur; tuam tantam fuisse sagacitatem[15], ut eas per illum ipsum inspiceres, ubi erant depositæ; tum se deprehensum negare non potuisse: ità ab se invito ablatas phaleras gratis.

XIII. Jam, ut hæc omnia reperire, ac perscrutari solitus sit, judices, est operæ pretium cognoscere. Cibyratæ sunt fratres quidam, Tlepolemus et Hiero: quorum alterum fingere opinor[1] e cera solitum esse, alterum esse pictorem. Hosce opinor Cibyræ[2], quum in suspicionem venissent suis civibus, fanum expilasse Apollinis, veritos pœnam judicii ac legis, domo profugisse. Quod Verrem artificii sui cupidum cognoverant tum, quum iste, id quod ex testibus didicistis, Cibyram cum inanibus syngraphis[3] venerat, domo

13. *Te minus habiturum.* Liber Francii et alii satis multi: *te minus invidiæ habiturum.* Male.

14. *Ut amici appellant.* Francii MS et regius, et editi plures post *appellant, studium* habent; nonnulli etiam, *studiose.*

15. *Sagacitas.* Proprie de venaticis canibus sumitur, et optima hic ad Verrem translatione defluxit.

XIII. 1. *Fingere opinor.* Horum virorum orator probe vitæ conditionem cognoverat, sed nihil affirmat, ne infimos viros insequendo, eorum ducem Verrem silentio prætermittere videatur. Contra enititur, ut semper de prætore tantum agatur, et quo gravior in eum omnium indignatio exardeat, ubique furtorum aut artificem, aut ducem, aut suasorem ostendit, et, neglectis scelerum consciis, hunc unum perditis viris debita infamia obruere aggreditur.

2. *Cibyræ.* Cibyra, Ciliciæ urbs, in qua Verres Dolabellæ fuerat legatus.

3. *Inanibus syngraphis.* Sæpissime qui res in provincia habebant disceptandas, a senatu impetrabant, ut cum prætore legatorum nomine proficiscerentur. Hac de causa legationes, quæ liberæ dicebantur, institutæ sunt. Sic Verres fuerat Dolabellæ in Cilicia

profugientes ad eum se exsules, quum iste esset in Asia, contulerunt. Habuit secum eos ab illo tempore; et in legationis prædis[4] atque furtis, multum illorum opera, consilioque usus est.

Hi sunt illi, quibus in tabulis retulit sese Q. Tadius dedisse jussu istius, Græcis pictoribus. Eos jam bene cognitos, et re probatos secum in Siciliam duxit. Quo posteaquam venerunt, mirandum in modum (canes venaticos[5] diceres) ita odorabantur omnia, et pervestigabant, ut, ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent. Aliud minitando, aliud pollicendo, aliud per servos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum inveniebant. Quidquid[6] illis placuerat, perdendum erat: nihil aliud optabant, quorum po-scebatur argentum, nisi ut Hieroni et Tlepolemo displiceret.

XIV. Vere mehercules hoc, judices, dicam: memini Pamphilum Lilybætanum, hospitem meum, et amicum, nobilem hominem, mihi narrare: quum iste ab sese hydriam[1] Boethi manu factam, præclaro opere,

legatus. Inanes autem syngraphæ illæ sunt, quarum nullus usus esse potest, quia solutione liberatæ sint; ut ait Ulpian. Digest. X, 4, 18: « Ubi solutione chirographo inani facto ». Ergo hic veterem illam Verris fraudem obiter orator illi objicit, qua syngraphas inanes, tamquam alicujus pretii exhibuit, et ter quaterve, pecuniæ redditæ solutionem exegit.

4. *In legationis furtis.* In prædis quas sibi quum legatus esset quæsivit. — *Quibus in tabulis.* Manut. et Lamb. *quibus in tabulas*, sed MSS omnes *tabulis*. Sensus est, quibus Q. Tadius, Verris quæstor, dedisse sese, Verris jussu, pecuniam in suas tabulas retulit.

5. *Canes venaticos.* Alludit ad Cibyratarum mores, qui omnes venationi dediti erant; asperam enim montibus regionem incolebant.

6. *Quidquid.* Edd. pl. *quidque*, quod Lambin. et Hotom. potius habent.

XIV. 1. *Hydriam.* Magnum erat vas aquarium, vino servando etiam idoneum, plerumque lapide confectum. Hanc et argenteam et cælatam fuisse Ciceronis verba arguunt, quippe cujus pondus et ornamenta commemoret. Boethus Carthaginiensis fuit sculptor nobilis, de quo Plinius XXXIII, 12; XXXIV, 8, et Pausanias, V, 17, multa disseruere.

et grandi pondere, per potestatem[2] abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertisse, quod vas ejusmodi, quod sibi a patre et a majoribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitum adventum, a se esset ablatum. Quum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius: jubet me scyphos sigillatos[3] ad prætorem statim afferre. Permotus sum, inquit: binos habebam: jubeo promi utrosque, ne quid plus mali nasceretur, et mecum ad prætoris domum ferri. Eo quum venio, prætor quiescebat: fratres illi Cibyratæ inambulabant. Qui me ubi viderunt, Ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi? Ostendo tristis: laudant. Incipio queri, me nihil habiturum, quod alicujus esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum mihi, ubi me conturbatum vident: Quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur? Ne multa, sestertios cc[4] me, inquit, poposcerunt: dixi me daturum c. Vocat interea prætor: scyphos poscit. Tum illos cœpisse prætori dicere, putasse se id, quod audissent, alicujus pretii scyphos esse Pamphili: luteum negotium esse, non dignum, quod in suo argento Verres haberet. Ait ille idem sibi videri: ita Pamphilus scyphos optimos aufert. Et mehercules ego

2. *Per potestatem.* Non pretio aut precibus, sed prætoria auctoritate, quod infame magis et puniendum erat.

3. *Sigillatos.* Sigillis, id est, signis parvis, seu statuis deorum aut animalium, ex auro vel argento factis, ornatos. Imagunculæ istæ non erant insculptæ, sed adjectæ, atque amoveri poterant; quod ex infra scriptis patebit. Porro scyphos immani sæpius pecunia æstimatos auctor est Plinius, qui L. Crassum oratorem refert duos scyphos, Mentoris artificis manu cælatos, sestertium centum millibus (20,500 fr.) emptos habuisse.

4. *Sestertios* cc. Subolet hic mendum, sive enim cum Hotom. intelligas ducentos sestertios (41 fr.), sive H-S ducenta millia (41,000 fr.), utrobique est error; illic nimis exigua, hic æquo major pecunia, quantivis pretii scyphi illi fuerint, poscitur. Porro nodum, expunctis aliquot verbis, secat Beck. qui ex codd. Pall. et Gruter. item edd. vett. dedit «ne multa, sestertios cIɔ dixi me daturum».

antea, tametsi hoc nescio quid nugatorium[5] sciebam esse, ista[6] intelligere, tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere, quem scirem nulla in re quidquam simile hominis habere.

XV. Tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres Cibyratas fuisse, ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur. At ita[1] studiosus est hujus præclaræ existimationis, ut putetur in hisce rebus intelligens esse, ut nuper (videte hominis amentiam), posteaquam est comperendinatus[2], quum jam pro damnato mortuoque[3] esset, ludis Circensibus[4], mane apud L. Sisennam[5], virum primarium, quum essent triclinia strata, argentumque expositum in ædibus, quum pro dignitate L. Sisennæ domus esset plena hominum honestissimorum, accesserit ad argentum; contemplari unumquodque otiose, et considerare cœperit. Mirari stultitiam alii, quod in ipso judicio, ejus ipsius cupiditatis, cujus insimularetur, suspicionem

5. *Nugatorium.* Non semel se ex veterum Romanorum ingenio excusat Cicero, quod de iis rebus loquatur quæ exterarum gentium levitati ac studio forsan placeant, verum romana gravitate ac virtute omnino indignæ videantur. Conf. II, 35, etc.

6. *Ista.* Græv. malit e cod. Franc. «ita» ut scilicet narravi de scyphis ablatis. Probat Harles. Male.

XV. 1. *At ita.* Hic ad recreandos judices, et interrumpendum, quod ex eodem furtorum genere oriretur tædium, subtexitur narratiuncula de impotenti Verris cupiditate, qui vel imminente judicio non sibi temperare potuerit.

2. *Comperendinatus.* Dilatus in perendinum diem, seu ad secundam Actionem. De his plura vide ad calc. primi volum. in excursu de judic. public. § de repetundarum perpetua quæstione.

3. *Mortuoque.* Quum jam in eo esset, ut damnatus capite deminueretur, quæ erat *mors civilis*.

4. *Circensibus.* Dabantur die 23 septembris in circo maximo, per dies quinque continuos.

5. *L. Sisennam.* Is erat unus e Verris patronis, vir primarius et dives. Orator fuit et historicus, sed tenuis, teste Cicerone in Brut. 74, de Leg. I, 2. Dubitat Ernesti an fuerit tum ædilis et editor ludorum, ut eo die domus ejus ita celebraretur, et convivium ipse sic appararet.—*Accesserit.* Regius et Francii primus: «accessit ad argentum»: et mox: «considerare cœpit unumquicque».

augeret; alii amentiam, cui comperendinato[6], quum tam multi testes dixissent, quidquam illorum veniret in mentem. Pueri autem Sisennæ, credo, qui audivissent quæ in istum testimonia essent dicta, oculos de isto nusquam dejicere, neque ab argento digitum[7] discedere.

Est boni judicis, parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujusque et cupiditatis et incontinentiæ. Qui reus lege, et reus comperendinatus, re et opinione hominum pæne damnatus, temperare[8] non potuerit maximo conventu, quin L. Sisennæ argentum tractaret et consideraret; hunc in provincia prætorem quisquam putabit[9] a Siculorum argento cupiditatem, aut manus abstinere potuisse?

XVI. Verum uti Lilybæum, unde degressa est, oratio revertatur; Diocles est, Pamphili gener, illius, a quo hydria ablata est, Popillius[1] cognomine. Ab hoc abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. Dicat se emisse: etenim hic propter magnitudinem furti, sunt, ut opinor, literæ factæ[2]. Jussit Timarchidem æstimare argentum. Quo modo[3]? quo qui um-

6. *Comperendinato.* Qui, quum esset judicii proximi, et eorum criminum pondere oppressus quæ multa testes in eum dixissent, ejusmodi res, propter quas in periculo versabatur, et quas cogitatione procul habere debuisset, contemplari palam et otiose sustineret.

7. *Digitum.* Ne latum quidem digitum. Quæ proverbii in morem cessit locutio.

8. Lambinus edidit, *sibi temperare n.p.* J. V. L.

9. Harles. *putavit* ex edd. vett. habet.

XVI. 1. *Popillius.* Fuit sc. civis rom. factus per Popillium quemdam; cujus nomen sibi de more adscripserat.

2. *Literæ factæ.* Res in tabulas pro emptione est relata.

3. *Quo modo?* Quo pretio? quanti? Eo pretio, quo nemo umquam egit, qui vel tenuissime donandam histrionum operam æstimavit. Porro histrionibus, quando placerent, præter mercedem qua conducti fuerant, corollæ olim dabantur. Ejusmodi præmiorum antiquitatem testatur fragmentum legis XII Tabb. apud Plinium, XXI, 5. Labente rep. ex auro et argento coronæ histrionibus datæ sunt, auctore ejus moris Crasso divite. Mox sua-

quam tenuissime in donatione histrionum æstimavit. Tametsi jamdudum erro, qui tam multa de istius emptionibus verba faciam, et quæram, utrum emeris, necne[4], et quomodo, et quanti emeris: quod verbo transigere possum. Ede mihi scriptum, quid argenti in provincia Sicilia pararis, unde quidque, aut quanti emeris. Quid fit[5]? quamquam non debebam ego abs te has literas poscere: me enim tabulas tuas habere, et proferre oportebat[6]. Verum negas te horum annorum aliquot confecisse. Compone[7] hoc, quod postulo, de argento: de reliquo videro. — Nec scriptum habeo, nec possum edere. — Quid futurum igitur est? quid existimas hosce judices facere posse? Domus plena signorum pulcherrimorum, jam etiam ante præturam[8]; multa ad villas tuas posita, apud amicos multa deposita, multa aliis data atque donata: tabulæ nul-

dente luxu, pecunia pro coronis dari cœpta: quas largitiones, quia infinitæ erant, sobrii principes legibus temperarunt, ita ut quinque aureos non liceret amplius dare. Schol. ad Juven. VII, 243. Porro quia sæpius accidebat ut ludorum editor, aut nullius judicii, aut avarus histrionum operam tenuiter æstimaret ac remuneraret, huic alludit Cicero, et ait Dioclis argentum, a Timarchide eodem modo æstimatum, quo qui umquam vilissime histrionicam operam habuit. Sic Desjardins. Verum quæ ibi locum habeat *æstimatio*, non facile dixeris. Suspicatur Schütz. ejusmodi corollas sæpe ab histrionibus venditas fuisse, et ab emptoribus, qui inde lucrum facere vellent, minimi æstimatas. Verum quis umquam latine loquens hanc sententiam iis verbis protulerit, quibus Cicero? Nescio an Manutio et gallico interpreti felicius successerit, qui sic explicant, quasi qui donaret, referre soleret in tabulas, non quanti valeret argentum, sed multo minoris, ne quando sibi probro dari posset, quod in histriones pecuniam nimiam erogasset.

4. Olim omissum *necne*. Addidit Græv. e MSS reg. Ernest. exterminavit, quasi a glossatore seu correctore profectum, membrorum turbet æqualitatem. J. V. L.

5. *Quid fit?* Cur non edis quod postulo?

6. *Oportebat*. Ex lege Glabrionis prætoris, qui potestatem mihi fecit omnia, quæ ad accusationem pertinerent, conquirendi, tabulas etiam tuas habere deberem, quas tamen non habeo, quia nullæ sunt.

7. *Compone*. Explica mihi quod postulo. — *De reliquo*. De reliquis tuis furtis.

8. *Ante præturam*. Quæ signa Verres, quum tantummodo esset Dolabellæ legatus, abstulerat.

lum indicant emptum. Omne argentum ablatum ex Sicilia est; nihil cuiquam, quod suum dici vellet, relictum : fingitur improba[9] defensio, prætorem omne id argentum coemisse; tamen id ipsum tabulis demonstrari non potest. Si quas tabulas profers, in his, quid habeas, quomodo habeas, scriptum non est. Horum autem temporum, quum te plurimas res emisse dicas, tabulas omnino nullas proferas; nonne te et prolatis, et non prolatis tabulis, condemnari necesse est?

XVII. Tu a M. Cœlio, equite romano, lectissimo adolescente, quæ voluisti, vasa argentea Lilybæi abstulisti : tu C. Cacurii, promptissimi[1] hominis, et experientis, et in primis gratiosi, supellectilem omnem auferre non dubitasti : tu maximam et pulcherrimam mensam citream[2] a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla civis romanus factus est, omnibus scientibus, Lilybæi abstulisti. Non tibi objicio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium, Niconis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optime facto spoliasti ac depeculatus es; taceo: non enim putat ille sibi injuriam factam; propterea quod homini jam perdito, et collum in laqueum inserenti[3] subvenisti, quum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cum illo par-

9. *Improba.* Quid enim improbius quam prætorem in provincia sua mercatorem cum imperio et fascibus fuisse.

XVII. 1. *Promptissimi.* In agendis rebus strenui, et in rerum usu versati.

2. *Mensam citream.* Ejusmodi mensæ, ex ligno citri, seu cupressus, Africanæ factæ, quod præcipue in mensas expetebatur, maximo erant in pretio. Memoratur illa quam Cicero emerat H-S decies (205,000 fr.). Plura vide apud Plin. qui disserit de mensarum illarum insania, XIII, 15, et XIV, 43.

3. *In laqueum inserenti.* In desperatione ob furta punienda, seu æs alienum exigendum, abductum hominem ad spem ac vitam revocasti, quum bona, quæ ille pupillis eripuerat, cum illo es partitus. Sicque duplicem injuriam, duplexque scelus commisisti.

titus es. Gaudeo etiam, si quid ab illo abstulisti; et abs te nihil rectius factum esse dico. A Lysone vero Lilybætano, primo homine, apud quem deversatus es, Apollinis signum ablatum certe esse[4] non oportuit. At dices te emisse: scio; H-S M. Ita opinor: scio, inquam. Proferam literas: et tamen id factum non oportuit. A pupillo Heio, cui Marcellus tutor est, a quo pecuniam grandem eripueras, scaphia[5] cum emblematis Lilybæi utrum empta esse dicis, an confiteris erepta?

Sed quid ego istius in ejusmodi rebus mediocres injurias colligo, quæ tantummodo in furtis istius, et damnis eorum, a quibus auferebat, versatæ esse videantur? Accipite, si vultis, judices, rem ejusmodi, ut amentiam singularem, ut furorem jam, non cupiditatem ejus perspicere possitis.

XVIII. Melitensis Diodorus est, qui apud vos antea testimonium dixit: is Lilybæi multos jam annos habitat, homo et domi nobilis, et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus. De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata[1]; in his pocula duo quædam, quæ Thericlea[2] nomi-

4. *Esse* delevit Græv. auctoritate codd. regg. sequentibus Ernest. ac Beck.

5. *Scaphia*. Vasa sunt potoria, scapharum ad formam et imaginem expressa. — *Emblematis*. Ea sunt signa, quæ vasis illigari et ab iis revelli poterant. Vid. infr. cap. 20.

XVIII. 1. *Toreumata*. Sculpta e ligno, auro, ebore, etc. vasa quæ figuras exstantes ostendebant, et extra corpus materiei eminentes. Confer Salmas. ad Solin. pag. 733 sqq. qui ea non torno, ut multi credunt, sed cælo fieri plurimis disputat. Sed tamen Cicero Verr. I, 52, diserte *toreumata* et *opera cælata* distinguit. Cf. etiam Bentlei. ad Horat. Art. Poet. 441, et in primis Cl. Heyne de toreutica commentarios; Winkelmann, *Histoire de l'Art*, t. III.

2. *Thericlea*. Dicta ab eorum artifice Thericle, qui figulus Corinthius, circa annum 430 ante Christum, e nigra terra egregii nitoris, seu ex variis lignis, ut Plinio placet, pocula elaboravit admodum celebrata: atque ab eo pocula, quæ postea ad fictilium illorum imitationem facta sunt, sive ex terebintho, aliove ligno, sive ex ar-

nantur, Mentoris manu, summo artificio, facta. Quod iste ubi audivit, sic cupiditate inflammatus est non solum inspiciendi, verum etiam auferendi, ut Diodorum ad se vocaret, ac posceret. Ille, qui illa [3] non invitus haberet, respondet se Lilybæi non habere; Melitæ apud quemdam propinquum suum reliquisse. Tum iste continuo mittit homines certos Melitam; scribit ad quosdam Melitenses, ut ea vasa perquirant; rogat Diodorum, ut ad illum suum propinquum det literas: nihil ei longius videbatur, quam dum illud videret argentum. Diodorus, homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet, propinquo suo scribit, ut iis, qui a Verre venissent, responderet, illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybæum. Ipse interea recedit: abesse ab domo paullisper maluit, quam præsens illud optime factum argentum amittere. Quod ubi audivit iste, usque eo est commotus, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus, ac furere videretur. Quia non potuerat argentum eripere, ipse a Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat; minitari absenti Diodoro; vociferari palam; lacrymas interdum vix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, quum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, pulchritudine ejus incensa, salutem viri proderet [4]. Similis istius cupiditas; hoc etiam

gento vitrove essent, *Thericlea* sunt nominata. Cf. Plin. XIV, 40, et Casaub. ad Athen. XI, 470. Olim legebatur *Heraclea*, quod defendit Turnebus; nempe ab Hercule, cujus in usum fuerint ejusmodi vasa magna, quæ tanti herois sitim restinguere possent. Sed ea, ut recte monuit Ernest. dicuntur a magnitudine; hic autem agitur de poculis ad modum illorum factis, quæ Thericles fabricaverat. — Mentor celeberrimus exstitit in vasis cælandis artifex. Cf. Plin. XXXIII, 35.

3. *Illa*. Ernest deleri volebat, quod male sonat *ille qui illa*. Schütz. rescripsit *ea*.

4. *Salutem viri proderet*. Amphiarai vatis, quem latentem, ne ad bellum Thebanum iret, in quo sibi pereundum esse ex auguriis noverat, aureo monili corrupta uxor Polynici prodidit. Cf. Servius ad Æneid. VI, 445.

acrior atque insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat; hujus libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur.

XIX. Conquiri Diodorum tota provincia jubet. Ille ex Sicilia jam castra moverat[1], et vasa collegerat. Homo, ut aliquo modo illum in provinciam revocaret, hanc excogitavit rationem, si hæc ratio potius, quam amentia nominanda est: apponit de suis canibus quemdam, qui dicat, se Diodorum Melitensem rei capitalis reum velle facere. Primo mirum omnibus videri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modo facinoris[2], verum etiam minimi errati suspicione remotissimum; deinde esse perspicuum, fieri omnia illa propter argentum. Iste non dubitat jubere nomen deferri: et tum primum[3] opinor istum absentis nomen recepisse. Res clara Sicilia tota, propter cælati argenti cupiditatem reos fieri rerum capitalium; neque solum præsentes reos fieri, sed etiam absentes. Diodorus Romæ sordidatus circum patronos atque hospites cursare: rem omnibus narrare. Literæ mittuntur isti a patre vehementes; ab amicis item: videret, quid ageret; de Diodoro quo progrederetur: rem claram esse, et invidiosam[4]; insanire[5] hominem; periturum hoc uno crimine, nisi cavisset. Iste etiam tum patrem, si non in parentis, at in hominum nu-

XIX. 1. *Castra moverat.* Discesserat. Ea ideo voce utitur orator, ut jocum ex ambiguo qui sequitur, aptius præparet. Nempe *vasa colligere* de milite etiam dicitur, qui, castra moturus, vasa omnia seu impedimenta conquirit ac colligit.

2. *Facinoris.* Olim, *facinore.* J. V. L.

3. *Tum primum.* Nam istud Diodoro negotium facessitum est primo anno præturæ; sed postea Sthenii Thermitani nomen Verres eodem modo recepit, Verr. II, 34 sqq. Paullo infra « præsentes » unius codicis fide nixus ejecit Gruter. Græv. autem audacior « præsentes reos fieri » expungit. Mallet abesse « reos fieri » Ernest.

4. *Invidiosam.* Quæ ei odium conciliet.

5. *Insanire hominem.* Diodorum vehementer iratum furere. — *Periturum.* Ipsum Verrem.

mero putabat; ad judicium[6] nondum se satis instruxerat: primus annus erat provinciæ: non, ut in Sthenio, jam refertus pecunia. Itaque furor ejus paullulum, non pudore, sed metu ac timore repressus est: condemnare Diodorum non audet; absentem de reis eximit[7]. Diodorus interea, prætore isto, prope triennium provincia domoque caruit. Ceteri non solum Siculi, sed etiam cives romani hoc statuerant: quoniam iste tantum cupiditate progrederetur, nihil esse, quod quisquam putaret se, quod isti paullo magis placeret, conservare, aut domi retinere posse.

XX. Postea vero quam intellexerunt, isti virum fortem, quem summe provincia exspectabat, Q. Arrium non succedere; statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque[1] esset. Tum iste ab equite romano splendido et gratioso, Cn. Calidio, cujus filium sciebat senatorem populi romani et judicem esse, equuleos[2] argenteos nobiles, quique maximi[3] fuerant, aufert. Imprudens huc incidi, judices; emit enim, non abstulit: nollem dixisse: jactabit se[4], et in his equitabit equuleis. Emi; pecuniam solvi. Credo, etiam tabulæ[5] proferentur:

6. *Ad judicium*. Nondum ad repetundarum corrumpendos judices se satis pecunia ex furtis et iniquis damnationibus coacervata instruxerat.

7. *De reis eximit*. Diodori absentis nomen, quod reorum in album retulerat, deleri jubet.

XX. 1. *Promptissimum*. Ad manum maxime positum.

2. *Equuleos*. Equorum pullos. Apparet fuisse argento confictos, qui in cælatis vasis extra stabant et eminebant; qualia erant pocula a Juven. I, 76; Mart. VIII, 5, memorata, extra quæ caper exstabat.

3. *Maximi*. Nempe pretii. Sic plerique MSS et Prisc. III, pag. 618 ed. Putsch. Sed edd. vett. habent « qui Q. Maximi ». Quas sequuti sunt Harles. et Schütz.

4. *Jactabit se*. Nempe idoneam nactus defensionem. — *Equitabit equuleis*. Insolentius, quod hos parvos equos emerit, se jactabit, mihi insultabit. Joco nescio an frigidiori.

5. *Tabulæ proferentur*. Ironice di-

est tanti[6]. Cedo tabulas; dilue, sane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas adspicere possim. Verumtamen quid erat, quod Calidius Romæ quereretur, se, quum tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te solo ita esse contemptum, ita despectum, ut etiam una cum ceteris Siculis despoliaretur, si emeras? Quid erat, quod confirmabat, se abs te argentum esse repetiturum, si tibi sua voluntate vendiderat? Tu porro posses facere, ut Cn. Calidio non redderes? præsertim quum is L. Sisenna, defensore tuo, tam familiariter uteretur; et quum ceteris familiaribus Sisennæ reddidisses?

Deinde[7] non opinor negaturum esse te, homini honesto, sed non gratiosiori, quam Calidius est, L. Cordio, argentum per Potamonem[8], amicum tuum, reddidisse : qui quidem ceterorum causam apud te difficiliorem[9] fecit. Nam quum te compluribus confirmasses redditurum, posteaquam Cordius pro testimonio dixit, te sibi reddidisse, finem reddendi fecisti; quod intellexisti, te, præda de manibus amissa, testimonium tamen effugere non posse. Cn. Calidio,

ctum, quum ipse Verres se tabulas horum annorum non confecisse fateatur. Conjicit *Desjardins* posse sic explicari, ut ea verba Verri tribuantur; ita ut dicat Verres : « emi : pecuniam solvi ». Respondeat Cicero : « credo ». Addat Verres, « etiam tabulæ proferentur ». Sed non necesse, et satis per se vivida est oratio. Quoquo enim modo subest ironia. Qui Verres annorum tabulas proferat, quas jam se confessus est nullas habere?

6. *Est tanti*. Res est satis magni momenti, ut propter eam tabulas tuas proferas. Eas igitur ostende. Refelle, si potes, tuis tabulis hanc meam de ereptis Calidio equuleis accusationem; non ægre feram me refelli, dum tabulas tuas inspicere possim. Verumtamen frustra peto; et si vere emisses, cur Calidius, etc.

7. *Deinde*. Reg. et Franc. *Denique*. H. e. ut uno verbo absolvam.

8. *Potamonem*. Is est L. Papirius Potamo, quo scriba usus erat Cæcilius quæstor Verris.

9. *Difficiliorem*. Quia nihilominus contra te verba fecit; ex quo intellexisti, quamvis ablata restitueres, te etiam testimoniis urgeri, unde cœpisti consilium furta servandi. Inde durior ceterorum est facta conditio.

equiti romano, per omnes[10] prætores licuit argentum habere bene factum; licuit posse domesticis copiis, quum magistratum, aut aliquem superiorem[11] invitasset, ornare et apparare convivium; multi domi Cn. Calidii cum imperio ac potestate fuerunt: nemo inventus est tam amens, qui illud argentum tam præclarum ac tam nobile eriperet; nemo tam audax, qui posceret; nemo tam impudens, qui postularet, ut venderet. Superbum est enim, judices, et non ferendum, dicere prætorem in provincia homini honesto, locupleti, splendido : « Vende mihi vasa cælata ». Hoc est enim dicere : Non es dignus tu, qui habeas, quæ tam bene facta sint; meæ dignitatis ista sunt. Tu dignior, Verres, quam Calidius? qui (ut non conferam vitam, atque existimationem tuam cum illius; neque enim est conferenda : hoc ipsum conferam, quo tu te superiorem fingis[12]) quod H-S LXXX millia[13] divisoribus, ut prætor renuntiarere, dedisti; trecenta accusatori, ne tibi odiosus esset; ea re contemnis equestrem ordinem, ac despicis? ea re indignum tibi visum est, quidquam, quod tibi placeret, Calidium potius habere, quam te?

XXI. Jactat se jamdudum de Calidio : narrat omnibus se emisse. Num etiam de L. Papirio[1], viro primario, locuplete, honestoque equite romano, thuri-

10. *Per omnes*. Regius, *per omnes alios*. Sic Græv. et Ern.

11. *Aliquem*. Nempe alium quem : notanda vocis sequentis significatio, qua homo dignitate præstantior significatur.

12. *Superiorem fingis*. Quod videlicet honores in civitate es adeptus, quum ille ex equestri ordine oriundus, non altius pervenerit. Hic Verrem urget, qui ad honores non dotibus, sed largitionibus tantum pervenerat.

13. *H-S LXXX millia*. Gall. 16,400 fr. Quod hoc pretio præturam tuam emisti, equestrem ordinem, cui ad honores aditus non patet spernis ac despicis. — *Trecenta*. Gall. 61,500 fr.— *Ne tibi odiosus esset*. Ne te accusatione persequeretur.

XXI. 1. Edd. pr. *Papinio*, ut MSS Grævii; sed libera republica nulli dum Papinii reperiuntur. J.V. L.

bulum[2] emisti? qui pro testimonio dixit, te, quum inspiciendum poposcisses, avulso emblemate[3] remisisse : ut intelligatis, in homine intelligentiam esse, non avaritiam; artificii cupidum, non argenti fuisse. Nec solum in Papirio fuit hac abstinentia : tenuit hoc institutum in thuribulis omnibus, quæcumque in Sicilia fuerunt. Incredibile est autem, quam multa, et quam præclara fuerint. Credo tum, quum Sicilia florebat opibus et copiis, magna artificia[4] fuisse in ea insula : nam domus erat ante istum prætorem nulla paullo locupletior, qua in domo hæc non essent, etiamsi præterea nihil esset argenti : patella[5] grandis cum sigillis, ac simulacris deorum; patera, qua mulieres ad res divinas uterentur; thuribulum : hæc autem omnia antiquo opere, et summo artificio facta : ut hoc liceret suspicari, fuisse aliquando apud Siculos peræqua[6] proportione cetera; sed quibus multa fortuna ademisset, tamen apud eos remansisse ea, quæ religio retinuisset.

Dixi, judices, multa fuisse fere apud Siculos omnes : ego idem confirmo, nunc ne unum quidem esse. Quid hoc est? quod monstrum, quod prodigium in provinciam misimus? Nonne vobis id egisse videtur, ut non unius libidinem, non suos oculos, sed om-

2. *Thuribulum.* Vas thuri cremando accommodatum; qua forma fuerit incertum adhuc.

3. *Avulso emblemate.* Græca vox illa ἔμβλημα in latinam linguam defluxit. Significat ornamenti quoddam genus, vasis ita appositum, ut detrahi, et in sedem suam rursus collocari posset. Ernest. ex edd. vett. *vulso;* alii, *evulso.*

4. *Magna artificia.* Hoc est, opera clarissimo artificio elaborata.

5. *Patella grandis.* In patella diis apponebantur epulæ, quum res divina penatibus laribusque fiebat, aut quum de cœna iis libabatur. — *Patera.* Vas erat quo vinum in deorum honorem effundebatur.

6. Ernest. Turnebum sequutus, Adv. VIII, 10, edidit, *peræque pro portione.* Quod nomen *proportio* in philosophicis tantum et ad extremum usurpaverit Cicero. — *Cetera.* H. e. vasa profana. — *Fortuna.* Calamitas bellorum.

ibidem, convivis inspectantibus, emblemata avellenda curavit.

Neque ego nunc istius facta omnia enumerare conor; neque opus est, nec fieri ullo modo potest. Tantummodo uniuscujusque de varia improbitate generis indicia apud vos, et exempla profero: neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando esset redditurus; sed prorsus ita, quasi aut reus numquam esset futurus, aut quo plura abstulisset, eo minore periculo in judicium esset venturus: qui hæc, quæ dico, jam non occulte, non per amicos atque interpretes, sed palam, de loco superiore [10], ageret pro imperio et potestate.

XXIII. Catinam quum venisset, oppidum locuples, honestum, copiosum, Dionysiarchum ad se proagorum [1], hoc est, summum magistratum, vocari jubet: ei palam imperat, ut omne argentum, quod apud quemque esset Catinæ, conquirendum curaret, et ad se transferendum. Philarchum Centuripinum, primum hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem juratum dicere audistis, sibi istum negotium dedisse, atque imperavisse, ut Centuripinis [2], in civitate totius Siciliæ multo maxima et locupletissima, omne argentum conquireret, et ad se comportari juberet? Agyrio similiter istius imperio vasa Corinthia per Apollodorum, quem testem audistis, Syracusas deportata sunt.

vas oblectarunt, numquam indonati abeunt, noluit ipse vacuis manibus domum repetere. Itaque duobus e poculis ornamenta avellenda curavit.

10. *De l. superiore*. H. e. de tribunali cum omni potentiæ apparatu. Elate dictum, et ad orationis amplificationem, multo magis quam ad veritatem accommodatum; quamvis sæpius prætoris nomine Verres sit furatus.

XXIII. 1. *Proagorum*. Græca vox significans eum qui princeps est, qui primus verba facit.

2. *Centuripinis*. Lambinus emendavit *Centuripis*, nulla MSS auctoritate; sed quum vox illa multo melius cum iis, quæ sequuntur, congruat, forsan erat admittenda.

Illa vero optima[3], quod, quum ad Haluntium venisset prætor laboriosus et diligens, ipse in oppidum accedere[4] noluit, quod erat difficili adscensu atque arduo; Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi suæ, sed tota Sicilia in primis nobilem, vocari jussit: ei negotium dedit, ut, quidquid Haluntii esset argenti cælati, aut si quid etiam Corinthiorum, id omne statim ad mare ex oppido deportaretur. Escendit[5] in oppidum Archagathus. Homo nobilis, qui a suis et amari et diligi vellet, ferebat graviter illam sibi ab isto provinciam datam; nec, quid faceret, habebat. Pronuntiat, quid sibi imperatum esset: jubet omnes proferre, quæ haberent. Metus erat summus: ipse enim tyrannus non discedebat longius; Archagathum, et argentum, in lectica cubans[6], ad mare infra oppidum exspectabat.

Quem concursum in oppido factum putatis? quem clamorem? quem porro fletum mulierum? qui viderent[7], equum trojanum introductum, urbem captam esse dicerent. Efferri sine thecis[8] vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, re-

3. *Illa vero optima*. Hic Hottom. subintelligit indicia atque argumenta hujus improbitatis sunt; Lambinus judicia et exempla. Neuter assequi videtur genus illud ironiæ quod facillime gall. verbum verbo reddens verteris: *mais voici le trait le plus admirable*.

4. *Accedere*. Lamb. reposuit *ascendere;* quod magis latino sermoni consentaneum videtur, sed nullam habet MS auctoritatem.

5. Sic Græv. e MS reg. Alii, *Adscendit*. J. V. L.

6. *Lectica cubans*. Modus hic erat lectica utendi. Sed videtur hic orator Verri exprobrare, quod populi rom. prætor, lectica tamquam muliercula, ad provinciam peragrandam uteretur.

7. *Qui viderent*. H. e. qui vidissent. —*Equum trojanum*. Proverbium quo maxima calamitas indicatur. Verrem hic optime confert orator cum illo ligneo equo, qui trojana mœnia armato milite complevit; nam prætor, tamquam pestis illa, Centuripinis incubuit, urbemque totam stupore ac luctu miscuit. Sic in oratione pro Murena ait Cicero: «Intus, intus est, inquam, equus trojanus, a quo numquam me consule dormientes opprimemini».

8. *Sine thecis*. MS «efferri de gynæceis vasa».

velli claustra. Quid enim putatis? scuta [9] si quando conquiruntur a privatis in bello ac tumultu, tamen homines inviti dant, etsi ad salutem communem dari sentiunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentum cælatum domo, quod alter eriperet, protulisse. Omnia deferuntur: Cibyratæ fratres vocantur: pauca improbant; quæ probarant, iis crustæ [10] aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini, excussis [11] deliciis, cum argento puro domum reverterunt.

XXIV. Quod umquam, judices, hujusmodi everriculum [1] in illa provincia fuit? Avertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum [2] solebant, etiam aliquid de privato nonnumquam occulte auferebant; et illi tamen condemnabantur. Et, si quæritis, ut ipse de me detraham [3], illos ego accusatores puto fuisse, qui hujusmodi hominum furta odore, aut aliquo leviter presso vestigio persequebantur. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis invenimus? Permagnum est in eum dicere aliquid, qui præteriens, lectica

9. *Scuta*. H. e. quodvis armorum genus; partem pro toto usurpat orator.

10. *Crustæ aut emblemata*. Genus hoc ornamentorum erat, quæ vasis erant apposita. Crustæ, tamquam bracteæ quædam illitæ, et laminæ inductæ, argentea pocula distinguebant. Emblemata vero, ut ex Turneb. conjicere licet, exquisitioris erant laboris; vasis adhærebant, sed ita ut inde detrahi facillimum esset. Crustæ vero non poterant detrahi sine damno operis cui applicatæ erant.

11. *Excussis*. Detractis crustis et emblematibus, ob quæ iis erat in deliciis argentum.

XXIV. 1. *Everriculum*. Jocus in Verris nomen, qui jam in Act. prima occurrit: « Verres, everres provinciam ». Infra idem occurrit, ubi Verrem luto velutum effingit orator.

2. *Per magistratum*. Scilicet Siculum, quem furtorum in partem advocabant.

3. *De me detraham*. Ut gloriam et industriam meam elevem; illi enim accusatores sagaces et hoc nomine digni sunt habendi, qui operta prætorum scelera, odore ac vestigiis, tamquam venatici canes, detegebant. Nos vero in Verrem incidimus luto demersum et obrutum, et ubique flagitiis et rapinis insignem.

paullisper deposita[4], non per præstigias[5], sed palam, per potestatem, uno imperio, ostiatim totum oppidum compilarit? At tamen, ut possit se dicere emisse, Archagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummulorum, dicis causa[6], daret. Invenit Archagathus paucos, qui vellent accipere : his dedit. Eos nummos tamen iste Archagatho non[7] reddidit. Voluit Romæ petere Archagathus : Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. Recita ARCHAGATHI ET LENTULI TESTIMONIUM.

Et, ne forte hominem existimetis hanc tantam vim emblematum sine causa coacervare voluisse, videte, quanti vos, quanti existimationem populi romani, quanti leges et judicia, quanti testes Siculos, negotiatoresque fecerit. Posteaquam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis in regia maximam, palam; artifices omnes, cælatores[8], ac vascularios convocari jubet; et ipse suos complures habebat. Eo conducit[9] magnam hominum multitudinem :

4. *Deposita.* Ex humeris servorum scilicet. Nam quatuor servis lectica imponebatur, aut majori numero, prout luxuriæ deditus erat dominus. Hi autem excelso corpore eligebantur, quo dominus ceteris altior, et magis ideo conspicuus incederet. Cæsar postea lecticarum usum, quia latius fuerat productus, lege coercuit.

5. *Per præstigias.* Præstigiatores ii sunt qui alia pro aliis ostendunt, ut miracula ex improviso oculis nostris subjiciant. Et quum ii magno artificio tantum valeant, orator Verrem dicit, nihil per præstigias, h. e. nihil callide, nihil solerter rapuisse.

6. *Dicis causa.* Unde vox illa *dicis* defluxerit, incertum. Alii aliam ei originem assignant. Forsan a *dicere* vox ortum ducit; et sic nummi, dicis causa dantur, quum non tot irrogantur quot oportuit, sed pauculi tantum pro multis ad hoc unum ut dici possit datos fuisse. Cicero vocem illam pro simulatione officii ubique usurpat, nec quid significet difficile est plane perspicere.

7. *Non reddidit.* Dederat enim de suo Archagathus.

8. *Cælatores.* Ii sunt qui vasa ex puro facta, crustis et emblematibus instruunt. — *Vascularios.* Qui vasa ex puro, sigillis exornanda parant.

9. *Eo conducit.* Tres MSS dant *eo concludit*, quam Gruterus lectionem sequutus est.

menses octo continuos opus his non defuit, quum vas nullum fieret, nisi aureum. Tum illa, ex patellis et thuribulis quæ vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres. Ipse tamen prætor, qui sua vigilantia pacem in Sicilia dicit fuisse, in hac officina majorem partem diei cum tunica pulla [10] sedere solebat, et pallio.

XXV. Hæc ego, judices, non auderem proferre, ni vererer, ne forte plura de isto ab aliis in sermone, quam a me in judicio audisse vos diceretis. Quis enim est, qui de hac officina, qui de vasis aureis, qui de istius pallio, tunica pulla, non audierit? Quem voles de conventu Syracusanorum [1] virum bonum nominato: producam: nemo erit, quin hoc se aut vidisse, aut audisse dicat. O tempora! o mores! nihil nimium vetus proferam. Sunt vestrum, judices, quam multi, qui L. Pisonem cognoverunt [2], hujus L. Pisonis, qui prætor fuit, patrem. Is quum esset [3] in Hispania prætor, qua in

10. *Cum tunica pulla.* Tria hic Verri crimina objiciuntur, quæ apud populum maxime valebant. Primo imperatori romano dedecus erat, quum munus exerceret, tunicam gestare. Tunica enim ad genua tantum descendebat, et maximæ erat impudentiæ prætori tam indecoro habitu commorari. *Pulla.* Color est fulvus, quo tantum utebatur plebecula; equites senatoresque togam albam induebant; ergo altera hæc erat Verris audacia, se tamquam pauperem aut opificem vestire. — *Pallio.* Tertium hoc est in Verrem crimen. Etenim pallium vestis erat græca, Romanique tamquam maximum dedecus arbitrabantur exterarum nationum vestem induere, quum ne externam quidem linguam loqui fas esset; itaque Verres, omnia populi, reipublicæque et magistratus jura pedibus proculcabat, quum sic staret, pulla veste et pallio in officina. Antea Scipioni, et postea Germanico, crimen illud objectum est, quod ille in Sicilia, hic in Ægypto, pallio induti processissent.

XXV. 1. *Syracusanorum.* Lambin. *Syracusano.* J. V. L.

2. *Cognoverunt.* Occisus ille Piso fuerat anno Urbis 642, h. e. anno uno et quadraginta ante orationem illam; itaque multi ex Verris judicibus erant qui eum cognoverant.

3. *Is quum esset.* Numantino bello confecto, Hispania paullulum quievit, donec novæ defectionis occasionem bellum Cimbricum obtulit. Itaque L. Piso Hispaniam ulteriorem prætor sortitus, ad eos motus reprimendos missus est.

provincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, annulus aureus[4], quem habebat, fractus est et comminutus. Quum vellet sibi annulum facere, aurificem jussit vocari in forum, ad sellam[5], Cordubæ, et ei palam appendit aurum. Hominem in foro sellam jubet ponere, et facere annulum, omnibus præsentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendat, si quis volet; nihil amplius : verum fuit ei concedendum : filius enim L. Pisonis erat, ejus, qui primus de pecuniis[6] repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, quum de Pisone Frugi[7] dixerim. Verumtamen, quantum intersit, videte : iste quum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, quid non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in judicio audiret; ille in auri semuncia[8] totam Hispaniam scire voluit, unde prætori annulus fieret. Nimirum, ut hic nomen suum[9] comprobavit, sic ille cognomen.

XXVI. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti : genera[1] ipsa cupio breviter attingere; ut hic modo me com-

4. *Annulus aureus*. Aureis annulis senatores et equites tantum utebantur; ingenui ceteri ferreos gestabant.

5. *Ad sellam*. In qua prætor sedebat, h. e. ad tribunal suum.

6. *De pecuniis repetundis*. L. Calpurnius Piso, Romæ tribunus anno 604, primus legem de repetundis pecuniis tulit. Qua fas erat provinciis, magistratus Romæ accusare, si qui rapinis aut furtis innotuissent.

7. *Frugi*. Duas tantum Romæ conditiones vitæ exercebant cives, aut arma, aut agriculturam colebant; utque ii qui agris colendis erant dediti, raro luxuria innotescebant; dictus est inde Romæ, vir probus, homo frugi.

8. *Semuncia*. Nondum enim Crispinus illos leves annulos et discrimen illud delicatum æstivi hibernique annuli invenerat.

9. *Nomen suum*. Verres enim totam Siciliam verrendo, et nudam faciendo, dignum se Verris nomine præstitit; sic diligentia Pisonis comprobavit bene inditum illi gentile cognomen fuisse.

XXVI. 1. *Genera*. Notandum hic oratoris artificium, quo animos tamquam exspectatione novi flagitii exsuscitat, criminaque prætoris sine aurium fastidio enarrat.

monuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstulisse? numquam dubitavit, quotiescumque alicujus aut gemma, aut annulo delectatus est. Incredibilem rem dicam, sed tam claram, ut ipsum negaturum non arbitrer. Quum Valentio ejus interpreti epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula[2]: placuit: exquisivit, unde esset epistola. Respondit, Agrigento. Iste literas, ad quos solebat, misit, ut is annulus ad se primo quoque tempore afferretur. Ita literis istius, patrifamilias, L. Titio cuidam, civi romano, annulus de digito detractus est. Illa vero ejus cupiditas incredibilis est: nam ut[3] in singula conclavia, quæ iste non modo Romæ, sed in omnibus villis habet, tricenos lectos optime stratos[4] cum ceteris ornamentis convivii quæreret, nimium multa comparare videretur[5]. Nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi iste non textrinum[6] instituerit.

Mulier est Segestana, perdives et nobilis, Lamia nomine[7]: per triennium isti, plena domo telarum, stragulam vestem confecit: nihil nisi conchylio[8] tinctum. Attalus, homo pecuniosus, Neti; Lyso, Lilybæi; Cri-

2. *Cretula*. Alii, *cerula*. Pariter cera et creta ad obsignandas literas, veteres usi sunt. Vid. Kirchm. de annulis, cap. 7. Volvebantur literæ, filoque retinebantur, qui aut liquefacta cera, aut creta obducebatur.

3. *Nam ut*. H. e. etiamsi. — *Tricenos*. Triginta. Sensus est: Adeo multa sunt, quæ furtis comparavit, ut etiamsi, etc.

4. *Lectos optime stratos*. In hac præcipue parte romana luxuria eminebat. Tapetes, quibus instrati erant lecti, purpura splendebant, auro intexti, cum floribus ac foliis versicoloribus. Pedes enim pretiosissimo ligno, aut ebore sæpius confecti, aureis argenteisque laminis, sæpe etiam gemmis ac margaritis, ad maximum luxus apparatum compositis, splendebant.

5. Gœrenz. ad Cic. Acad. II, 20, emend. *videbatur*. Frustra. J.V.L.

6. *Textrinum*. Manut. Lambin. et alii multi, *textrinam*.

7. Ernest. conjicit legendum esse, *ea per triennium*. J.V.L.

8. *Conchylio*. Vide de conchyliato colore Plinium, X, 36, et XXI, 22.

tolaus, Ennæ; Syracusis, Æschrio, Cleomenes, Theomnastus; Elori[9], Archonides, Megistus: vox me citius defecerit, quam nomina. Ipse dabat[10] purpuram tantum, amici operas; credo: jam enim non libet omnia criminari; quasi hoc mihi non satis sit ad crimen, habuisse[11] tam multum, quod daret; voluisse deportare tam multa; hoc denique, quod concedit, amicorum operis esse in hujuscemodi rebus usum. Jam vero lectos æratos[12] et candelabra ænea num cui, præter istum, Syracusis per triennium facta esse existimatis? Emebat; credo. Sed tantum vos certiores, judices, facio, quid iste in provincia prætor egerit, ne cui forte nimium negligens fuisse videatur, neque se satis, quum potestatem habuerit, instruxisse et ornasse.

XXVII. Venio nunc[1], non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ad ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur: in quo dii immortales violati, existimatio atque auctoritas nominis populi romani imminuta, hospitium spoliatum ac proditum, abalienati scelere

9. Sic Græv. Lallem. Ernest. quamquam contra scriptam lectionem, *Pelori*. J. V. L.

10. *Ipse dabat*. Verris defensorum objectio; Verres purpuram tantum dabat, et amici opifices locabant. — *Credo*. Ironica concessio. — *Quasi hoc*. Serio hic defensores, nec jam per jocum aggreditur.

11. *Habuisse*. Satis mihi ad eum incusandum et deprehendendum est, quod habuerit; unde enim tantam purpuræ vim habuit, tantamque argenti et auri copiam, nisi ex rapinis suis?

12. *Lectos æratos*. Cubiculares et tricliniares lecti erant; illi, nocturnæ quietis causa, hi unde cibum accubantes caperent. — *Candelabra ænea*. Ex ære syracusano scilicet, quod nobile fuit ac pretiosum, utpote auro vel argento temperatum. Vid. Plinium, XXXIV, cap. 3.

XXVII. 1. *Venio nunc*. Novum illud Verris facinus, quidquid antea commiserat, supereminet, seu rei ablatæ pretium et magnificentiam, seu quem tam claro opere fraudaverit intueamur. Hoc scelere enim Verres, et populi romani majestatem, et Jovis inviolatum numen, et sanctissima fœderatorum jura pedibus proculcavit. Itaque orator, animos audientium brevi, sed vehementi exordio occupat, et in prætorem omnium conflat indignationem, antequam scelus enarret.

istius a nobis omnes reges amicissimi, nationesque, quæ in eorum regno ac ditione sunt.

Nam reges Syriæ[2], regis Antiochi[3] filios pueros, scitis Romæ nuper fuisse : qui venerant non propter Syriæ regnum; nam id sine controversia obtinebant[4], ut a patre et a majoribus acceperant : sed regnum Ægypti[5] ad se, et ad Selenen[6], matrem suam, pertinere arbitrabantur. Hi ipsi posteaquam temporibus reipublicæ[7] exclusi, per senatum agere, quæ volue-

2. *Nam reges Syriæ.* Antiochum et Seleucum intellige. Quorum ille Asiaticus, quod in Asia fuerat educatus, hic Cybiosactes dictus est : hunc Berenice ad Ægypti regnum vocatum interfecit. Antiochus vero Asiaticus, postquam Lucullus Tigranem debellaverat, qui annos octodecim Syriæ regnum tenuerat; in avitum regnum sese restituit. Postea vero Pompeius eum solio dejecit, et Syriam in provinciam romanam redegit. Narrationem suam orator, ab adventu Antiochi Romam, incipit. Qui rerum ordo explicandarum optimus erat : necesse enim erat commemorare quo pacto Syriæ rex Syracusas devenisset. Sed Cicero ea tantum facta enarrat, quæ luce clariori Verris facinus possint collustrare, et majorem in Antiochum commovere miserationem.

3. *Regis Antiochi.* Cognomento Eusebis, seu pii. Matrem Cleopatram, quam Tryphæna interfecit, et Selenen habuit uxorem.

4. *Obtinebant.* H. e. obtinere jure debebant, ut paternum avitumque regnum. Nam quo tempore Romam venerunt, Tigranes Syriam obtinebat, quam per quadriennium post hæc tenuit; donec pugna infeliciter cum Lucullo commissa solio est exturbatus; Syriamque reliquit, quam subito Antiochus non invito Lucullo, recuperare conatus est.

5. *Regnum Ægypti.* Quod tenebat hoc tempore Ptolemæus Auletes, heres regni non legitimus. Qui vero quum Antiochum cum fratre esse Romæ intellexit, et a senatu opem postulare, ut in avitum regnum restituerentur, per amicos suos, quosdam civitatis primores corrupit, ita ut juvenes re infecta in patriam reverti coacti sint.

6. *Ad Selenen.* Selene filia erat natu minima Ptolemæi, qui dictus est Everges secundus, vulgo Physcon. Physcon præterea duos ex eadem uxore filios susceperat, Ptolemæum Lathyrum, et Ptolemæum Alexandrum. Regnavit in Ægypto, post Physconis mortem Lathyrus; cui frater successit Alexander. Quo mortuo Alexandrum secundum, hujus filium, Sulla in Ægypti regnum restituit. Is autem, anno sexto regni sui pulsus, Tyrum secessit, ubi absque prole, saltem legitima, interiit. Quum in eo igitur regia stirps exstincta foret, regnum ad Selenen, Physconis filiam, et ad ejus liberos pertinebat.

7. *Temporibus reipublicæ.* Hoc est, ratione negotiorum quibus respublica detinebatur. Duo enim bella gravissima instabant : in Hispania Sertorius, et in Asia Mithridates arma cœperant.

rant, non potuerunt, in Syriam, in regnum patrium profecti sunt. Eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit : itaque, isto prætore, venit Syracusas.

Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in ejus regnum [8] ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum præclara habere, et suspicabatur. Mittit homini munera satis large : hæc ad usum domesticum; vini, olei quod visum erat; etiam tritici, quod satis esset, de suis decumis [9]. Deinde [10] ipsum regem ad cœnam vocavit. Exornat ample magnificeque triclinium; exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vasa argentea : namque hæc aurea nondum fecerat. Omnibus curat rebus instructum et paratum ut sit convivium. Quid multa? rex ita discessit, ut et istum copiose ornatum, et se honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad cœnam deinde ipse prætorem; exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est regius, et maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam [11] vas vinarium ex una

Harum rerum nomine, fratres a senatu fuere exclusi, quem Auletes sibi largitionibus suis devinxerat.

8. *In ejus regnum.* Invidiose hæc in Verrem præmittit, ostendendo eum non se jam populi romani magistratum, sed Siciliæ regem habere.

9. *De suis decumis.* Indicat omnes illas Verris largitiones nihil illi constitisse; vinum enim, et oleum, et frumentum, quod regi dono dederat, erant de decumis illis, de quibus tota superior agit oratio; quasque per summam injuriam Siculis prætor extorserat.

10. *Deinde.* Nihil suavius est in hac oratione exaratum, quam prætoris artificium ut imprudentem juvenem occupet. Inde apparent insidiæ callidissimi raptoris, longaque furtorum serie exerciti : hinc nobilis illa et vere regia juvenis benignitas, et animus ille fraudis inscius, qui ne minima quidem suspicatur. Non quidquam magis legentibus arridet, quam prætoris artes, quibus furta sua operire nititur; et juvenis regii studium ut bona recuperet. Narratio illa quadam eloquii levitate delectat, facilique illo præsertim sermone, qui præ se veritatis signum ferre videtur; ars et eloquentia vincunt, hoc ipso, quod minime deprehendantur.

11. *Erat etiam.* Ordo est : Erat etiam

gemma pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo: de qua, credo, satis idoneum, satis gravem testem, Q. Minucium [12] dicere audistis.

Iste unumquodque vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere, prætori populi romani satis jucundum et gratum illud esse convivium. Posteaquam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, quod ipsa res declaravit, nisi, quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque dimitteret. Mittit rogatum vasa ea, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait se suis cælatoribus velle ostendere. Rex, qui istum non nosset, sine ulla suspicione libentissime dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle se eam diligentius considerare. Ea quoque ei mittitur.

XXVIII. Nunc reliquum [1], judices, attendite, de quo et vos audistis, et populus romanus non nunc primum audiet; et in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, reges hi, quos dico, Romam quum attulissent, ut in Capitolio [2] po-

trulla, vas vinarium, ex una gemma pergrandi excavata. Quid per trullam veteres intellexerint, non satis apud nos constat; alii, vas potorium; alii, pelvim esse contendunt; et forsan geminum hoc vasorum genus per vocem trullam veteres designabant. Quod autem trullam illam, ex una gemma confectam fuisse narret Cicero, nihil mirum. Multa enim hujus rei apud veteres exempla prodeunt; ad quæ cf. Plin. XXXVII, cap. 6, et Q. Curtium, lib. III, cap. 3.

12. *Q. Minucium*. Apud quem Syracusis Antiochus fuerat exceptus, ut est infra, 31.

XXVIII. 1. *Nunc reliquum*. Aggreditur partem illam furti qua tutores patriæ deos Verres violavit; itaque audientium animos suscitat, tamquam metueret ne satis magnam tantum scelus in se invidiam conflaret.

2. *In Capitolio*. Templum illud magnificentissime exstructum, Sullanis temporibus conflagravit; seu fulmine tactum, seu æditui negligentia, incertum. Cujus restituendi curam Sulla dictator suscepit; sed postquam fuit fato præreptus, templum Q. Catulus dedicavit, et tegulas etiam æneas inauravit. Conflagravit postea anno Urbis 822, sequentique anno Vespasianus restituit. Denique tertio incendio haustum est, Domitiano imperante, qui illud majori quam antea magnificentia ædificavit ac consecravit.

nerent; quod nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt, ut et magnificentius videretur, quum suo tempore in cella Jovis optimi maximi[3] poneretur, et clarius, quum pulchritudo ejus recens ad oculos hominum atque integra perveniret: statuerunt id secum in Syriam reportare, ut, quum audissent simulacrum Jovis optimi maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium atque pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. Pervenit res ad istius aures, nescio quomodo: nam rex id celatum voluerat; non quo quidquam metueret, aut suspicaretur, sed ut ne multi illud ante præciperent[4] oculis, quam populus romanus. Iste petit a rege, et eum pluribus verbis rogat, ut id ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neque se aliis videndi potestatem esse facturum.

Antiochus, qui animo et puerili[5] esset, et regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, ut id in prætorium[6] involutum quam occultissime deferrent. Quo posteaquam attulerunt, involucrisque rejectis constituerunt, iste clamare cœpit,

3. *Cella Jovis optimi maximi.* Tres erant hoc in templo cellæ, quarum mediam Jupiter, dextram Minerva, lævam Juno, obtinebant. Cella interior ædis pars erat, dei sedes ac tamquam peculiare domicilium. Verba illa *optimi maximi*, quæ quodammodo Jovi adhærent, his temporibus, huic tantum deorum domino dabantur; postea vero assentandi studio, ad homines usque defluxere, et his nominibus imperatores romanos aulici postea consecravere.

4. *Præciperent.* MSS plures et omnes fere edd. *perciperent.*

5. *Animo et puerili.* Optime hic Antiochi indoles cum Verre confertur; puer enim, propter rerum inscitiam, et insitum illum juvenili ætati pudorem, nihil a scelestissimo homine suspicabatur; et rex propter magnitudinem animi et generosos principis viri sensus nihil reformidabat.

6. *Prætorium.* Palatium Verris. — *Constituerunt.* Hoc est, spectandum proposuerunt.

dignam rem esse regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis et plurimis[7] gemmis esse debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia; ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum[8] apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum. Quod quum satis jam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait, se velle illud etiam atque etiam considerare; nequaquam se esse satiatum: jubet illos discedere, et candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur.

XXIX. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari: dies unus[1], alter, plures: non referri. Tum mittit rex ad istum, si sibi videatur[2], ut reddat. Jubet iste posterius ad se reverti. Mirum illi videri: mittit iterum: non redditur. Ipse hominem appellat; rogat, ut reddat. Os hominis, insignemque impudentiam cognoscite. Quod sciret, quodque ex ipso rege audisset in Capitolio esse ponendum; quod Jovi optimo maximo, quod populo romano servari videret, id sibi ut donaret, rogare, et vehementer petere cœpit. Quum ille se, et religione Jovis[3] Capitolini, et hominum existimatione impediri diceret, quod multæ nationes testes essent illius operis, ac muneris: iste homini minari acerrime cœpit. Ubi videt eum nihilo magis minis, quam precibus permoveri[4], repente hominem

7. Alii cum Ernest. *pulcherrimis*.

8. *Hominum*. MSS plures, et edd. *hominem*.

XXIX. 1. *Dies unus*. In hoc loco Hotomannus desiderat verbum *abit*, quod nulli MSS habent; sed illud effluxisse putat propter affinitatem cum insequente.

2. *Si sibi videatur*. Honorifica sermonis formula, in translatione gallica omnino desideratur.

3. *Religione Jovis*. Pietate erga Jovem Capitolinum, cui munus illud ex voto debebatur.

4. *Permoveri*. MSS habent *removeri* quod Lambin. multo magis probat.

de provincia jubet ante noctem decedere : ait se comperisse ex ejus regno piratas in Siciliam esse venturos. Rex maximo conventu[5], Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur, in foro, inquam, Syracusis, flens ac deos hominesque contestans, clamare cœpit, candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo, populo romano monumentum suæ societatis, amicitiæque[6] esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse; de ceteris operibus ex auro et gemmis, quæ sua penes illum essent, se non laborare; hoc sibi eripi, miserum esse, et indignum[7] : id etsi antea jam mente et cogitatione sua, fratrisque sui, consecratum esset, tamen tum se in illo conventu civium romanorum dare, donare, dicare[8], consecrare Jovi optimo maximo, testemque ipsum Jovem suæ voluntatis ac religionis adhibere.

XXX. Quæ vox? quæ latera[1]? quæ vires hujus unius

5. *Rex maximo conventu*. Hic gravior vehementiorque oratio assurgit, quo clarius Verris impudentia pateat; et grande aliquid ac sublime tota posterior illa narrationis pars spirat, qua Antiochum orator depingit, medio Syracusarum conventu, stantem, prætorisque furta et insidias incusantem, solemnibus vocibus candelabrum illud iterum Jovi optimo maximo consecrantem, et deum ipsum testantem, quasi eum ad opem suam vocaret, quippe qui pariter læsus et debito munere a prætore fuerit dejectus.

6. *Societatis amicitiæque*. Nam socium hunc atque amicum populi romani appellatum fuisse, posterius constabit.

7. *Indignum*. Miserum sane erat se omnibus aliis suis divitiis fraudari; sed hoc indignius multo magis fuit, quod regum voti sui promissum Jovi munus consecrare Verres vetabat; et quod humanos ad usus et ad perditissimæ domus apparatum, deo jam dicatum donum redigebat.

8. *Dare, donare, dicare*. Solemnia hæc erant verba in consecrationibus; sed Antiochus tamquam metueret ne satis manifeste illud Jovi dedisset, candelabrum ante ora Syracusanorum iterum dat, donat, dicat, et etiam consecrat; omnia hæc in unum verba congerens, ut clarior vehementiorque sententia appareat.

XXX. 1. *Quæ vox? quæ latera?* Postquam vivide ac vehementer factum orator oculis subjecit, justam omnium

criminis querimoniam[2] possint sustinere? Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium nostrum, biennium fere, comitatu regio atque ornatu fuisset, is quum amicus et socius populi romani esset, amicissimo patre, avo, majoribus, antiquissimis[3] et clarissimis regibus, opulentissimo et maximo regno, præceps e provincia[4] populi romani exturbatus est. Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras; quemadmodum hujus tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perventuram putasti, quum audierint[5] a prætore populi romani in provincia violatum regem, spoliatum hospitem, ejectum socium populi romani, atque amicum? Nomen vestrum populique romani, odio, atque acerbitati scitote nationibus exteris, judices, futurum, si istius hæc tanta injuria impunita discesserit: sic omnes arbitrabuntur, præsertim quum hæc omnino fama de nostrorum hominum avaritia et cupiditate percrebruerit, non istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam[6], qui ap-

in Verrem indignationem concitat, quum præcipua hujus sceleris artificia explicat ostenditque, quid grave, quid indignum sit in hac prætoris agendi ratione. Primo orator his sensibus abreptus, quos in audientium animos injicere cupit, stat dubius, tamquam de viribus eloquentiæ suæ desperet, et facta verbis numquam æquare se posse profitetur. Quot enim in hac causa horrenda flagitia occurrunt! dignitas regia violata, pollutum hospitium, amicus populi romani e provincia a vilissimo prætore ejectus, pœnam Verris exposcunt. Et judices in manu positum habent, num populi romani nomen, exteras apud gentes, odio aut amori in posterum sit habendum, si Verres impunitus discesserit.

2. *Querimoniam.* Post hanc vocem, ex MS reg. Græv. infert *judices;* idem liber scriptus habet *possunt.*

3. *Antiquissimis.* Vulgo initium Syriæ regni, anno primo Olympiadis 117 assignatur.

4. *E provincia.* Præpositionem e vett. editionibus et MSS restituerunt. Olim legebant, *præceps provincia.* J. V. L.

5. *Quum audierint.* Afflictæ regum fortunæ misericordiam movent, iis præsertim qui in regno vivunt; quia apud eos sanctius et venerabilius regium est nomen, ut ipse Cicero in Maniliana scribit.

6. *Eorum etiam.* Judicum, atque adeo senatorii ordinis, qui tot Verris flagitia silentio prætermisisse videbitur.

probarint[7]. Multi reges, multæ liberæ[8] civitates, multi privati opulenti ac potentes, habent profecto in animo Capitolium sic ornare, ut templi dignitas, imperiique nostri nomen desiderat: qui si intellexerint, interverso regali hoc dono, graviter vos tulisse, grata fore vobis populoque romano sua studia ac dona arbitrabuntur; sin hoc vos in rege tam nobili, in re tam eximia, in injuria tam acerba, neglexisse audierint, non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur.

XXXI. Hoc loco, Q. Catule[1], te appello: loquor enim de tuo clarissimo pulcherrimoque monumento. Non judicis solum severitatem in hoc crimine, sed prope inimici atque accusatoris vim suscipere debes: tuus est[2] enim honos in illo templo, senatus populique romani beneficio; tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur; tibi hæc cura suscipienda, tibi hæc opera sumenda est, ut Capitolium, quomodo[3] magnificentius est restitutum, sic

7. Sic Ernest. e cod. Guelferb. Vulgo *approbarunt*. J. V. L.

8. *Liberæ civitates*. Immunes, suisque ita legibus agentes, ut populi romani magistratui nefas sit apud eas jus dicere.

XXXI. 1. *Hoc loco, Q. Catule*. Magnificentissimum illud candelabrum, quod Antiocho Verres subripuerat, Jovi destinatum ac consecratum fuerat, tamquam dignum et deo et Capitolio ornamentum. Catulus templum illud rursus ædificandum curaverat; ipseque Jovi sacratum voverat. Judex nunc in Verris causa sedet. Eum igitur orator vividissime appellat; et postquam ejus gloriæ cupidinem blandissime titillavit, ac nomen Capitolii immortalitati consociavit, jam exclamat: Quo animo Catulus feret templum illud, quod tanta cura exornavit, divitiis suis ab avarissimo prætore fraudari? Si civis privatus tantum esset, deberet etiam latronem illum publicum urgere ac persequi; nunc autem quum judex sedeat, qua severitate, et sibi, et populo romano, et Jovi, ceterisque iratis deis, infestum illum hostem condemnabit!

2. *Tuus est*. Testatur inscriptio hæc apud Grut. Q. LVTATIVS, Q. F. CATVLVS COSS. SVBSTRVCTIONEM ET TABVLARIVM, EX SC. FACIVND. CVRAV.

3. Beck. rescripsit *quemadmodum* e MSS Lamb. et Ursini, levi de causa.

copiosius ornatum sit, quam fuit; ut illa[4] flamma divinitus exstitisse videatur, non quæ deleret Jovis optimi maximi templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret.

Audisti Q. Minucium Rufum dicere, domi suæ deversatum esse Antiochum regem Syracusis; se[5] illud scire ad istum esse delatum; se scire non redditum: audisti, et audies omni[6] e conventu Syracusano, qui ita dicant, sese audientibus, illud Jovi optimo maximo dicatum esse ab rege Antiocho et consecratum. Si judex non esses, et hæc ad te delata res esset, te potissimum hoc persequi, te petere, te agere oporteret. Quare non dubito, quo animo judex hujus criminis esse debeas, qui apud alium judicem multo acrior, quam ego sum, actor accusatorque esse deberes.

XXXII. Vobis autem[1], judices, quid hoc indignius, aut quid minus ferendum videri potest? Verresne habebit domi suæ candelabrum Jovis optimi maximi, e gemmis auroque perfectum? cujus fulgore collucere atque illustrari Jovis optimi maximi templum oportebat, id apud istum in ejusmodi conviviis constituetur, quæ domesticis stupris flagitiisque flagrabunt? in istius lenonis turpissimi domo, simul cum ceteris Chelidonis hereditariis[2] ornamentis, Ca-

4. *Ut illa flamma.* Non semel Capitolium fulmine ictum conflagravit; quod, quum in faustum omen vertere vellent Romani, præclarius et magnificentius Jovem deposcere profitebantur.

5. *Se illud.* Nempe candelabrum illud, de quo agitur.

6. *Omni.* Alii libri, *omnes;* quam Græv. et Lambin. lectionem defendunt.

XXXII. 1. *Vobis autem.* In hoc facto libenter commoratur orator, quia nihil flagitiosius, nihil infestius ipsi populo romano Verres commisit. Quare Cicero judices magis ac magis in reum acuit, hac, quæ diis immortalibus debetur, religione. Totam hic elegantiæ vim et robur explicat, Verremque exagitando, ceteros irati Jovis imagine terret.

2. *Chelidonis hereditariis ornamentis.* Jam superius dictum est, meretricem illam Verrem heredem suum instituisse.

pitolii ornamenta ponentur? Quid huic sacri[3] umquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in judicium veniat, ubi ne precari quidem Jovem optimum maximum, atque ab eo auxilium petere more omnium[4] possit? a quo etiam dii immortales sua repetunt in eo judicio, quod hominibus ad suas res repetundas est constitutum? Miramur Athenis Minervam[5], Deli Apollinem, Junonem Sami, Pergæ Dianam, multos præterea ab isto deos tota Asia Græciaque violatos, qui a Capitolio manus abstinere non potuerit? Quod privati homines de suis pecuniis ornant, ornaturique sunt, id C. Verres ab regibus ornari non est passus. Itaque[6] hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neque sacri, neque religiosi esse duxit; ita sese in ea provincia per triennium gessit, ut ab isto non solum hominibus, verum etiam diis immortalibus bellum indictum putaretur.

XXXIII. Segesta[1] est oppidum pervetus in Sicilia,

3. *Quid huic sacri.* Quid homo ille sacri habebit, qui nec deos, nec ipsum Jovem impugnare veritus est? Causa enim cur aliquid sacrum aut religiosum habemus, est summi metus numinis, h. e. pietas. Qui igitur deorum, ut Verres, potentiam irridet, is nihil sacri, nihil religiosi ducere potest.

4. *More omnium.* Qui enim in grave periculum adducuntur, deorum aut hominum opem implorant; Verres autem ita egit, ut neque homines neque deos implorare possit, nullumque habeat in hac sua calamitate perfugium. Hac sententia in peroratione utitur.

5. *Athenis Minervam.* De his omnibus furtis prætoris actum est lib. Accusat. I, cap. 17 et seqq.

6. *Itaque.* Transitio ad conclusionem narrationis hujus, qua Verres judicibus, et populi romani, et provinciarum, et deorum ipsorum hostis infestissimus demonstratur.

XXXIII. 1. *Segesta.* Hæc est urbs, ut eam orator depingit, quam communis cum Roma origo cuivis alio ac Verri sacram ac venerandam præstitisset. Post urbem statuam celebrat; hanc et operis pulchritudo, et tot populorum veneratio, et hostium etiam reverentia in perpetuum consecrasse videbantur. Quare Carthagine devicta, Scipio, tamquam dulcissimum triumphi sui præmium habuit, quod illam posset Segestanis reddere. Pietas illa et munificentia ducis eximii, Verris audaciam et scelus vividissime coarguunt.

judices, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente, conditum esse demonstrant. Itaque Segestani, non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione[2] se cum populo romano conjunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, quum illa civitas cum Pœnis suo[3] nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginiensibus vi captum atque deletum est; omniaque, quæ ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. Fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, quum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem, locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat: nam propter[4] eximiam pulchritudinem, etiam hostibus digna, quam sanctissime colerent, videbatur. Aliquot seculis post, P. Scipio[5] bello Punico tertio Carthaginem cepit: qua in victoria (videte hominis virtutem et diligentiam, ut et domesticis præclarissimæ virtutis exemplis gaudeatis, et eo majore odio dignam istius incredibilem audaciam judicetis), convocatis Siculis omnibus, quod diutissime sæpissimeque

2. *Cognatione*. Quod ab iisdem auctoribus originem ducebant.

3. *Suo nomine*. Bellare nomine suo civitas dicitur, quum bellum sponte sua, nullo impellente populo, nulloque adjuvante, suscipit. Segesta quondam urbs potens fuerat et Elicuorum gentis caput, sicut Thucydidis et Diodori declarant historiæ. Notæ sunt bellicæ Pœnorum in Siciliam expeditiones, unde, post Punicum bellum primum, fuere exacti anno Urbis 513, postquam hujus insulæ pars, iis fere ab Urbe condita paruisset.

4. *Nam propter*. Ea fuit veterum superstitio, ut simulacro, propter artificium, religionem attribuerent. Primis quidem temporibus, statua adorandæ rubiginis, ut ait Juvenalis, impensius colebatur. Postquam autem inventas per artes hominum exculta est vita, non parum ad dei sanctitatem contulit, simulacrum eleganti manu, qualis Phidiæ aut Praxitelis perpolitum. Ex operis enim pulchritudine sanctior effigies, et splendidiori digna cultu videbatur.

5. *P. Scipio*. Africanus minor, Paulli Æmilii filius, a Scipionis Africani majoris filio adoptatus.

Siciliam vexatam a Carthaginiensibus cognorat, jubet omnia conquiri[6]: pollicetur, sibi magnæ curæ fore, ut civitatibus, quæ cujusque fuissent, restituerentur. Tum illa, quæ quondam fuerant Himera sublata, de quibus antea dixi, Thermitanis[7] sunt reddita; tum alia Gelensibus, alia Agrigentinis: in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris[8] habuisse dicitur, quo vivos, supplicii causa, demittere homines, et subjicere flammam solebat; quem taurum Scipio quum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur, æquum esse illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suisne servire, an populo romano obtemperare, quum idem monumentum[9], et domesticæ crudelitatis, et nostræ mansuetudinis haberent.

XXXIV. Illo tempore[1] Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana, de qua dicimus, redditur; reportatur Segestam; in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et lætitia reponitur. Hæc erat posita Segestæ, sane excelsa in basi; in qua grandibus literis

6. *Omnia conquiri.* Omnes nimirum statuas, et dona quæ diis fuerant consecrata, quibusque jure belli ablatis Carthago erat referta.

7. *Thermitanis.* Verr. II, 35, videre est qua de causa hæ statuæ apud Thermitanos fuerint positæ. « Himera deleta, ait orator, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant, in ejusdem agri finibus nec longe ab oppido antiquo ». Inde apparet Thermitanos esse ab veteribus Himeræ incolis oriundos et adeo legitimos heredes.

8. *Phalaris.* Agrigentinorum fuit tyrannus, tantaque in plebem crudelitate sævit, ut in proverbium abierit, *Phalaridis imperium.* Notus æneus ille taurus, quo cives igni cremandos includebat, quoque ipse inclusus a civibus suis igne subjecto consumptus est. Lucianus tamen Phalaridem ab ea crudelitatis opinione exsolvere conatur. Frustra quidem; nam nomen illud Phalaridis externo populorum est odio consecratum.

9. *Idem monumentum.* Taurum illum scilicet æneum.

XXXIV. 1. *Illo tempore.* Rem orator aggreditur, postquam ab ea paullulum fuit digressus, ea mente tantum ut ostenderet, quantum, pio debitoque cultu habita illa religionis monumenta, ad laudem populi romani conferant, quantumque reipublicæ detrahat, qui hæc evertit aut furatur.

P. AFRICANI nomen erat incisum, eumque CARTHAGINE CAPTA RESTITUISSE, perscriptum. Colebatur a civibus; ab omnibus advenis visebatur; quum quæstor[2] essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola[3]; verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis : sagittæ pendebant ab humero : sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat.

Hanc quum iste sacrorum omnium hostis, religionumque prædo vidisset, quasi illa ipsa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia[4] cœpit. Imperat magistratibus iste, ut eam demoliantur, et sibi dent : nihil sibi gratius ostendit futurum. Illi vero dicere, id sibi nefas esse; seque quum summa religione, tum summo metu legum[5] et judiciorum teneri. Iste tum petere ab illis, tum minari, tum spem, tum metum ostendere. Opponebant illi interdum nomen Africani; donum populi romani[6] illud esse dicebant;

2. *Quæstor essem.* In Sicilia scilicet anno 678.

3. *Cum stola.* Vestimenti genus erat apud Græcos usitatum, nomenque latinum postea defluxit in sermonem. Stola vestis erat peculiaris feminarum, ad talos usque demissa, et multo quam toga virorum amplior. — *Facem.* Arcum enim Diana, ut venatrix, facem vero, ut luna, præferebat.

4. *Cupiditate et amentia.* Furor ille qui Verrem abripit uno verbo et optime quidem depingitur. Diana enim exhibebatur facem dextra gerens, et neminem latet, eam lunæ nomine, mentem eorum omnino evertere, quos irata lumine tangebat : itaque orator lymphatum prætorem, et omnino sui impotentem arguit. Loco *percussus* olim *perculsus.* Male. Cf. Bentl. ad Horat. Ep. XI, 2, « amore percussum gravi », et Burm. ad Ovid. Metam. IV, 138.

5. *Summo metu legum.* Nec sine causa quidem, namque gravissima supplicia ab eis sumebantur, non modo qui deos e sede sua detraxissent, sed etiam qui aliquid summo consecratum numini essent furati. Narrat enim Ælian. Hist. V, 16, puerum sacrilegii damnatum fuisse, quod aureum folium quod ex Dianæ corona deciderat, imprudens subripuerat. Inde debita lucis religiosisque locis veneratio.

6. *Populi romani.* Elate, ut Verris scelus gravius demonstret; non enim populi romani, sed Scipionis Africani vere donum erat, qui statuam illam Segestanis restituerat.

nihil se in eo potestatis habere, quod imperator clarissimus, urbe hostium capta, monumentum victoriæ populi romani esse voluisset.

Quum iste nihilo remissius, atque etiam multo vehementius instaret quotidie, res agitur in[7] senatu: vehementer ab omnibus reclamatur. Itaque illo tempore, ac primo istius adventu, pernegatur. Postea, quidquid erat oneris in nautis remigibusque exigendis, in frumento imperando, Segestanis, præter ceteros, imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent; præterea magistratus eorum evocabat; optimum quemque et nobilissimum ad se arcessebat; circum omnia provinciæ fora[8] rapiebat; singillatim unicuique calamitati fore se denuntiabat; universam se funditus illam eversurum esse civitatem minabatur. Itaque aliquando, multis malis, magnoque metu victi Segestani, prætoris imperio parendum esse decreverunt[9]: magno cum luctu, et gemitu totius civitatis, multis cum lacrymis, et lamentatione virorum mulierumque omnium, simulacrum Dianæ tollendum locatur[10].

XXXV. Videte quanta religione[1] fuerit: apud Segestanos repertum esse, judices, scitote neminem, neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Bar-

7. *In senatu*. Segestanorum scilicet.

8. *Fora*. Fora in provinciis dicebantur oppida certa, ubi prætor jus dicebat et quo promitti vadimonia solebant. Itaque Verres nobiles Segestanos per præcipuas provinciæ urbes, magno eorum incommodo secum trahebat.

9. *Parendum esse decreverunt*. Notandum hic oratoris artificium; non enim Segestanos inquit, Verri Dianam tradidisse, ne in eos odium recidat; his vocibus tantum utitur, prætoris imperio parendum esse decreverunt, et inde omnis in Verrem indignatio recidit.

10. *Locatur*. Certo pretio transigitur cum aliquo, ut simulacrum de sede sua retrahat.

XXXV. 1. *Religione*. Græv. Cujac. et reg. cod. *religio*. Sic olim distinguebatur: « rel. fuerit apud Segestanos, etc. »

baros quosdam[2] Lilybæo scitote advocatos esse operarios : hi denique illud, ignari totius negotii ac religionis, mercede accepta, sustulerunt. Quod quum ex oppido exportaretur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem[3] memoria tenebant, quum illa eadem Diana, Segestam Carthagine revecta, victoriam populi romani reditu suo nuntiasset. Quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur? tum imperator populi romani, vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis, ex urbe hostium recuperatos: nunc ex urbe sociorum prætor ejusdem populi turpissimus, atque impurissimus, eosdem illos deos nefario scelere auferebat. Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestanas matronas et virgines convenisse, quum Diana exportaretur ex oppido; unxisse unguentis[4]; complesse coronis et floribus; thure, odoribusque incensis, usque ad agri fines prosequutas esse?

2. *Barbaros quosdam.* Verba illa omnem Verris infamiam et scelus arguunt; qui, prætor populi romani, neminem invenit, neque ex liberis, neque ex servis; qui mercede pacta operis hujus fieret particeps. Per barbaros, recusante omni populo, res conficitur; qui si etiam cognovissent quid ageretur, recusassent sane, et numquam operam suam quamvis barbari locavissent.

3. *Illum diem.* Carthago capta et excisa fuerat, conditæ Urbis anno 609. Verres prætor fuerat anno 678. Ergo aliqui adhuc superstites senes esse poterant, qui diem illum memoria tenerent, se in pueritia vidisse, quo illa eadem Diana victoriam Segestanis reditu suo nuntiasset. Tam grande enim spectaculum licet a teneris annis videamus, numquam a nostra potest aboleri, aut evanescere memoria.

4. *Unxisse unguentis.* De more Græcorum, apud quos unguentis ungebantur, non capilli tantum, pedesque et manus, sed ipsa quoque deorum simulacra, parietesque et lecti. Unguentum erat suavissima quædam ex bene olentibus aromatibus commixtio. Plin. XIII, 1, in hoc errat, quod ea illius Darii quem vicit Alexander, temporibus inventa fuisse enarrat. Quum contra antiquissimis temporibus ea fuisse usitata sacris ex codicibus patent. Maximum hoc erat honoris signum; itaque Plato jubet, poetam qui in civitate sua reperiatur, ita exsulare, ut vas unguento plenum capiti infundatur, sicque honorifice eum ad fines usque prosequantur.

Hanc tu tantam religionem si tum in imperio propter cupiditatem atque audaciam non pertimescebas; ne nunc quidem, in tanto tuo liberorumque [5] tuorum periculo, perhorrescis? Quem tibi aut hominem, invitis diis[6] immortalibus, aut vero deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas? Tibi illa Diana in pace atque in otio[7] religionem nullam attulit, quæ, quum duas urbes[8], in quibus locata fuerat, captas incensasque vidisset, bis ex duorum bellorum flamma ferroque servata est; quæ Carthaginiensium victoria, loco mutato, religionem tamen non amisit; P. Africani virtute religionem simul cum loco recuperavit[9]? Quo quidem scelere suscepto, quum inanis esset basis, et in ea P. Africani nomen incisum; res indigna atque intoleranda videbatur omnibus, non solum religiones esse violatas, verum etiam P. Africani[10], viri fortissimi, rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monumenta victoriæ, C. Verrem sustulisse. Quod quum isti renuntiaretur de basi ac literis, existimavit homines in oblivionem totius negotii esse venturos, si etiam basim, tamquam indicem sui sceleris, sustulisset. Itaque tollendam istius imperio

5. *Liberorum tuorum.* Qui scilicet, postquam lis fuerit æstimata, reliqui nihil præter infamiam tuam habebunt, omninoque patriis evertentur bonis.

6. *Invitis diis.* H. e. tibi iratis; teque urgentibus, quum eorum nemini peperceris.

7. *In pace atque in otio.* Quo tempore religiosius, quam quum bellum flagrat, coluntur; nulloque modo reformidandum habent, ne quis eis violentas manus afferat.

8. *Duas urbes.* Segestam a Carthaginiensibus, et Carthaginem a Romanis captam et eversam.

9. *Recuperavit.* Non religionem apud hostes amiserat, sed eam recuperavit, quæ ei in propria ipsius sede tribuebatur.

10. *Verum etiam P. Africani.* Videtur Scipionis offensa memoria, majus scelus quam violata deorum religio efficere. Hoc multo magis Verres crimen reformidabat, quia deorum tardior est ultio; Scipionum vero qui tum Romæ potentissimi erant, paratior erat et multo magis timenda vindicta, multoque tristius odium. Hæc oratorie amplificata; Metellus autem Scipio, qui aderat judicio, Verri favebat.

locaverunt; quæ vobis locatio ex publicis Segestanorum literis priore actione recitata est.

XXXVI. Te nunc, P. Scipio [1], te, inquam, lectissimum ornatissimumque adolescentem appello : abs te officium tuum, debitum generi et nomini, requiro et flagito. Cur pro isto, qui laudem honoremque familiæ vestræ depeculatus est, pugnas? cur eum defensum esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus [2] sustineo? M. Tullius P. Africani monumenta [3] requirit : P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit. Quum mos a majoribus traditus sit, ut monumenta majorum ita suorum quisque defendat, ut ea ne ornari quidem nomine alieno sinat; tu isti aderis, qui non obtrusit [4] aliqua ex parte monumenta P. Scipionis, sed funditus sustulit ac delevit? Quisnam igitur, per deos immortales! tuebitur P. Scipionis me-

XXXVI. 1. *P. Scipio.* Is est Metellus Scipio, qui postea consulatum censuramque obtinuit. Celeberrima ejus filia Cornelia Pompeium conjugem habuit. Post Pharsalicam pugnam, ad Varum in Africam ille profectus est, et sibi necem ipse attulit post infelicem exitum pugnæ apud Thapsum commissæ. In eum hic orator vividissime, totoque eloquentiæ impetu fertur, eum urget, exagitatque, quod hunc defensures sedeat, quem nisi cæcus esset et vecors reum ipse, tamquam familiæ suæ monumentorum eversorem, ante tribunal sisteret.

2. Lamb. *munus*, quod Garat. quoque anteponit. J. V. L.

3. *P. Africani monumenta.* Ejus apud veteres monumenta esse dicebantur, quo curante vel imperante fuerant ædificata; hujus inscriptum nomen gerebant, sicque nepotes in monumentorum atque adeo famæ veniebant hereditatem.

4. *Obtrusit.* Clara et aperta est loci hujus sententia; multi tamen in verbum illud *obtrusit* laboravere editores. Hotom. mallebat *obtrivit.* Alii etiam, *obruit*, quod Camerarius interpretatur *obscuravit.* Grut. et codd. fere omnes *obtrusit.* Vera est illa lectio, nec adeo inextricabilis apparet hic error. Ceteri enim, ait orator, monumenta sua ne ornari quidem nomine alieno passi sunt; tuque Scipio, illi defensor aderis, qui non gloriam Scipionis violavit, obscuro nomine in monumentum obtruso, sed qui penitus sustulit. Hic agnoscenda est figura vulgo dicta *hypallage*, quaque sæpissime scriptores utuntur; sicque locum explanabimus: « qui non obtrusit nomen alienum monumentis Scipionis ». Idem occurrit, in orat. pro Marc. 6 : « Gladium vagina vacuum in urbe non vidimus ». Et Virgilius ait, « Herculeis sopitas ignibus aras Excitat », Æneid. VIII, v. 542, ubi vid. not. tom. III, p. 449 edit. nostr.

moriam mortui? quis monumenta, atque indicia virtutis, si tu ea relinques ac deseres, neque solum spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorem, vexatoremque defendes?

Adsunt Segestani[5], clientes tui, socii populi romani, atque amici: certiorem te faciunt, P. Africanum, Carthagine deleta, simulacrum Dianæ majoribus suis restituisse; idque apud Segestanos ejus imperatoris nomine positum, ac dedicatum fuisse; hoc Verrem demoliendum et asportandum, nomenque omnino P. Scipionis delendum tollendumque curasse: orant te, atque obsecrant, ut sibi religionem, generi tuo laudem gloriamque restituas, ut, quod ex urbe hostium per P. Africanum recuperarint, id per te ex prædonis domo conservare possint.

XXXVII. Quid aut his respondere honeste potes? aut illi facere, nisi ut te ac fidem tuam implorent? Adsunt, et implorant: potes domesticæ laudis amplitudinem, Scipio, tueri; potes: omnia in te sunt, quæ aut fortuna[1] hominibus, aut natura largitur. Non præcerpo fructum[2] officii tui; non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione, florentissimo adolescente, vivo et incolumi, me propugnatorem monumentorum P. Scipionis, defensoremque profiteri.

Quamobrem si suscipis domesticæ laudis patroci-

5. *Adsunt Segestani.* Totus hic locus firmissimo eloquentiæ robore nitet, et summa arte est expositum; non idem hic ac alias dicendi ordo, non idem rerum tenor, orator non narrat, sed potius acerrimo indignationis sensu abreptus, non jam Verrem, sed defensores ipsos Verris, tamquam infamiæ nota obtegit.

XXXVII. 1. *Aut fortuna.* Cujus dona sunt, gratia, illustre nomen, et divitiæ; naturæ autem ingenium, corporis et animi sanitatem attribuere videtur.

2. *Non præcerpo.* Non mihi mens est præripere laudem illam quam hoc officii genere mereri potueris, si domesticæ laudis amplitudinem tuearis.

nium, me non solum silere de vestris monumentis oportebit, sed etiam lætari, P. Africani ejusmodi esse fortunas mortui, ut ejus honos ab iis, qui ex eadem familia sunt, defendatur, neque ullum adventitium[3] requiratur auxilium. Sin istius amicitia te impediet; si hoc, quod abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere, succedam ego vicarius[4] tuo muneri; suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar: ne ista præclara[5] nobilitas desinat queri, populum romanum hominibus novis atque industriis libenter honores mandare, semperque mandasse. Non est querendum, in ea civitate, quæ propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse. Sit apud alios[6] imago P. Africani; ornentur alii mortui virtute ac nomine: talis ille vir fuit, ita de populo romano meritus est, ut non uni familiæ, sed universæ civitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars[7] virilis, quod ejus civitatis sum,

3. *Adventitium.* Externum, non domesticum.

4. *Vicarius.* Dicitur is qui vices alterius subit, qui alterius munus implet.

5. *Ne ista præclara.* Ironice et acerbe in Scipionem et ceteros Verris defensores dictum. Sensus est enim: Ego hominis ignavi et inertis, quique non modo rempublicam, sed et patriam, famam monumentaque majorum negligit, partes subibo. Patronum me laudis Scipionum profitebor, scelus persequar et improbitatem, et ita de republica bene merebor, ut quotidie ad largiendos honores mihi populus excitetur; et ita non desinat habere præclara ista nobilitas, quod queratur, facile homines novos et industrios, a populo romano honores obtinere. Verumtamen, non debent queri quod novorum hominum virtuti mandentur honores, in ea civitate quæ propter virtutem omnibus nationibus imperat.

6. *Sit apud alios.* Exprobratio amarior. Etenim ait orator: Si usque eo Scipiones majorum suorum gloriam et memoriam aspernentur, ut eam tueri negligant, esto: erit apud eos quidem tanti viri imago, sed hoc nomine tantum et hac defuncti virtute decorabuntur. Nos vero, qui Scipionis in hac die patrocinium suscepimus, qui ultores hic famæ et laudis ejus sedemus, in quamdam tantæ gloriæ partem et hereditatem quodammodo veniemus, quippe qui ejus imitatores, ejus quoque laude ornabimur.

7. *Est aliqua mea pars.* Singuli cives, ait Cicero, suum gratiæ vectigal Scipioni debent, quod hanc urbem amplam et magnificam virtute sua præ-

quam ille amplam, illustrem, claramque reddidit; præcipue quod in his artibus[8] pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit, æquitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum: quæ cognatio studiorum et artium propemodum non minus est conjuncta, quam ista, qua vos delectamini, generis et nominis.

XXXVIII. Repeto abs te[1], Verres, monumentum P. Africani; causam Siculorum, quam suscepi, relinquo; judicium de pecuniis repetundis ne sit hoc tempore; Segestanorum injuriæ negligantur: basis P. Africani restituatur; nomen invictissimi imperatoris incidatur[2]; signum pulcherrimum Carthagine captum

stiterit. At ego, illi partem meam duplici nomine eoque ceteris majorem debeo; primum, quod civis sim romanus; deinde, quod in his artibus versor quas ille excoluit, quibusque excelluit. Quæ studiorum ac morum similitudo, non minori vinculo homines inter se devincit, quam generis cognatio sanguinisque conjunctio, qua vos tantopere delectamini.

8. *In his artibus*. H. e. virtutibus: inde veteres inertes eos dicebant, qui carebant virtutibus.

XXXVIII. 1. *Repeto abs te*. Notandum quanta arte orator omnia Verris flagitia explicet, utque ea vivide oculis subjiciat. Non eum jam tamquam furem et diis infestum ostendit, sed tamquam populo et reipublicæ inimicissimum. Quam vehementer eum ob nomen illud deletum exagitat! quam lucro apponit novum illud Verris scelus, et per se tenue quidem! majora quippe commisit, ast illud, populum romanum ipsum impugnat; non jam reum accusator, sed civem civis appellat; non de furtis judicium est, de infami illa agitur audacia, qua nomen tanti ducis e memoria hominum obliterare est aggressus, quaque non Scipionem, sed et romanorum exercituum gloriam obtrivit. Nihil est acutius vehementiusque simul, quam locus ille quo non jam Verrem unum, sed et patronos ejus odio et dedecore afficiat. Nullam silentio occasionem prætermittit, qua rei defensores possit impugnare. Itaque hic in eos toto eloquentiæ flumine fertur; simul judices ipsos sibi conciliat, obiter eos monumentaque eorum celebrando, quod summa est arte expressum.

2. *Incidatur*. Grandibus nempe literis, ut antea in basi. — *Carthagine captum*. Verbum aliquod desiderari multis hic visum est. Sensus enim postulat, *Carthagine capta recuperatum;* Lambin. sic edidit. Vestigia enim hujus verbi in MSS obscure apparentia deprehendere est arbitratus. Ita enim in duobus est scriptum, *captum*, *receptum;* unde legendum conjecit *capta recuperatum;* sed nulli alii hanc vocem habent MSS.

reponatur. Hæc abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant; sed is, qui laudem gloriamque P. Africani tuendam conservandamque suscepit. Non vereor, ne hoc officium P. Servilio judici non probem; qui quum res maximas gesserit, monumentaque suarum rerum quum maxime constituat, atque in his elaboret, profecto volet hæc non solum suis posteris, verum etiam omnibus viris fortibus et bonis civibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor, ne tibi, Q. Catule, displiceat, cujus amplissimum[3] in orbe terrarum, clarissimumque monumentum est, quam plurimos esse custodes monumentorum, et putare omnes bonos alienæ gloriæ defensionem ad officium suum pertinere.

Et quidem ceteris istius furtis atque flagitiis ita moveor, ut ea reprehendenda tantum putem : hic vero[4] tanto dolore afficior, ut nihil mihi indignius, nihil minus ferendum videatur. Verres Africani monumentis domum suam, plenam stupri, plenam flagitii, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatissimi sanctissimique viri monumentum, Dianæ simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricum lenonumque flagitia versantur?

XXXIX. At hoc solum[1] Africani monumentum violasti? quid? a Tyndaritanis non ejusdem Scipionis be-

3. *Cujus amplissimum.* Capitolium intelligit Catulo reædificatum, postquam Sullanis temporibus igne corruisset. Cf. ad h. l. Tacit. Hist. lib. III, cap. 72, tom. III, p. 353, edit. nostræ.

4. *Hic vero.* In ea scilicet P. Africani monumenti eversione.

XXXIX. 1. *At hoc solum.* Transitio vivida est qua partem orationis occupat, qua de Mercurii signo per vim Tyndaritanis erepto, summoque hujus urbis magistratu, in ærea Marcelli statua deligato et dilacerato agitur. Prima crimina Verres summa quidem impudentia commisit, nunc vero plus quam furta sunt, nec tantum impudentia, sed feritas vere et mira animi impotentis audacia inest.

neficio positum simulacrum Mercurii, pulcherrime factum, sustulisti? At quemadmodum, dii immortales! quam audacter! quam libidinose! quam impudenter! Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, homines honestissimos ac principes civitatis, Mercurium, qui sacris anniversariis[2] apud eos ac summa religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta, Tyndaritanis non solum suæ victoriæ, sed etiam illorum fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset, hujus vi, scelere, imperioque esse sublatum: qui ut primum in illud oppidum venit, statim, tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset; tamquam hoc senatus mandasset, populusque romanus jussisset; ita continuo, signum ut demolirentur, et Messanam[3] deportarent, imperavit.

Quod quum illis, qui aderant, indignum, qui audiebant, incredibile videretur; non est ab isto, primo illo adventu, perseveratum: discedens mandat proagoro[4] Sopatro, cujus verba audistis, ut demoliatur: quum recusaret, vehementer minatur: ita tum ex illo oppido proficiscitur. Proagorus refert rem ad senatum[5]: vehementer undique reclamatur. Ne multa: iterum iste aliquanto post ad illos venit, quærit continuo de signo. Respondetur ei, senatum non permittere; pœnam capitis[6] constitutam, si injussu senatus quisquam attigisset: simul religio commemo-

2. *Sacris anniversariis.* In cujus honorem quotannis diem festum summa cum religione celebrabant.

3. *Messanam.* Qua urbe navem illam onerariam sibi seposuerat, ad furta omnia Romam deportanda.

4. *Proagoro.* Summo scilicet Tyndaritanorum magistratui; nam infra his verbis orator utitur.

5. *Ad senatum.* Hic et in sequentibus intelligendus est senatus Tyndaritanus.

6. *Pœnam capitis constitutam, si quisquam.... attigisset.* Summa legum severitate in eos cautum erat, apud Tyndaritanos, qui non modo deum, sed quæ sacrificiorum usu essent deo consecrata, violarent.

reponatur. Hæc abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant; sed is, qui laudem gloriamque P. Africani tuendam conservandamque suscepit. Non vereor, ne hoc officium P. Servilio judici non probem; qui quum res maximas gesserit, monumentaque suarum rerum quum maxime constituat, atque in his elaboret, profecto volet hæc non solum suis posteris, verum etiam omnibus viris fortibus et bonis civibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor, ne tibi, Q. Catule, displiceat, cujus amplissimum[3] in orbe terrarum, clarissimumque monumentum est, quam plurimos esse custodes monumentorum, et putare omnes bonos alienæ gloriæ defensionem ad officium suum pertinere.

Et quidem ceteris istius furtis atque flagitiis ita moveor, ut ea reprehendenda tantum putem : hic vero[4] tanto dolore afficior, ut nihil mihi indignius, nihil minus ferendum videatur. Verres Africani monumentis domum suam, plenam stupri, plenam flagitii, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatissimi sanctissimique viri monumentum, Dianæ simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricum lenonumque flagitia versantur?

XXXIX. At hoc solum[1] Africani monumentum violasti? quid? a Tyndaritanis non ejusdem Scipionis be-

3. *Cujus amplissimum.* Capitolium intelligit Catulo reædificatum, postquam Sullanis temporibus igne corruisset. Cf. ad h. l. Tacit. Hist. lib. III, cap. 72, tom. III, p. 353, edit. nostræ.

4. *Hic vero.* In ea scilicet P. Africani monumenti eversione.

XXXIX. 1. *At hoc solum.* Transitio vivida est qua partem orationis occupat, qua de Mercurii signo per vim Tyndaritanis erepto, summoque hujus urbis magistratu, in ærea Marcelli statua deligato et dilacerato agitur. Prima crimina Verres summa quidem impudentia commisit, nunc vero plus quam furta sunt, nec tantum impudentia, sed feritas vere et mira animi impotentis audacia inest.

neficio positum simulacrum Mercurii, pulcherrime factum, sustulisti? At quemadmodum, dii immortales! quam audacter! quam libidinose! quam impudenter! Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, homines honestissimos ac principes civitatis, Mercurium, qui sacris anniversariis[2] apud eos ac summa religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta, Tyndaritanis non solum suæ victoriæ, sed etiam illorum fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset, hujus vi, scelere, imperioque esse sublatum: qui ut primum in illud oppidum venit, statim, tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset; tamquam hoc senatus mandasset, populusque romanus jussisset; ita continuo, signum ut demolirentur, et Messanam[3] deportarent, imperavit.

Quod quum illis, qui aderant, indignum, qui audiebant, incredibile videretur; non est ab isto, primo illo adventu, perseveratum: discedens mandat proagoro[4] Sopatro, cujus verba audistis, ut demoliatur: quum recusaret, vehementer minatur: ita tum ex illo oppido proficiscitur. Proagorus refert rem ad senatum[5]: vehementer undique reclamatur. Ne multa: iterum iste aliquanto post ad illos venit, quærit continuo de signo. Respondetur ei, senatum non permittere; pœnam capitis[6] constitutam, si injussu senatus quisquam attigisset: simul religio commemo-

2. *Sacris anniversariis.* In cujus honorem quotannis diem festum summa cum religione celebrabant.

3. *Messanam.* Qua urbe navem illam onerariam sibi seposuerat, ad furta omnia Romam deportanda.

4. *Proagoro.* Summo scilicet Tyndaritanorum magistratui; nam infra his verbis orator utitur.

5. *Ad senatum.* Hic et in sequentibus intelligendus est senatus Tyndaritanus.

6. *Pœnam capitis constitutam, si quisquam.... attigisset.* Summa legum severitate in eos cautum erat, apud Tyndaritanos, qui non modo deum, sed quæ sacrificiorum usu essent deo consecrata, violarent.

ratur. Tum iste : Quam mihi religionem narras? quam pœnam? quem senatum? vivum te non relinquam; moriere virgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad senatum refert istius cupiditatem, minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus perturbatusque discedit. Ille prætoris arcessitus nuntio, rem demonstrat[7]: negat ullo modo fieri posse.

XL. Atque hæc (nihil enim prætermittendum de istius impudentia videtur) agebantur in conventu palam[1], de sella, ac de loco superiore. Erat hiems summa; tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida; imber maximus : quum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, præcipitem[2] in forum dejiciant, nudumque constituant. Vix erat hoc plane imperatum[3], quum illum spoliatum, stipatumque lictoribus videres. Omnes ideo putabant, ut miser atque innocens virgis cæderetur : fefellit hæc homines opinio : virgis iste cæderet[4] sine causa socium populi romani, atque amicum? Non est usque eo improbus; non omnia sunt in eo uno vitia; numquam fuit crudelis : leniter

7. *Rem demonstrat.* Id est, narrat prætori, re ad senatum iterum delata, nullo modo illud fieri posse; senatum dato nullo responso discessisse: itaque non licere ei statuam illam e sede sua deturbare. Quanta fuerit prætoris audacia inde facile patet, qui non tanto Tyndaritani senatus in ipsum consensu commotus, non a proposito discesserit.

XL. 1. *In conventu palam.* In foro Tyndaritano, ubi quum præter jus dicere solitus esset, negotiatores convenire consueverant. — *De sella.* Stabat enim Verres in sella eburnea more magistratuum romanorum.

2. *Præcipitem in forum dejiciant.* Id est, inopinantem in forum raptim detruderent.

3. *Plane imperatum.* Multi edd. *plane etiam imperatum.*

4. *Virgis iste cæderet.* Ironice in Verrem. Inde quanta fuerit prætoris crudelitas maxime apparet; quippe qui arte etiam in supplicio exigendo sit usus; non enim usitatum hoc pœnæ genus est, hominem perfrigida tempestate nudum in ænea statua religare, divaricatis cruribus, simulque præbere ceteris deridendum.

hominem clementerque accepit. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuæ, sicuti fere ceteris in oppidis Siciliæ : ex quibus iste C. Marcelli [5] statuam delegit, cujus officia in illa civitate totaque provincia recentissima erant et maxima : in ea Sopatrum, hominem tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum, divaricari [6] ac deligari jubet.

Quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, quum esset vinctus nudus[7] in ære, in imbri, in frigore. Neque tamen finis huic injuriæ crudelitatique fiebat, donec populus atque universa multitudo, atrocitate rei misericordiaque commota, senatum clamore coegit, ut ei simulacrum illud Mercurii polliceretur. Clamabant fore [8], ut ipsi sese dii immortales ulciscerentur : hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens senatus ad istum venit; pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, quum jam pæne obriguisset, vix vivus aufertur.

XLI. Non possum disposite [1] istum accusare, si

5. *C. Marcelli.* Qui Siciliæ paullo ante præfuerat. Duplex hic prætoris crimen arripuit orator, quod primum virum innocentem, civitatisque sociæ summum magistratum supplicio infami affecerit; deinde quod ad supplicium exigendum statua præstantissimi viri sit usus. Quid enim turpius Marcellis, quam statuam suam in supplicii instrumento ab insano prætore fuisse conversam !

6. *Divaricari.* Apertis extendi cruribus; ductum ab iis qui naturæ vitio adeo sunt pedibus discretis et in se contractis, ut eos in diversum habeant separatos, dicti latine, *vari.*

7. *Nudus in ære.* Nudus in equo æneo vinctus; MSS quidam habent *aere*, sed hoc affinitate pro *ære* scriptum est, et *ære* legendum esse locus satis per se indicat.

8. *Clamabant fore.* Grut. vocem hanc *clamabant*, tamquam additam rejicit. Frustra.

XLI. 1. *Disposite.* Distincte, ordinatim. Non possum orationem meam ita apte distinguere, ut singula crimina locum suum obtineant; hoc autem dicit, quia crimen illud ad sequentem librum, qui de suppliciis inscribitur, pertinebat. Sed adeo multa sunt Verris crimina, ut quamvis summo artificio ad ea disponenda utar, attamen sæpius aliud cum alio tantam habeat affinitatem, ut ab eo sejungi ac separari non possit.

cupiam : opus est non solum ingenio, verum etiam artificio quodam singulari. Unum hoc crimen videtur esse, et a me pro uno ponitur, de Mercurio Tyndaritano : plura sunt; sed ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum, quod signum a sociis pecuniæ magnæ sustulit; est peculatus[2], quod publice populi romani signum, de præda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitavit auferre; est majestatis, quod imperii nostri gloriæ rerumque gestarum monumenta evertere atque asportare ausus est; est sceleris, quod religiones maximas violavit; est crudelitatis, quod in hominem innocentem, in socium nostrum atque amicum, novum ac singulare supplicii genus excogitavit.

Illud vero quid sit, jam non queo dicere; quo nomine appellem [3], nescio, quod in C. Marcelli[4] statua. Quid est hoc? patronusne quod erat? Quid tum? quo id spectat? utrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium atque hospitum valere debebat? an tu hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis præsidii nihil esse? Quis hoc [5] non intelligeret, in improbi præsentis imperio majorem esse vim, quam in bonorum absentium patrocinio? An vero [6] ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? Detra-

2. *Est peculatus*. Hic locus ostendit, quid inter peculatus et repetundarum crimen intersit. Illo tenetur qui rem populi romani, hoc vero, qui rem sociorum et provincialium avertit.

3. *Quo nomine appellem*. Frequenter illud oratoris artificium occurrit, quo rem graviorem efficit. Videtur enim ita sceleris magnitudine territus, ut nomen etiam ei imponere non valeat; et hac exspectatione judicum animos magis in reum accendit.

4. *Quod in C. Marcelli statua*. Subaud. *hic*, *factum sit*, aut *Sopatrum deligari jusserit*.— *Quid hoc est?* Cur ad hoc potissimum Marcelli statua est delecta? — *Patronus*. Siciliæ patrocinium Marcellorum gens susceperat.

5. *Quis hoc*. Sed vel absque illa tua in Marcellos injuria, quis est qui non intelligeret, etc.

6. *An vero*. Nonne autem potius ex hoc tuo facto designatur, quanta fuerit animi tui impudentia.

here[7] videlicet aliquid te de amplitudine Marcellorum putasti. Itaque nunc Siculorum Marcelli non sunt patroni: Verres in eorum locum substitutus est.

Quam in te tantam virtutem esse, aut dignitatem arbitratus es, ut conarere clientelam tam illustrem, tam splendidæ provinciæ, transducere ad te, auferre a certissimis[8] antiquissimisque patronis? Tu ista stultitia, nequitia, inertia, non modo totius Siciliæ, sed unius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore[9] in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quærebas? quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? An vero id, quod accidit? Nam Tyndaritani statuam istius[10], quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi poni jusserat, deturbarunt, simul ac successum isti audierunt.

XLII. Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum judicem, ut, cujus ad statuam Siculi, te prætore, alligabantur, ejus religioni te eumdem vinctum adstrictumque dedamus. Ac primo, judices, hoc signum Mercurii dicebat iste Tyndaritanos C. Marcello huic Æsernino[1] vendidisse; atque hoc sua causa etiam Marcellum ipsum sperabat esse dicturum: quod mihi numquam verisimile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliæ, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. Verumtamen

7. *Detrahere.* Jam sane Marcellos elevare consilium habebas, qui postea in eorum locum te supponere es aggressus, quum præclara tua Verrea in locum Marcellorum instituenda et celebranda curavisti.

8. *Certissimis.* Ornatissimis scilicet, et qui clientes numquam desererent.

9. *Tu ex illius honore.* Tu volebas ut illa statua, quæ in illius honorem fuerat posita, fieret instrumentum supplicii in eos, qui hanc illi statuam posuerant.

10. *Statuam istius.* Verris scilicet. — *Propter.* Juxta Marcellorum statuas.

XLII. 1. *Æsernino.* Ex urbe Æsernia. Hoc additur, ut eum ab altero Marcello secernat, qui paullo ante Siciliam provinciam obtinuerat.

ita res mihi tota prævisa[2] atque præcauta est, uti, si maxime esset inventus, qui in se suscipere istius culpam crimenque cuperet, tamen is proficere nihil posset: eos enim testes deduxi, et eas literas deportavi, ut de istius facto dubium nemini esse posset.

Publicæ literæ sunt, deportatum esse Mercurium Messanam sumptu publico: dicunt, quanti[3]; præfuisse huic negotio publice legatum Poleam: quid? is ubi est? Præsto est; testis est. Proagori Sopatri jussu: quis est hic? Qui ad statuam adstrictus est: quid? is ubi est? Testis est; vidistis hominem, et verba ejus audistis. Demoliendum curavit Democritus gymnasiarchus[4], quod is eo loco[5] præerat: quid? hoc nos dicimus? imo vero ipse præsens; Romæ nuper ipsum esse pollicitum, sese id signum legatis esse redditurum, si ejus rei testificatio tolleretur, cautumque esset, eos testimonium non esse dicturos. Dixit hoc[6] apud vos Zosippus, et Hismenias, homines nobilissimi, et principes Tyndaritanæ civitatis.

XLIII. Quid? Agrigento[1] nonne ejusdem P. Sci-

2. *Prævisa.* Codd. reg. et edd. plures *provisa*, quod Grævius Garatoniusque prætulerunt.

3. *Dicunt quanti.* Eædem literæ declarant quanto sit pretio deportatus. — *Proagori.* Dicunt etiam Mercurium Messanam Sopatri jussu fuisse deportatum.

4. *Gymnasiarchus.* Gymnasium, locus apud Græcos erat, in quo juventus luctabatur, discum jaciebat, et aliis hujuscemodi rebus exercebatur. In gymnasiis etiam postea confabulari philosophi cœperunt; quare ea, delectationis et exercitationis gratia primum a Græcis fuisse instituta, ait Cicero, Orat. II, cap. 5. Qui gymnasio præpositus erat, is gymnasiarchus dicebatur. Vir erat inter præcipuos suæ civitatis, nec semel eligebatur; sed qui optime gymnasium administrasset, is sæpius ei præficiebatur.

5. *Eo loco.* Gymnasio scilicet. Mos erat apud veteres, loca illa ornandi, omni luxus et magnificentiæ apparatu. Signa erant Herculis, Mercurii et Minervæ; sed in primis ea quæ ex Minerva Mercurioque conflata, Hermathenæ dicebantur.

6. *Dixit hoc.* Latini sermonis ratio requirebat *dixerunt;* sed nullis in MSS occurrit, et simile quoddam, in ipso Cicerone occurrit, Brut. 15.

XLIII. 1. *Quid? Agrig.* Nova hic incipit narratio, qua nocturna Verris furta narrantur, apud Agrigentinos,

pionis monumentum, signum Apollinis pulcherrimum, cujus in femine[2], literulis minutis argenteis, nomen Myronis[3] erat inscriptum, ex Æsculapii religiosissimo fano sustulisti? quod quidem, judices, quum iste clam fecisset; quum ad suum scelus illud, furtumque nefarium, quosdam homines improbos duces atque adjutores adhibuisset, vehementer commota civitas est. Uno eodem tempore[4] Agrigentini beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum urbis, indicium victoriæ, testimonium societatis[5], requirebant. Itaque ab illis, qui principes in ea civitate erant, præcipitur, et negotium datur quæstoribus et ædilibus[6], ut noctu vigilias agerent ad ædes sacras: etenim iste[7] Agrigenti (credo propter multitudinem illorum hominum atque virtutem, et quod cives romani, viri fortes, ac strenui, et honesti permulti in illo oppido, conjunctissimo animo, cum

Assorinos, Enguinos, Catinenses et Melitenses.

2. *In femine.* Femen (quod rarissime ponitur) pars cruris interior, exterior vero femur dicitur. Non mirum quod sic nomen suum literulis tantummodo opifex inscripserit. Nomen enim suum statuis apponere veteribus haud licebat. Sic Phidias parvulam sui imaginem sub Minervæ clypeo collocarat, quod nomen obtrudere non licitum fuerat.

3. *Myronis.* Jam de hoc celeberrimo opifice supra dictum est; narrat Plinius hoc signum Apollinis a triumviro Antonio sublatum, Ephesiis restituisse divum Augustum, in somnis admonitum.

4. *Uno eodem tempore.* Cod. vet. *uno enim tempore;* quod Græv. et Garaton. probant, ut Ciceroni magis et huic loco conveniens.

5. *Societatis.* Cum populo romano; nam quum signum illud virtute romani ducis recuperatum haberent, testimonium hoc erat eos cum republica consentire, quippe qui muneribus a romanis imperatoribus donarentur.

6. *Quæstoribus et ædilibus.* Nomina romanorum magistratuum in provinciis sæpissime usurpabantur, quorum exemplo similes creabantur magistratus.

7. *Etenim iste.* Hotomannus conjecit, omnem hanc verborum seriem non sedem suam obtinere, eaque putat superius deberi locari, post verba illa, *quum iste clam fecisset.* Sed quum nulla sit quæ pro eo pugnet MSS auctoritas, non loco movenda sunt verba illa; orator enim rationem indicat cur noctu vigiliæ constitutæ sint, et optime verba illa cum ceteris mihi congruere et consentire videntur.

ipsis Agrigentinis vivunt ac negotiantur) non audebat palam tollere, aut poscere, quæ placebant.

Herculis templum est apud Agrigentinos, non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum : ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius (tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi), usque eo, judices, ut rictum ejus [8] ac mentum paullo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent [9]. Ad hoc templum, quum esset iste Agrigenti, duce Timarchide, repente, nocte intempesta [10], servorum armatorum fit concursus atque impetus. Clamor a vigilibus, fanique custodibus tollitur; qui primo quum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati [11], clavis ac fustibus repelluntur. Postea convulsis [12] repagulis, effractisque valvis, demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota urbe percrebruit, expugnari deos patrios, non hostium adventu nec opinato, neque repentino prædonum impetu, sed ex domo, atque cohorte prætoria, manum fugitivorum instructam armatamque venisse.

8. *Rictum ejus.* Multi antea *rictus ejus*, quod barbarum est.

9. *Osculari solent.* Antiquis enim solemne erat deorum simulacra et osculari, et manibus etiam sæpissime contingere, tamquam iis blandirentur, aversosque mollirent animos. Hunc morem expressit Homerus, Iliad. I, 501, ubi Thetis Jovem supplex adit, barbamque et genua manu mulcet. Neque tantum mentum contrectabant, sed et manus ipsas, ut, quum salutantes aliquem dextræ dextram conjungimus. Testatur hunc morem Lucretius, I, 217, de diis vialibus, quorum sedes erant in portis urbium, et quos longius aliquod iter adornantes eo ritu salutabant; « tum, portas propter, ahena Signa manus dextras ostendunt attenuari Sæpe salutantum tactu, præterque meantum ».

10. *Nocte intempesta.* Nocte scilicet media. Sic dicitur, aut quia nihil hac hora agi tempestivum est, aut quia omnia quiescunt et silent.

11. *Mulcati.* Sic omnino legendum, Lambino duce, non *mulctati*. J. V. L.

12. *Convulsis repagulis.* A Timarchide nimirum.

Nemo Agrigenti neque ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non, illa nocte, eo nuntio excitatus surrexerit, telumque, quod cuique fors offerebat, arripuerit. Itaque brevi tempore ad fanum ex urbe tota concurritur. Hora amplius jam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte; quum alii vectibus subjectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. Repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio: dant sese in fugam istius præclari imperatoris nocturni milites: duo tamen sigilla perparvula tollunt, ne omnino inanes ad istum prædonem religionum reverterentur. Numquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant, velut in hac re: aiebant in labores Herculis [13] non minus hunc immanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium, referri oportere.

XLIV. Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea, viri fortes et fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili civitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit; is apud illos habetur deus [1], et religione maxima colitur. Fa-

13. *Labores Herculis.* Sæpius jocos Siciliensium retulit Verres, et nonnumquam insulsos. Ille vero est optimus, et animo placet mirifice. Notum quid sit aper Erymanthius, ab Hercule oppressus; ludit in hoc orator, Verremque, id est, porcum immanem ab Hercule repulsum, non minimum laborum arguit.

XLIV. 1. *Habetur deus.* Postquam a recta veritatis via homines defluxere, deorum parens utilitas fuit, inde innumera deorum veterum cohors. Persæ primi et Ægyptii cultus illos instituere, postea ad græcas latinasque civitates mos ille defluxit. Primum mare venerati sunt, magna deinde flumina, ad rivulos quoque brevi ventum est, quos numinum more consecravere. Narrat F. Ursinus se habere numisma quoddam vetus, quo Chrysas inscribitur, una ex parte, altera vero *Assoru*, pro Assori. Quod vero *Crysas* absque aspiratione sit scriptum, conjicit nomen illud sic scribendum *Crysas*. Frustra, nam contra etymon.

num ejus[2] est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam: in eo Chrysæ est simulacrum, præclare factum e marmore. Id iste poscere Assorinos propter singularem ejus fani religionem non ausus est. Tlepolemo[3] dat Hieronique negotium: illi noctu, facta manu armataque, veniunt; fores ædis effringunt: æditui[4] custodesque mature sentiunt; signum, quod erat notum vicinitati, buccina datur; homines ex agris concurrunt; ejicitur, fugaturque Tlepolemus; neque quidquam ex fano Chrysæ, præter unum perparvulum signum ex ære, desideratum est.

Matris magnæ[5] fanum apud Enguinos est: jam enim mihi non modo breviter de unoquoque dicendum[6], sed etiam prætereunda videntur esse permulta, ut ad majora istius et illustriora in hoc genere furta et scelera veniamus. In hoc fano loricas galeasque æneas, cælatas opere Corinthio[7], hydriasque grandes, simili in genere, atque eadem arte perfectas, idem ille P. Scipio, vir omnibus rebus præcellentissimus, posuerat, et suum nomen inscripserat. Quid jam de isto plura dicam, aut querar? omnia illa, judices, abstulit; nihil in religiosissimo fano, præter[8] vestigia

2. *Fanum ejus*. Hujus fani tres arcus ingentes, ac novem portæ ex quadratis lapidibus hodie supersunt ad radicem Assori montis; ut testatur Fazellius, de Reb. Sic. Decad. I, lib. X.

3. *Tlepolemo*. Quis fuerit ille jam superius dictum, cap. 13.

4. *Æditui*. Lambinus, *æditimi* e Gellio, XII, 10. *Æditui* sunt ii quorum custodiæ, pretiosa quæque, seu argentea, seu aurea vasa sunt commissa. — *Custodes* autem totius templi curam habebant; hi et illi in templo noctu cubabant.

5. *Matris magnæ*. Cybeles. — *Enguinos*. Enguium, aut Enguion, Siciliæ fuit pervetus oppidum, nunc penitus deletum, cujus incolæ Inguini dicti sunt.

6. Alii, *dicendum est*. J. V. L.

7. *Opere Corinthio*. Hoc est, ære Corinthio. De hydriis supra diximus ad cap. 14.—*Simili in genere*. Eodem scilicet artificio, eademque materia perfectas.

8. *Præter vestigia*. Bases scilicet, quæ nunc signis quæ gerebant vacuæ, in perpetuum violatam fuisse religionem testabuntur; sic vestigia sceleris sunt, et quodammodo argumenta Ver-

violatæ religionis, nomenque P. Scipionis, reliquit: hostium spolia, monumenta imperatorum[9], decora atque ornamenta fanorum posthac, his præclaris nominibus amissis, in instrumento ac supellectili C. Verris numerabuntur[10].

Tu videlicet solus vasis Corinthiis delectaris? tu illius æris temperationem[11], tu operum lineamenta solertissime perspicis? hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus[12]? tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis, intelligis et judicas? Vide, ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te, atque istos, qui se elegantes dici volunt, vicerit. Nam quia, quam pulchra essent, intelligebat, idcirco existimabat, ea non ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum atque oppidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta religiosa[13] esse videantur.

XLV. Audite etiam[1] singularem ejus, judices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in his præsertim sacris polluendis, quæ non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem[2] violari fas fuit. Sacrarium

ris audaciæ dici possunt, quippe quibus inscriptum nomen Scipionis manserit, quod simul et datum a Scipione, et ablatum a Verre signum profitetur.

9. *Imperatorum*. Qui victis hostibus, illa Siculis concesserant. — *Nominibus amissis*. Nam nomina ducum qui statuas dono dederant basi inscripta Verres reliquerat. — *Instrumento*. Plus instrumentum est, quam supellex; illa enim hoc continetur.

10. *Numerabuntur*. Reg. Franc. et Veneta *nominabuntur*.

11. *Temperationem*. Mixturam scilicet ex auro argentoque et ære. Cf. ad hoc Plin. lib. XXXIV, cap. 3.

12. *Humanissimus*. Homo omni urbanitatis flore excellens, et tam acuti judicii.

13. *Religiosa*. Id est, religioni diisque dicata, quæ igitur homines, tamquam consecrata longo sacrorum usu deberent venerari.

XLV. 1. *Audite etiam*. Novum hic aggreditur orator Verris facinus, quo deos nunc etiam duplici scelere violavit, primum quoniam a signi ipsius aspectu viri arcebantur, deinde quia violentas manus deorum simulacro injecerit. — *Sacris*, h. e. negotiis longa populorum veneratione consecratis.

2. *Ne cogitatione quidem*. Sacra

Cereris est apud Catinenses, eadem religione, qua Romæ[3], qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum; quod viri, non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant: aditus enim[4] in id sacrarium non est viris; sacra per mulieres ac virgines confici solent. Hoc signum noctu clam istius servi ex illo religiosissimo atque antiquissimo fano sustulerunt. Postridie sacerdotes Cereris, atque illius fani antistitæ, majores natu, probatæ ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt. Omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique videbatur. Tum iste permotus illa atrocitate negotii, ut ab se sceleris istius suspicio removeretur, dat hospiti suo cuidam negotium, ut aliquem reperiret, quem ea fecisse insimularet; daretque operam, ut is eo crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine. Res non procrastinatur: nam quum iste Catina profectus esset, servi cujusdam nomen defertur. Is accusatur; ficti testes in eum dantur; rem cunctus senatus Catinensium legibus[5] judicat.

animo violat, qui de iis polluendis consilium agit. Itaque Verres deam quibus poterat modis vexavit, et mente animoque fœdavit.

3. *Qua Romæ.* Antiquissimus apud Romanos Cereris cultus erat; hunc enim ab Arcadibus institutum in urbem suam Romulus recepit. Toto orbe præterea Ceres sanctissime venerabatur, quia amissam natam quærendo multas regiones obierat; ibique religiosa monumenta exstructa erant ubi via fessam stetisse fabula narrabat. Ad historiæ veritatem redacta fuit commentitia illa de Cerere fabula. Biblioth. Univ. VI.

4. *Aditus enim.* Ita colebatur, ut si quis mas templum fuisset ingressus, capite multabatur, ut ait Fortunat. Non ubivis tamen tam severis legibus a deæ conspectu viri arcebantur. Namque Pausan. de templo Cereris et Proserpinæ loquitur, in quo viris semel quotannis ingredi licebat. Eadem religione vetabantur aditus in ædem Vestæ, seu Bonæ Deæ. Sic quoque feminis haud erat licitum Herculis, aut Sylvani sacris interesse.

5. *Legibus.* Patriis scilicet, domesticoque instituto. Hæc ait orator, quoniam non usitatum Romæ erat, uti senatus omnis conveniret, quotiescumque de rerum capitalium judicio ageretur. — *Judicat.* Id est, more suo rem cognoscit, et consilio judicium quærit.

Sacerdotes vocantur; ex his quæritur secreto in curia, quid esset factum, quemadmodum arbitrarentur signum esse ablatum. Respondent illæ, prætoris in eo loco servos esse visos : res, quæ esset jam antea non obscura, sacerdotum testimonio perspicua esse cœpit. Itur in consilium; servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur, quo facilius vos hunc omnibus sententiis condemnare possetis. Quid enim postulas, Verres? quid speras? quid spectas? quem tibi aut deorum, aut hominum auxilio putas futurum? Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire, ne orandi quidem causa, fas erat? hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere te religionum jura cogebant? tametsi ne oculis quidem captus[6] in hanc fraudem tam sceleratam ac tam nefariam decidisti : nam id concupisti, quod numquam videras; id, inquam, adamasti, quod antea non adspexeras; auribus tu tantam cupiditatem concepisti, ut eam non metus, non religio, non deorum vis, non hominum existimatio contineret. At ex viro bono audieras, credo, et bono auctore. Qui id potes, qui ne ex viro quidem audire potueris? Audisti igitur ex muliere, quoniam id viri neque vidisse, neque nosse poterant. Qualem porro illam feminam fuisse putatis, judices? quam pudicam, quæ cum Verre loqueretur? quam religiosam, quæ sacrarii spoliandi ostenderet rationem? At

6. *Ne oculis quidem captus*. Quanta fuerit Verris amentia audaciaque demonstrat orator, qui se ad scelus tantum non specie signi quod admiraretur, sed tantum rumore hominum, et fama accinxerit. Vividissime Verrem exagitat; nam quid insanius est, quid minus ferendum quam prætorem populi romani in omnia scelera irruere, quod signum perfectum esse audierit; nec dubitare sanctissimam deam non modo animo, sed et manu contaminare, quoniam impudicæ mulieris verbis animus cupiditate insana est accensus?

minime mirum, quæ sacra per summam castimoniam virginum[7] ac mulierum fiant, eadem per istius stuprum ac flagitium esse violata.

XLVI. Quid ergo[1]? hoc solum auditione expetere cœpit, quum id ipse non vidisset? imo vero alia complura: ex quibus eligam spoliationem nobilissimi atque antiquissimi fani; de qua priore actione testes dicere audistis. Nunc eadem illa, quæso, audite, et diligenter, sicut adhuc fecistis, attendite.

Insula est Melita[2], judices, satis lato ab Sicilia mari periculosoque disjuncta; in qua est eodem nomine oppidum[3], quo iste numquam accessit: quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit. Ab eo oppido non longe, in promontorio, fanum est Junonis antiquum[4]; quod tanta religione semper fuit, ut non modo illis[5] Punicis bellis, quæ in his fere locis navali copia gesta atque versata sunt, sed etiam in hac prædonum multitudine semper inviolatum sanctumque fuerit. Quin etiam hoc memoriæ proditum est[6], classe quondam Masinissæ regis ad eum locum appulsa, præfectum

7. *Virginum*. MSS plures et edd. *virorum*, quod absurdum plane est, quum orator superius dixerit, « a virorum conspectu deam semper arceri ».

XLVI. 1. *Quid ergo?* Vivida transitio, qua judices audientes suscitat. — *Hoc solum*. H. e. signum Veneris.

2. *Insula est Melita*. Diodorus eam a Syracusis abesse ait stadia octoginta. Ejus incolæ felices habebantur, quoniam varias artes exercebant, præsertim telas lineas faciebant, tum tenuitate, tum mollitie insignes; itaque Verres ibi femineas vestes texendas curabat.

3. *In qua est eodem n. opp*. Quod unicum quidem tunc erat, nunc vero præter vicos multos insula quatuor urbes habet egregie munitas.

4. *Fanum est Junonis antiquum*. Duo fuere in insula fana, Junonis alterum in promontorio, alterum Herculis meridiem versus.

5. *Illis Punicis*. Quidam verbum *illis* redundare arbitrati, illud sustulerunt tamquam inane prorsus et inutile. Quod absonum est, etenim rem eo loco auget, tamquam orator diceret bellis illis tam longis tamque gravibus.

6. *Memoriæ proditum est*. Hoc etiam narrat Valer. Maxim. lib. I, cap. 1, et factum illud Masinissæ admirans, ait romano illud magis quam punico sanguini convenire. Rex enim Masinissa punica origine cretus erat.

regium dentes eburneos, incredibili magnitudine, e fano sustulisse, et eos in Africam portasse, Masinissæque donasse. Regem quidem primo delectatum esse munere : post, ubi audisset, unde essent, statim certos homines[7] in quinqueremi misisse, qui eos dentes reportarent. Itaque in his inscriptum literis Punicis fuit : « Regem Masinissam imprudentem accepisse ; re « cognita, reponendos restituendosque curasse ». Erat præterea magna vis eboris, multa ornamenta ; in quibus eburneæ Victoriæ[8], antiquo opere, ac summa arte perfectæ. Hæc iste omnia, ne multis morer, uno impetu atque uno nuntio, per servos Venerios, quos ejus rei causa miserat, tollenda atque asportanda curavit.

XLVII. Pro dii immortales[1] ! quem ego hominem accuso ? quem legibus ac judiciali jure persequor ? de quo vos sententiam per tabellam feretis[2] ? Dicunt legati Melitenses publice[3], spoliatum templum esse Junonis ; nihil istum in religiosissimo fano reliquisse : quem in locum classes hostium sæpe accesserint ; ubi piratæ fere quotannis hiemare soleant ; quod neque prædo violarit antea, neque umquam hostis attigerit,

7. *Certos homines*. Hotomann. intelligit homines rei unius causa paratos ; imo vero apud Ciceronem vir certus est, civis fide dignus, cui rem quampiam tuto committas. — *Imprudentem*. Hoc est, ignorantem sacros illos fuisse.

8. *Eburneæ Victoriæ*. Vid. de eburneis veterum statuis, quæ disseruit Heyne ad calcem primi voluminis Historiæ artis a Winkelmann exaratæ.

XLVII. 1. *Pro dii immortales!* Totum caput illud vivida est transitio ad gravius multoque magis horrendum facinus. Paullulum sistit orator, et fessos tot scelerum narratione animos totis eloquentiæ viribus suscitat ac reficit. Verrem appellat, cum ipso res est, hunc urget oblita scelerum mentione, ne animis fastidium moveat. Vires suas recolligere videtur, ut eum tutius tot male factorum pondere opprimat.

2. *Per tabellam feretis*. Olim judices sententias voce proferebant : at L. Cassius tribunus plebis anno 616 tulit de suffragiis legem, seu tabellariam, qua sancitum est ut deinceps sententiæ per tabellas darentur.

3. *Publice*. Publica auctoritate suæ civitatis donati.

id ab isto sic spoliatum esse, ut nihil omnino sit relictum. Hic nunc aut iste reus, aut ego accusator, aut hoc judicium appellabitur[4]? criminibus enim coarguitur, aut suspicionibus in judicium vocatur? Dii ablati, fana vexata, nudatæ urbes reperiuntur; earum autem rerum nullam sibi iste neque inficiandi rationem, neque defendendi facultatem reliquit; omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus, urgetur confessione sua, manifestis in maleficiis tenetur: et manet etiam[5], ac tacitus facta mecum sua recognoscit.

Nimium mihi diu videor in uno genere versari criminum. Sentio, judices, occurrendum esse satietati aurium animorumque vestrorum. Quamobrem multa prætermittam : ad ea autem, quæ dicturus sum, reficite vos, quæso, judices, per deos immortales! per eos ipsos, de quorum religione jamdiu dicimus; dum id ejus facinus commemoro et profero, quo provincia tota commota est. De quo si paullo altius ordiri, ac repetere memoriam[6] religionis videbor, ignoscite. Rei magnitudo me breviter perstringere atrocitatem criminis non sinit.

XLVIII. Vetus est hæc opinio[1], judices, quæ con-

4. *Appellabitur*. Hic non jam reus est, neque accusator, neque judicium! In judicium enim qui accusat, suspiciones affert quas delere reo liceat; nunc vero, num ita de Verre? Non suspiciones objiciuntur, sed manifesta scelera, omnium Siciliæ civitatum testimonio obruitur: adeo manifestis furtis tenetur, ut neque ea inficiari, neque etiam defendere possit. Itaque non jam reus, sed condemnatus, nec ego accusator, sed potius vindex sum constitutus.

5. *Et manet etiam*. Et sedet adhuc in subselliis, nec in exsilium abit. — *Recognoscit mecum*. Tacitus, dum loquor, furta sua recenset, nec sine animi lætitia secum quas vexavit gentes recolligit. Hoc sensu Virgilius, Æn. VIII, 722, « Dona recognoscit ».

6. *Memoriam*. Historiam, seu recordationem eorum temporum, quibus cultus ille institutus est.

XLVIII. 1. *Vetus est hæc opinio*. Factum grave orator quum sit dicturus, audientium animos præparat et paucis quæ præmittit, studio cognoscendi criminis accendit. Incipit me-

stat ex antiquissimis Græcorum literis atque monumentis, insulam Siciliam [2] totam esse Cereri et Liberæ consecratam. Hoc quum ceteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur. Nam et natas esse has in his locis deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, et raptam esse [3] Liberam, quam eamdem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore; qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliæ nominatur: quam quum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice [4] erumpunt; quas sibi quum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum.

Enna autem, ubi ea, quæ dico, gesta esse memorantur, est loco præcelso atque edito; quo in summo est æquata agri planities [5], et aquæ perennes. Tota

morando quanta veneratione ex omni tempore, Cererem et Proserpinam sint prosequuti Sicilienses. Ex hac enim insula ambæ originem ducunt, et Proserpina in Ennensibus lucis erat, quum eam Pluto rapuit. Nihil suavius est, nihil mollius quam descriptio illa Ennæ et vicini ruris. Locus ille raptum virginis declarare videtur. Descriptio illa hic posita mihi videtur, ut rem variet, fessosque tot facinorum intuitu animos molliori aspectu reficiat.

2. *Insulam Siciliam.* Narratur olim Vulcanum cum Cerere de Siciliæ dominatu contendisse, et arbitram litis hujus fuisse Ennam Oreadem nympham, quæ Vulcanum damnavit. Cui fabulæ locum dedit ipsa loci natura; nam feracissima est Sicilia, et subterraneis scatet ignibus. Ceres in Sicilia regnavit circa primas nascentis mundi ætates, et quum incolas artem serendi docuisset, defunctam eam tamquam deam religiosissime coluerunt.

3. *Raptam esse.* Quod factum Cicero ipse explicat, de Nat. Deor. II, cap. 25.

4. *Vertice.* Crater alio nomine dicitur foramen illud, per quod ignis fumusque erumpunt. Patet ambitu stadiorum viginti; sunt passus bis mille et quingenti. — *Quas sibi.* Inde sæpe Ceres exhibetur facem dextra gerens.

5. *Planities.* Pratum Diodorus vocat. Ciceronem vero et Diodorum reprehendit Cluverius, quod pratum illud, sive æquatam agri planitiem, in ipso Ennæ urbis colle præcelso atque edito in primis, imperite collocarint. Spelunca etiam illa de qua mentio fit, tota est nunc oppleta, et os ejus etiam nunc est ad aquilonem conversum.

vero ab omni aditu circumcisa, atque dirempta est: quam circa lacus lucique sunt plurimi, et lætissimi flores omni tempore anni; locus ut ipse raptum illum virginis, quem jam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propter est spelunca quædam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse; ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu.

XLIX. Propter hujus opinionis vetustatem, quod eorum in his locis vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum [1], mira quædam tota Sicilia privatim ac publice religio est Cereris Ennensis. Etenim multa sæpe prodigia vim ejus numenque declarant; multis sæpe in difficillimis rebus præsens auxilium ejus oblatum est: ut hæc insula ab ea non solum diligi, sed etiam incoli custodirique videatur.

Nec solum Siculi, verum etiam ceteræ gentes nationesque Ennensem Cererem maxime colunt. Etenim, si Atheniensium sacra [2] summa cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore [3] venisse dicitur,

XLIX. 1. *Deorum*. Cererem et Proserpinam intelligit, more Græcorum, qui diis et deabus idem nomen sæpe dabant.

2. *Atheniensium sacra*. Eleusinæ scilicet Cereris mysteria. Celeberrima tota Græcia erant, et quinque annis celebrabantur. Ceres ipsa rituum et cærimonias instituerat, quum natam per omnem terrarum orbem requirens, Eleusim venisset, proximam Athenis urbem. Læta incolarum amico hospitio, terram excolere docuit, et simul sacra sua iis retexit. Græci omnes, et præsertim Athenienses, sacrorum illorum participes esse conabantur. A tenerrima ætate admittebantur; et crimini sibi vertissent, si natorum aliquis sacrorum illorum expers obiisset. Lege antiqua, barbari omnes ab iis arcebantur.

3. *Illo errore*. Quum scilicet totum orbem circumiret, natam requirens. Sunt qui contendant Cereris errores

frugesque attulisse[4], quantam esse religionem convenit eorum, apud quos eam natam esse, et fruges invenisse constat? Itaque apud patres nostros, atroci ac difficili reipublicæ tempore, quum, Tib. Graccho occiso[5], magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mucio, L. Calpurnio consulibus, aditum est ad libros Sibyllinos; in quibus inventum est, « Cererem antiquissimam placari oportere ». Tum ex amplissimo collegio decemvirali sacerdotes[6] populi romani, quum esset[7] in urbe nostra Cereris pulcherrimum et magnificentissimum templum, tamen usque Ennam profecti sunt : tanta enim erat auctoritas et vetustas illius religionis, ut, quum illuc irent, non ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci viderentur.

Non obtundam diutius : etenim jamdudum vereor, ne oratio mea, aliena ab judiciorum ratione, et quotidiana dicendi consuetudine esse videatur. Hoc dico, hanc ipsam Cererem, antiquissimam, religiosissimam,

ab Ægyptiis fuisse desumptos, idemque esse Isidem Ægyptiorum, Cereremque Siciliensium.

4. *Frugesque attulisse.* Nota res; sed duas Cereres Plinius distinguit; Atticam alteram, alteram Siciliensem, seu Ennensem : de agrorum vero serendorum auctore inter scriptores non convenit.

5. *Tib. Graccho occiso.* Quum ille tribunus plebis procacissimus rempublicam legibus vexaret, auctore Scipione Nasica, in Capitolio ab optimatibus est oppressus. — *Aditum est ad libros Sibyllinos.* Scilicet, positi illi in intima Capitolii parte, tantum consulebantur, aut quum factionibus respublica laceraretur, aut quum gravis hostis instaret, aut etiam quum portenta quædam animos terrerent.

6. *Sacerdotes.* Sibyllinorum librorum custodes, sacerdotes dicebantur, quia munus eorum erat, inspectis Sibyllinis libris, sacra facienda, aut piacula diis mittenda imperare. Hinc est quod eos orator sacerdotes appellat; duo primum fuere, deinde ad decem usque provecti sunt, omnes patricii. Sacerdotium illud deinde cum plebe fuit communicatum, et Sulla dictatore, collegium eorum, ex decemvirali, quindecimvirale constitutum est.

7. *Quum esset.* Primum Cereri templum in Italia consecravit Evander. Alterum, de quo hic agitur, magnificentissime a Postumio fuit dictatore ædificatum.

principem omnium sacrorum[8], quæ apud omnes gentes nationesque fiunt, a C. Verre ex suis templis ac sedibus esse sublatam. Qui accessistis Ennam, vidistis simulacrum Cereris e marmore, et in altero templo, Liberæ: sunt ea perampla atque præclara, sed non ita antiqua. Ex ære fuit quoddam modica amplitudine, ac singulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum, quæ sunt in eo fano, multo antiquissimum: id sustulit; ac tamen eo contentus non fuit. Ante ædem Cereris, in aperto ac propatulo loco, signa duo sunt, Cereris unum, alterum Triptolemi, et pulcherrima, et perampla: his pulchritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio atque asportatio perdifficilis videbatur. Insistebat in manu Cereris dextra simulacrum pulcherrime factum Victoriæ[9]: hoc iste e signo Cereris avellendum, asportandumque curavit.

L. Qui tandem istius animus est nunc in recognitione[1] scelerum suorum, quum ego ipse in commemoratione eorum non solum animo commovear, verum etiam corpore perhorrescam? Venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem; versantur ante oculos omnia: dies ille, quo ego Ennam quum venis-

8. *Principem omnium sacrorum.* A Vesta quoque omnium sacrificiorum principium erat. Hæc ante ceteros deos omnes colebatur, ita ut, quum Olympico Jovi litaretur, primam sacrificii partem Vesta obtineret. Cererem vero hic orator vocat sacrificiorum principem: illud mihi ex eo defluxisse videtur, quod eadem dea nominibus diversis Vestæ et Cereris celebrabatur. Sæpe etiam Bona Dea dicitur, parensque omnium deorum. Inde illud ortum duxisse puto, eam esse omnium sacrorum principem, quod deorum parens, et generis humani altrix, prima debitos diis sibi vindicat honores.

9. *Simulacrum pulcherrime factum Victoriæ.* Multi quæsivere quapropter Ceres Victoriam in manu haberet, et aliam alius opinionem protulit; mihi hoc inde venisse apparet, quod in bello, rerum copia, multum confecit ad victoriam.

L. 1. Codd. Cujac. Guelferbyt. Memm. *recordatione.* Videtur e glossa. J. V. L.

sem, præsto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis[2] fuerunt; concio, conventusque civium; in quo ego quum loquerer, tanti fletus gemitusque fiebant, ut acerbissimus tota urbe luctus versari videretur. Non illi decumarum imperia[3], non bonorum direptiones, non iniqua judicia, non importunissimas istius libidines, non vim, non contumelias, quibus operti[4] oppressique erant, conquerebantur: Cereris numen, sacrorum vetustatem, fani religionem, istius sceleratissimi atque audacissimi supplicio expiari volebant; omnia se cetera pati ac negligere dicebant. Hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus[5], venisse Ennam, et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. Etenim urbs illa non urbs videtur, sed fanum Cereris esse: habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur; ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes[6] accolæ atque antistites Cereris esse videantur. Ennæ[7] tu simulacrum Cereris tollere audebas? Ennæ tu de manu Cereris Victoriam deripere, et deam deæ detrahere conatus es? quorum nihil violare, nihil attingere ausi

2. *Infulis ac verbenis*. Quo habitu sacra facere solent. Infula erat, lanea fascia caput amplexans, a cujus utroque latere vittæ dependebant. Festus, infulam propriam fuisse, templi, hostiæ, atque sacerdotum. — *Verbenis*. Non consentiunt inter se scriptores de verbi hujus sensu; alii enim herbæ genus quoddam, alii latius eam vocem patere existimant, et pro quavis alia herba vel etiam arbore eam intelligunt.

3. *Decumarum imperia*. Decumas contra jus et æquum imperatas. Elate quidem locus ille sumitur, ut scelus Verris per religionem augeat. Nam profecto Sicilienses, non minus ablatas a se opes, quam rapta deorum simulacra querebantur.

4. *Operti*. Græv. e codd. recepit *vexati*, quod forte glossema est. J. V. L.

5. *Orcus*. Pro Plutone sumitur; magis tamen poetis hæc vox est accommodata quam pedestribus scriptoribus.

6. *Omnes accolæ*. Dictum hic pro populares concivesque Cereris. Quemadmodum enim urbs non urbs videtur, sed fanum, cives, non jam cives Ennæ, sed ipsius deæ sacerdotes et concives dici possunt.

7. Ernest. *Enna*. J. V. L.

sunt, in quibus erant omnia, quæ sceleri propiora sunt, quam religioni. Tenuerunt enim P. Popillio, P. Rupilio consulibus, illum locum servi[8], fugitivi, barbari, hostes : sed neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum; neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu a jure et a legibus; neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus; neque illi tam hostes hominibus, quam tu diis immortalibus. Quæ deprecatio est igitur ei reliqua, qui indignitate servos, temeritate fugitivos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit?

LI. Audistis Theodorum, et Numinium, et Nicasionem, legatos Ennenses, publice dicere, sese a suis civibus hæc habere mandata, ut ad Verrem adirent, et eum simulacrum Cereris et Victoriæ reposcerent; id si impetrassent, tum ut morem veterem Ennensium conservarent, publice in eum, tametsi vexasset Siciliam, tamen, quoniam hæc a majoribus constituta[1] accepissent, testimonium ne quod dicerent: sin autem ea non reddidisset, tum ut judicio adessent, tum uti de ejus injuriis judices docerent, sed multo maxime de religione quererentur. Quas illorum querimonias nolite, per deos immortales, asper-

8. *Servi, fugitivi.* Indicat hic orator civile bellum quod in Sicilia Rupilius, ab Euno et Clœone motum, confecit. Servi igitur fugientes, et dominis suis infensi, parta armis libertate locum eum tenuerant, quem postea Verres obtinuit. Ii tamen quamvis omnibus inimicissimi, sacris illis pepercerant, quæ postea prætor turpissimorum virorum contactu immundo violare non dubitavit. Hanc orator occasionem arripit, Verremque cum servis vivide confert. Attamen fatendum est locum illum, multo magis Seneca quam Cicerone dignum videri. Perpetuo ludit in vocibus orator, quarum invicem alteram alteri opponit, ut aliquod inde lumen eliciat. Non arridet hic illud ingenii dormitantis acumen, quod neque oratori, neque judicibus, neque rei tam atroci convenit. « Singula quæque locum teneant sortita decentem. »

LI. 1. *Majoribus constituta.* Lambin. et Hottom. *instituta* dederunt, quod Græv. probat, quoniam in regg. codd. occurrit.

nari; nolite contemnere ac negligere, judices. Aguntur injuriæ sociorum; agitur vis legum; agitur existimatio[2], veritasque judiciorum. Quæ sunt omnia permagna; verum illud maximum: tanta religione obstricta tota provincia est, tanta superstitio[3] ex istius facto mentes omnium Siculorum occupavit, ut, quæcumque accidant publice vel privatim incommoda, propter eam causam scelere istius evenire videantur. Audistis Centuripinos, Agyrinenses, Catinenses, Herbitenses, Ennenses, complures alios, publice dicere, quæ solitudo esset in agris, quæ vastitas, quæ fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. Ea tametsi[4] istius multis et variis injuriis acciderunt; tamen hæc una causa in opinione Siculorum plurimum valet, quod, Cerere violata, omnes cultus, fructusque Cereris in his locis interiisse arbitrantur. Medemini religioni sociorum, judices; conservate vestram[5]. Neque enim hæc externa vobis est religio, neque aliena: quod si esset, si suscipere eam nolletis, tamen in eo, qui violasset,

2. *Agitur existimatio.* Sæpissime judices admonet orator, populum senatoria judicia injuria arguere. Nunc etiam, ut sæpe alias, demonstrat eos in manu sua habere, num postea invisi sint aut dilecti populo, num judicia æqua aut injusta in posterum habebuntur.

3. *Tanta superstitio.* Siculorum religio ab illo Verris facto in superstitionem conversa est. Vox illa *superstitio* a *supersto* defluit, et indicat aliquid quod legitimum in religione modum transgreditur. — *Istius facto.* Franc. non male forsan, *ex istius furto.* — *Propter eam causam.* Lambin. verba illa delet; Hottom. vero ea rejicit quæ sequuntur, *scelere istius.* Uterque vero nobis errare videtur, quod voces illæ majorem orationi vim addunt. Usitatum et solemne apud veteres erat diis iratis referre, quidquid mali respublica patiebatur. Sic Hor. III, 6, ait, « Dis te minorem quod geris, imperas: Hinc omne principium; huc refer exitum. Di multa neglecti dederunt Hesperiæ mala luctuosæ ». Sic quoque Cicero clades bello punico acceptas, neglectæ religioni tribuit.

4. *Ea tametsi.* Græv. Grutero auctore, *et tametsi.* Male.

5. *Conservate vestram.* Puniendo, et expiando scelus illud quo Ceres, quæ apud vos colitur, est violata.

sancire[6] vos velle oporteret[7]. Nunc vero in communi omnium gentium religione, inque his sacris, quæ majores nostri ab exteris nationibus adscita atque arcessita coluerunt, quæ sacra, ut erant re vera, sic appellari Græca[8] voluerunt; negligentes ac dissoluti si cupiamus esse, qui possumus?

LII. Unius etiam urbis[1], omnium pulcherrimæ atque ornatissimæ, Syracusarum direptionem commemorabo, et in medium proferam, judices; ut aliquando totam hujus generis orationem concludam ac definiam. Nemo fere vestrum est, quin, quemadmodum captæ sint a M. Marcello Syracusæ, sæpe audierit, nonnumquam etiam in annalibus legerit. Conferte hanc[2] pacem cum illo bello; hujus prætoris

6. *Sancire*. Confirmare, inviolabilemque et intemeratam præstare, pœnas repetendo, ab illo per quem fœdata est. Sancire enim est tamquam sanguine hostiæ consecrare.

7. *Oporteret*. Vir enim bonus quamlibet religionem tuetur; deinde qui probat, aut non ulciscitur, quum posset, scelera quibus deorum violatur majestas, is æque ac scelestus ipse diis invisus habebitur. Hac re judices ad puniendum Verrem acuit, quem si inultum relinquant, iisdem, quibus ipse Verres, pœnis a diis immortalibus urgebuntur.

8. *Appellari Græca*. Vid. pro Cornel. Balbo, cap. 24. Cereris sacrorum originem apud Latinos ad Evandrum refert Dionys. Halic. lib. I.

LII. 1. *Unius etiam urbis*. Hanc accusationis partem orator furtorum apud Syracusanos commissorum narratione concludit. Magnifice urbem illam describit, quam situs loci, gemini portus, numerusque incolarum et opes, inter græcas urbes primo ordine collocarant. Locus hic vere pretiosissimus est rei veritate. Quum describit singulas urbis partes, quidquid mirabile in unoquoque occurrit, depingit, non templorum oblitus quæ sæpissime postea commemorat.

2. *Conferte hanc pacem*. Modus ille contrariis contraria opponendi, qui sæpe, ut supra vidimus, paullo frigidior est, mirabilem hic orationi vim addit, et omnem ingenii subtilitatem explicat: non in verbis enim constat, sed firmo contra nititur fundamento: optime duorum virorum agendi rationem exhibet, quorum alter flagitiis, alter vitiis et flagitiis innotuit. Cicero ipse, in libro qui Orator inscribitur, hunc locum cap. 49 his verbis laudat: « Semper hæc, quæ Græci ἀντίθετα nominant, quum contrariis opponuntur contraria numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, et eum sine industria... Nos etiam in hoc genere frequentes, ut illa sunt in quarto Accusationis, etc. »

adventum, cum illius imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Ac jam illa omitto, quæ disperse a me multis locis dicentur, ac dicta sunt: forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli purum a cæde servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse; portum Syracusanorum, qui tum et nostris classibus et Carthaginiensium clausus fuisset[3], eum, isto prætore, Cilicum myoparoni prædonibusque patuisse. Mitto adhibitam vim ingenuis[4], matresfamilias violatas; quæ tum, urbe capta, commissa non sunt, neque odio hostili, neque licentia militari, neque more belli, neque jure victoriæ. Mitto, inquam, hæc omnia, quæ ab isto per triennium perfecta sunt: ea, quæ conjuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite.

Urbem Syracusas[5] maximam esse Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium[6], sæpe audistis. Est, judices, ita, ut dicitur; nam et situ est quum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari, præclaro ad adspectum: et portus habet prope in ædificatione[7] adspectuque urbis inclusos; qui quum

3. *Clausus fuisset.* Ita natura et armis munitus, ut neque Romanis neque Pœnis patuerit. — *Myoparoni.* Navis erat piratica longa et oneraria.

4. *Ingenuis.* In quos multo gravius peccatur quam in servos aut libertinos, quare vox illa adhibetur quoties Verris scelus amplificare tentat orator.

5. *Urbem Syracusas.* Veteres Syracusas descripsit Rollinus, earumque formam et situm exhibuit: at in eo vir gravissimus erravit, quod mala auctoritate inductus, insulam Achradinæ una serie conjunxerit, et pro insula isthmum obtruserit.

6. *Pulcherrimam omnium.* Non pulcherrimam omnium Græcarum urbium, sed et omnium quæ in orbe terrarum exstant; quod sic intelligendum esse monet locus de Rep. III, 23, quo eam omnium pulcherrimam Cicero, post Timæum, profitetur.

7. *Ædificatione.* Prope intra ipsa mœnia duos habet portus, majorem et

diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et confluunt. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur Insula, mari disjuncta angusto, ponte rursum adjungitur et continetur[8].

LIII. Ea tanta est urbs, ut ex quatuor[1] urbibus maximis constare dicatur; quarum una est ea, quam dixi, Insula: quæ duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque projecta est; in qua domus est, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores uti solent. In ea sunt ædes sacræ complures; sed duæ, quæ longe ceteris antecellunt: Dianæ una; et altera, quæ fuit ante istius adventum ornatissima, Minervæ. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa[2] est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium; qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus esset.

Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est; in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum prytaneum[3], amplissima est curia, templumque egregium Jovis Olympii[4], ceteræque urbis partes una lata via perpetua, multisque trans-

minorem. Major occidentem versus, fauces habet inter insulam et Plemmyrium promontorium; minor autem, qui et portus Laccius vocatur, inter Achradinam et insulam urbi sese insinuat, et majori conjungitur.

8. *Continetur.* Continuatur, sine intervallo est continens.

LIII. 1. *Ex quatuor.* Strabo Syracusis quinque partes adscribit, et iis quæ Cicero commemorat Epipolas addit. Totius urbis circuitus erat 180 stadiorum, vel 22,500 passuum romanorum, quæ septem leucas gallicas æquant.

2. *Arethusa est.* De hoc celeberrimo fonte multa scriptores mirabilia fabulati sunt; quæ, si tanti est, leges narrata apud Cluverium, Sic. Ant. 156.

3. *Prytaneum.* Locus erat apud Græcos, ubi judices magistratusque solebant habere consilium. Hinc dicitur nonnumquam Buleuterium et Curia: ibi Vesta igne perpetuo colebatur; ibique bene de republica meriti cives publico sumptu alebantur. Nulla erat urbs tota Græcia, quæ suum non haberet gymnasium.

4. *Jovis Olympii.* Id est, cui Dionysius detraxit magni ponderis aureum amiculum. Qua de re adi Val. Max. t. I, p. 24 edit. nost. et ibi notam.

versis divisæ, privatis ædificiis continentur. Tertia est urbs, quæ, quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tycha[5] nominata est; in qua et gymnasium amplissimum est, et complures ædes sacræ : coliturque ea pars, et habitatur frequentissime. Quarta autem est urbs, quæ, quia postrema ædificata est, Neapolis[6] nominatur; quam ad summam theatrum est maximum : præterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberæ; signumque Apollinis, qui Temenites vocatur[7], pulcherrimum et maximum : quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre.

LIV. Nunc ad Marcellum revertar, ne hæc a me sine causa commemorata esse videantur : qui quum tam præclaram urbem vi copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua[1] præsertim nihil periculi ostenderetur, delere et exstinguere. Itaque ædificiis omnibus, publicis[2] et privatis, sacris et profanis, sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset. In ornatu[3] urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis : victoriæ putabat esse, multa Romam deportare, quæ ornamento

5. *Tycha.* A græco τύχη, dorice autem τύχα.

6. *Neapolis.* Partem illam 415 ante Christum annis ædificatam fuisse demonstrat Cluverius.

7. *Temenites vocatur.* Sic dicebatur a solitudine extra Syracusarum muros, ubi templum fuerat exstructum. Verbum illud *Temenites*, a τέμενος venit, quod locum desertum, sejunctum, aut deo consecratum significat. Suetonius Tib. c. 74, nos docet Tiberium in extremo vitæ tempore, hunc Apollinem Romam deportandum curavisse, ut bibliothecam novi templi exornaret.

LIV. 1. *Ex qua.* Non metus enim erat, ne rursus arma contra rempublicam caperet, quod in causa fuit, cur Carthago opprimeretur.

2. *Publicis et privatis, sacris et profanis.* Græevius e codd. reg. et ed. Venet. « publicis, privatis, sacris, profanis ». J. V. L.

3. *In ornatu.* H. e. in urbe Roma exornanda.

urbi esse possent; humanitatis, non plane spoliare[4] urbem, præsertim quam conservare voluisset. In hac partitione ornatus[5], non plus victoria Marcelli populo romano appetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit. Romam quæ asportata sunt, ad ædem Honoris[6] atque Virtutis, itemque aliis in locis videmus. Nihil in ædibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano: putavit, si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam[7] ornamento urbi futuram. Syracusis autem permulta, atque egregia reliquit: deum vero nullum violavit, nullum attigit. Conferte Verrem; non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat injuria; sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum et jurisdictionem cum ferro et armis, adventum et comitatum cum exercitu et victoria conferatis.

LV. Ædes Minervæ est in Insula, de qua ante dixi;

4. Græv. Beck. alii, *exspoliare*, auctoritate multorum codd. J. V. L.

5. *In hac partitione ornatus*. Ita partitus est, ait orator, captæ urbis ornamenta, ut non plus deportarit Romam quam Syracusis reliquerit. Egregium sane illud esset humanitatis et temperantiæ exemplum; sed cum historicis hic pugnat orator, et cum Livio præsertim. Nam ille, XXV, 31, testatur urbem diripiendam militi datam, et multa iræ, multa avaritiæ fœda exempla edita fuisse. Ceteras quidem res idem scriptor, cum magna fide compositas fuisse scripsit, sed verbum quidem nullum de hac partitione ornatus tam æqua subjecit. Imo illa addit: ornamenta urbis, signaque quibus abundabant Syracusæ, Romam fuere devecta. Quin direptionem Syracusarum magnam fuisse, testantur ea ipsa quæ subjecit, tamquam factum vellet excusare. Hostium, inquit, illa spolia et parta belli jure. Et paullo inferius addit: Visebantur ab externis ad portam Capenam dedicata a Marcello templa, propter excellentia ejus generis ornamenta. Itaque multo oratorie magis quam vere totum hunc locum Cicero exaravit.

6. *Ad ædem Honoris*. Templum illud prope portam Collinam a Marcello fuit rursus ædificatum testante Cicerone de Leg. II, 58. Livius autem illud primum a Marcello fuisse consecratum testatur.

7. *Domum suam*. Domus Marcelli urbi ornamento futura erat, si quæ ipsa neglexerat ornamenta, in urbe viserentur. Etenim singulorum civium abstinentia publicum civitatis decus efficit. Lambin. sine MSS receperat: « Domui suæ ornamento urbem futuram », malo judicio.

quam Marcellus non attigit, quam plenam atque ornatam reliquit: quæ ab isto sic spoliata atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionum[1] et consuetudinis jura retineret, sed ut a barbaris prædonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestris Agathocli regis[2] in tabulis picta præclare: his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur. Nihil erat ea pictura nobilius; nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur. Has tabulas M. Marcellus, quum omnia illa victoria sua profana[3] fecisset, tamen religione impeditus non attigit: iste, quum illa jam, propter diuturnam pacem fidelitatemque populi Syracusani, sacra religiosaque accepisset[4], omnes eas tabulas abstulit; parietes, quorum ornatus tot secula manserat[5], tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit.

Et Marcellus, qui, si Syracusas cepisset, duo templa se Romæ dedicaturum voverat, id, quod erat ædificaturus, his rebus ornare, quas ceperat, noluit; Verres, qui non Honori, neque Virtuti, ut ille, sed Veneri et Cupidini vota deberet, is Minervæ[6] templum spoliare conatus est. Ille deos deorum spoliis ornare noluit; hic ornamenta Minervæ virginis in meretriciam domum transtulit. Viginti et septem præ-

LV. 1. *Religionum*. Quæ sacris usibus sunt dicata, si non nocent, a victoribus propter divinarum rerum reverentiam servari solent.

2. *Agathocli regis*. De quo vide Justinum lib. XXII et XXIII. Multi male, *Agathoclis regis*.

3. *Profana fecisset*. H. e. jure victoriæ auferre secum et asportare posset, tamquam quæ in urbe capta essent, et ideo pro profanis et jam pollutis rebus possent haberi.

4. *Accepisset*. Reperisset, quum venit Siciliam administraturus.

5. *Tot secula manserat*, *tot bella effugerat*. Reg. *manserant* et *effugerant*. Idem paullo inferius « his rebus ornari noluit ».

6. *Is Minervæ*. Forsan legendum *his;* sensus esset, non dubitavit, pro iis, h. e. ut ea exornaret, templum Minervæ spoliare. Nam redundat *is* sic scriptus; sed quum omnes MSS sic haberent, nihil immutavimus.

terea tabulas pulcherrime pictas ex eadem æde sustulit: in quibus erant imagines Siciliæ regum ac tyrannorum, quæ non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum [7], et cognitione formarum. Ac videte, quanto tetrior hic tyrannus Syracusanus fuerit, quam quisquam superiorum: quum illi tamen ornarint templa deorum immortalium; hic etiam deorum monumenta atque ornamenta sustulerit.

LVI. Jam vero quid ego de valvis [1] illius templi commemorem? Vereor, ne, hæc qui non viderunt, omnia me nimis augere atque ornare arbitrentur: quod tamen nemo suspicari debet, tam esse me cupidum [2], ut tot viros primarios velim, præsertim ex judicum numero, qui Syracusis fuerint, qui hæc viderint, esse temeritati et mendacio meo conscios. Confirmare hoc liquido, judices, possum, valvas magnificentiores, ex auro atque ebore perfectiores nullas umquam ullo templo fuisse. Incredibile dictu est, quam multi Græci de valvarum harum pulchritudine scriptum reliquerint. Nimium forsitan hæc illi mirentur atque efferant: esto; verumtamen honestius est reipublicæ nostræ, judices, ea, quæ illis pulchra esse videantur, imperatorem nostrum in bello reliquisse, quam prætorem in pace abstulisse. Ex ebore

7. *Commemoratione hominum.* Quia imagines illæ omnium quæ tyranni gesserant memoriam in animum revocabant. *Cognitione.* Suave erat Syracusanis longam illam tabularum seriem intueri, et eorum lineamenta et corporis habitum videre, qui jam pridem decesserant.

LVI. 1. *Jam vero quid ego de valvis illius templi commemorem?* In hac templorum parte veteres, omnem luxus et divitiarum apparatum explicabant, et artificio materiaque plerumque erant pretiosissimæ. Testis Virgilius libro Æneidos sexto, ubi opus Dædali depingit.

2. *Tam esse me cupidum.* Id est, adeo Verri infestum et inimicum, ut scelera augendo, modum exsuperem.

diligentissime perfecta argumenta[3] erant in valvis: ea detrahenda curavit omnia. Gorgonis os[4] pulcherrimum, crinitum anguibus, revellit atque abstulit: et tamen indicavit, se non solum artificio, sed etiam pretio quæstuque duci. Nam bullas aureas[5] omnes ex his valvis, quæ erant et multæ, et graves, non dubitavit auferre; quarum iste non opere delectabatur, sed pondere. Itaque ejusmodi valvas reliquit, ut, quæ olim ad ornandum templum erant maxime, nunc tantum ad claudendum factæ esse videantur.

Etiamne gramineas hastas[6]? vidi enim vos in hoc

3. *Argumenta.* Per *argumentum* intelligitur quidquid spectandum proponitur; his onerabantur templorum, ut supra vidimus, valvæ, clypeosque etiam iis ornari docent Homerus et Virgilius.

4. *Gorgonis os.* Medusæ caput, de quo plura videbis Ovid. Metamorph. IV, 752. *Crinitum anguibus;* nonnulli *cinctum*, male.

5. *Bullas aureas.* Intelligitur hic, ut verisimile est, clavorum caput, qui auro instructi valvis erant ornamento.

6. *Gramineas hastas.* Laboravere multi in illo loco commentatores, et omnes ad extremum ignorantiam suam de his verbis professi sunt, aut verba nulla MSS auctoritate immutavere. Olivetus Turn. sequitur qui auctor fuit, has hastas ad id destinatas, ut in campo gramineo sese exercerent Syracusani; quod absonum admodum. Verburgius, Gesnerus et alii etiam opinantur hastas esse gramine circumdatas, quales thyrsi qui pampino erat vestiti; hanc autem opinionem locus ipse errore arguit, quum orator testetur, nihil hic manu hominum fuisse factum, totumque hoc esse naturæ opus. Hotomannus et P. Manutius locum immutavere, et invitis libris omnibus *fraxineas* scripsere *hastas;* quod etiam contra oratorem pugnat, nam hæ quoque manu fuissent hominum elaboratæ. Garatonius hastas myrteas, aut corneas intelligit. Quod quoque nihil in Cicerone testatur. Quam igitur hoc in loco sequemur opinionem, quum omnes illæ, quas supra exposuimus, quadam parte claudicent? Haud ita difficile nobis videtur sensum hic cum superioribus et sequentibus non repugnantem deprehendere. Etenim tria sunt, ait orator, propter quæ visebantur illæ hastæ, quod scilicet neque manu factæ, neque peculiari pulchritudine, sed eximia magnitudine essent; atqui omnes inde supra adnotatæ opiniones corruunt. Nobis sensus hic esse videtur: Non tantum herbas per gramen veteres intelligebant, plantas quoque hoc verbo significabant. Atqui illæ hastæ gramineæ forsan ex altiori planta evenerant, quas ob rei inusitatam proceritatem servaverant Syracusani. Forsan planta illa est quæ gallice dicitur *jonc*, quæque ad maximam altitudinem in meridionali Galliæ parte provehitur. Cum sensu illo omnia nobis videntur congruere; quippe ora-

non minime, quum testes dicerent, commoveri, quod erant hujusmodi, ut semel vidisse satis esset: in quibus neque manu factum quidquam, neque pulchritudo erat ulla, sed tantum magnitudo incredibilis, de qua vel audire satis esset; nimium, videre plus quam semel: etiamne id concupisti?

LVII. Nam Sappho, quæ sublata de prytaneo est, dat tibi justam excusationem, prope ut concedendum atque ignoscendum esse videatur. Silanionis[1] opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo privatus, sed populus potius haberet, quam homo elegantissimus[2] atque eruditissimus Verres? nimirum contra dici nihil potest. Nostrum enim unusquisque, qui tam beati[3], quam iste est, non sumus, tam delicati esse non possumus, si quando aliquid istiusmodi videre volet, eat ad ædem Felicitatis[4], ad monumentum Catuli, in porticum Metelli; det operam, ut admittatur in alicujus istorum[5] Tusculanum; spectet forum ornatum[6], si quid iste suo-

tor Verri furtum illud exprobrat, tamquam dementis animi signum, qui illud concupiverit quod neque pulchritudo, neque ars hominum, sed fortuitus tantum naturæ casus commendabat.

LVII. 1. *Silanionis*. Insignis ille fuit Athenis statuarius, floruitque Alexandri Magni tempore. Vid. Plin. XXXIV, 8.

2. *Elegantissimus*. Qui statuarum lineamenta solertissime perspicit, eaque solerter judicat.

3. *Tam beati*. H. e. tam pecuniosi.

4. *Ad ædem Felicitatis*. Templum illud in secunda urbis regione fuit exstructum. In eo signa præstantissima Praxitelis fuisse memoriæ prodidit Plinius, XXXIV.— *Monumentum Catuli*. Capitolium scilicet, de quo jam egimus. — *Porticum Metelli*. Id est, Macedonici, qui porticum Romæ exstruxit, eamque exornavit Alexandri ejusque præfectorum statuis, quas e Macedonia victor retulerat.

5. *Istorum Tusculanum*. Eorum scilicet qui luxu supra ceteros hoc tempore eminebant, qualis fuit Hortensius et Lucullus, quorum villæ omni deliciarum genere diffluebant. Tusculum notissimum est Romæ oppidum, quo plures nobiles villas suas exstructas habebant.

6. *Forum ornatum*. Ad ludos publicos. *Si quid suorum*. Si Verres aliquid ex suis signis aut tabulis commodare iis, qui tum ædiles erunt, velit. Nonnulli antea excudebant cum

rum ædilibus accommodavit. Verres hæc habeat domi? Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas? Etiamne hujus operarii studia ac delicias, judices, perferetis? qui ita natus est, ita educatus, ita factus et animo et corpore, ut multo appositior ad deferenda[7], quam ad auferenda signa esse videatur.

Atque hæc Sappho sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici vix potest. Nam quum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Græcum pernobile incisum habuit in basi, quod iste eruditus[8] homo, et Græculus, qui hæc subtiliter judicat, qui solus intelligit, si unam literam græcam scisset, certe non sustulisset[9]: nunc enim quod inscriptum est inani in basi, declarat, quid fuerit, et id ablatum indicat.

Quid? signum Pæanis[10] ex æde Æsculapii, præclare factum, sacrum et religiosum, non sustulisti? quod omnes propter pulchritudinem visere, propter religionem colere solebant. Quid? ex æde Liberi simulacrum Aristæi non tuo imperio palam ablatum est? Quid? ex æde Jovis religiosissimum simulacrum Jovis Imperatoris[11], quem Græci Urion nominant, pul-

quibusdam MSS, *spectet eorum ornatum*. Male.

7. *Ad deferenda*. Ita crasso animo et valenti corpore est, ut multo magis sit aptior ad circumferenda hæc opera, quod bajulorum est proprium; quam ad illa domi suæ auferenda. Auferre enim est aliquid, aut emptum, aut quovis alio modo acquisitum, in domum suam portandum curare.

8. *Eruditus homo*. Ironice; nam Verres non Græcorum ingenium et subtile animi acumen, sed corruptos tantum mores et luxuriam hauserat.

9. *Non sustulisset*. Elate; namque quid Verris referebat, utrum basis epigramma græcum necne habuisset; quum, ut superius vidimus, nomen Scipionis Africani, nullo modo fuit impedimento, cur statuam basi impositam raperet.

10. *Pæanis*. Apollinis; sed vox illa potius est poetis usurpata.

11. *Jovis Imperatoris*. Jovem illum Græci Οὔριον dixerunt, quasi qui fines tueretur. Hunc vero Romani imperatorem, nulla græcæ vocis ratione habita nominaverunt; unde nomen illud ei fuit inditum, adhuc incertum: inde forsan venit quod Metellus, prosperos

cherrime factum, nonne abstulisti? Quid? ex æde Liberæ Parium [12] illud caput pulcherrimum, quod visere solebamus, num dubitasti tollere? Atque ille Pæan sacrificiis anniversariis simul cum Æsculapio apud illos colebatur. Aristæus, qui, ut Græci ferunt [Liberi filius], inventor olei esse dicitur, una cum Libero patre apud illos eodem erat in templo consecratus.

LVIII. Jovem autem Imperatorem quanto honore in suo templo fuisse arbitramini? hinc colligere potestis, si recordari volueritis, quanta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum [1] in Capitolio posuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Jovis Imperatoris uno in genere pulcherrime facta: unum illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus [2]; alterum, in Ponti ore [3] et angustiis; tertium, quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit. Illud Flamininus ita ex æde sua [4] sustulit, ut in Capitolio, hoc est, in terrestri domicilio Jovis poneret. Quod

Macedonici belli eventus ei adscribens, cognomento Imperatoris memoriam beneficii ejus consecraverit.

12. Vulg. *parvum*. Lallem. e Cujacii libro et quatuor MSS regiis, *Parinum*. Græviumi sequimur. J.V. L.

LVIII. 1. *Quod ex Macedonia captum*. Hic a Cicerone dissentit Livius, et signum illud, non jam ex Macedonia a T. Quintio Flaminino, sed Præneste a T. Quintio Cincinnato deportatum fuisse contendit. Vid. Tit. Liv. VI, 29, edit. nost. tom. II, p. 298, et ibi not. Lipsius hanc originem huic rei assignat. Notat in basi nomen T. Quintii tantummodo fuisse inscriptum. Inde alii ad T. Quintium Flamininum, alii ad T. Quintium Cincinnatum adscripsere.

2. *Videmus*. Hottom. *vidimus* reposuit, quod, inquit, quoniam conflagratum est Capitolium, de præterito tempore tantum agit orator. Frustra; namque signum illud flammis ereptum sede sua fuerat restitutum, et stabat adhuc, Trajano regnante, ut testatur Plin. Paneg. cap. 5.

3. *In Ponti ore*. Templum Jovi Οὐρίῳ fuit constitutum, inter Bosphorum Thraciæ et Trapezuntem urbem. Propter tanti numinis religionem locus omnis vicinus, sanctus ac consecratus habebatur.

4. *Æde sua*. Templo scilicet quo colebatur.

autem est ad introitum Ponti, id, quum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est. Hoc tertium, quod erat Syracusis, quod M. Marcellus, armatus et victor, viderat; quod religioni concesserat[5]; quod cives atque incolæ Syracusani colere, advenæ non solum visere, verum etiam venerari solebant, id Verres ex templo Jovis sustulit. Ut sæpius ad M. Marcellum revertar, judices, sic habetote: plures esse a Syracusanis istius adventu deos, quam victoria Marcelli homines desideratos. Etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedem[6] illum, summo ingenio hominem ac disciplina, eumque quum audisset interfectum, permoleste tulisse: iste omnia, quæ requisivit, non ut servaret, verum ut asportaret, requisivit.

LIX. Jam illa, quia leviora videbuntur, si hoc loco dicerentur, ideo præteribo; quod iste mensas Delphicas[1] e marmore, crateras ex ære pulcherrimas, vim maximam vasorum Corinthiorum, ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulit. Itaque, judices, hi, qui hospites ad ea, quæ visenda sunt, ducere solent, et unumquidque ostendere, quos illi mystagogos[2] vocant, conversam jam habent demonstrationem suam: nam, ut ante demonstrabant, quid ubique

5. *Concesserat.* Eo abstinuerat, tamquam sancto et inviolabili.

6. *Archimedem.* Geometra nobilissimus, de quo vide Liv. Decad. 3, lib. V; Cicer. de Fin. V, et Val. Max. VIII, 7, tom. II, p. 92 ed. nost.

LIX. 1. *Mensas Delphicas.* Erant abaci marmorei, aut tripodes, sic dicti quia similes erant tripodi, cui Pythia insidebat quum oracula resolveret. Primum Delphis fabricatæ fuere Delphicæ, deinde nomen illud omnibus hujus formæ mensis quolibet loco exirent est impositum.

2. *Mystagogos.* Conflatum ex duobus græcis vocibus verbum; μύστης enim est rei initiatus, et ἀγωγὸς dicitur dux viæ. Apud Græcos erant quoque hujusmodi ductores, qui advenas per quidquid in urbe mirabile erant, traducebant; hi dicebantur ξεναγοί.

esset, ita nunc, quid undique[3] ablatum sit, ostendunt. Quid tum? mediocrine tandem dolore eos affectos esse arbitramini? Non ita est, judices: primum, quod omnes religione moventur, et deos patrios, quos a majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos esse arbitrantur; deinde hic ornatus, hæc opera atque artificia, signa, tabulæ pictæ, Græcos homines nimio opere delectant. Itaque ex illorum querimoniis intelligere possumus, hæc illis acerbissima videri, quæ forsitan nobis levia et contemnenda esse videantur. Mihi credite, judices (tametsi vosmet ipsos hæc eadem audire certo scio), quum multas acceperint per hosce annos socii atque exteræ nationes calamitates et injurias; nullas Græci homines gravius tulerunt[4], nec ferunt, quam hujuscemodi spoliationes fanorum atque oppidorum.

Licet iste dicat emisse se, sicuti solet dicere: credite hoc mihi, judices: nulla umquam civitas tota Asia et Græcia, signum ullum[5], tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis, sua voluntate cuiquam vendidit. Nisi forte[6] existimatis, posteaquam judicia severa Romæ fieri desierint, Græcos homines hæc venditare cœpisse, quæ tum non modo non ven-

3. *Quid undique.* Sic omnes MSS habent; Augustinus vero legit, *quid undeque sit ablatum*: quæ lectio elegantior videtur, at nescio qua auctoritate fretus eam ediderit.

4. *Gravius tulerunt.* Duo libri MSS habent, *gravius fleverunt, ac tulerunt.*

5. *Signum ullum.* Quidam reposuere post hæc *ullam*, ut necessariam vocem, et quæ e MSS nimia cum præcedenti similitudine exciderit.

6. *Nisi forte.* Credibile non est, græcos homines signa tabulasque pictas tum vendere voluisse, ubi judicia minus severa fuere; quum præsertim ea maximo pretio, quum severe judicaretur, undique coemebant. Etenim, quum non metus esset, ne ista artis miracula a prætoribus romanis raperentur, maximi æstimabantur pendebanturque. Nunc vero, quum judicia paullo minus severa sunt, non existimandum est, eos homines signa quæ tanto opere tantisque opibus compararint, vendere nunc, quum multo minus venditentur.

ditabant, quum judicia fiebant[7], verum etiam coemebant; aut nisi arbitramini, L. Crasso, Q. Scævola, C. Claudio, potentissimis hominibus, quorum ædilitates ornatissimas vidimus, commercium[8] istarum rerum cum Græcis hominibus non fuisse; iis, qui post judiciorum dissolutiones ædiles facti sunt, fuisse.

LX. Acerbiorem etiam scitote esse civitatibus falsam istam et simulatam emptionem, quam si quis clam surripiat, aut eripiat palam atque auferat: nam turpitudinem summam[1] esse arbitrantur, referri in literas publicas, pretio adductam civitatem, et pretio parvo[2], ea, quæ accepisset a majoribus, vendidisse atque alienasse. Etenim mirandum in modum Græci rebus istis, quas nos contemnimus, delectantur. Itaque majores nostri facile patiebantur, hæc esse quam plurima apud socios[3], ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent: apud eos autem, quos vectigales, aut stipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant, ut illi, quibus ea jucunda sunt, quæ nobis levia videbantur, haberent hæc oblectamenta et solatia servitutis.

Quid arbitramini Rheginos, qui jam cives romani

7. *Judicia fiebant.* Quum equester ordo integros firmosque præstaret judices.

8. *Commercium.* Ea signa habuere quidem, sed ut commodata tantum, nec ea potuerunt emere; unde facillime liquet perspicere eorum dominos non ea nunc vendidisse Verri, quum Crasso et Claudio illud recusassent.

LX. 1. *Turpitudinem summam.* Quia quum Verres clamitat ubique se signa illa emisse, apud ceteras gentes videntur Siculi nummos habuisse aliquot potiores diis ipsis, longa majorum religione consecratis.

2. *Pretio parvo.* Quale illud quod Hejo solutum Verres pro quatuor pulcherrimis signis contendebat.

3. *Apud socios.* Tria fuere sociorum genera. Alii *socii* dicti fœderati tantum et immunes. *Vectigales,* qui vectigal incertum, quale Sicilia decumas, pendebant; et *stipendiarii,* qui certam pecuniæ summam populo romano quotannis ad certum tempus exsolvere erant coacti. — *Imperio nostro quam ornatissimi,* etc. Facile enim erat ceteris populis agnoscere hac nostra agendi ratione, quanta benignitate socii a nobis administrarentur.

sunt, merere velle[4], ut ab eis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in tauro amittant? ut Satyrum, qui apud illos in æde Vestæ est? ut cetera? quid Thespienses, ut Cupidinis signum, propter quod unum visuntur Thespiæ? quid Cnidios, ut Venerem marmoream[5]? quid, ut pictam, Coos? quid Ephesios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Ajacem, aut Medeam? quid Rhodios, ut Ialysum? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex ære Myronis buculam? Longum est, et non necessarium, commemorare, quæ apud quosque visenda sunt tota Asia et Græcia: verum illud est, quamobrem hæc commemorarim[6], quod existimare vos hoc volo, mirum quemdam dolorem accipere eos, ex quorum urbibus hæc auferantur.

LXI. Atque, ut ceteros omittamus[1], de ipsis Syracusanis cognoscite: ad quos ego quum venissem, sic primo existimabam, ut Romæ ex istius amicis acceperam, civitatem Syracusanam, propter Heraclii hereditatem[2], non minus esse isti amicam, quam Mamer-

4. *Merere velle.* Quo pretio adduci posse Rheginos arbitramini. — *Venus illa auferatur.* MSS fere omnes habent *ne* post *illa*, quæ vero vox omnino redundat, et optimi quique commentatores rejiciendam decreverunt, quos sequuti sumus.

5. *Venerem marmoream.* Est illa Venus tanta Nicomedis æstimatione nobilitata.—*Coos.* Loquitur hic orator de Venere illa quam inchoatam reliquit Apelles, quum mors eum rapuit. — *Alexandrum.* Is ab Apelle pictus, fulmen manu tenens in templo Ephesiæ Dianæ. — *Ialysum.* Eum Protogenes pinxit, septemque in opere illo annos consumpsit. Ialysus Solis nepos erat, ut testatur Cicero de Nat. D. III, 24.—*Paralum.* Is est qui primus longa nave navigasse dicitur.

6. *Commemorarim.* Ernest. *commemorem.* J. V. L.

LXI. 1. *Atque ut ceteros omittamus.* Ultima pars est hujus orationis, qua injurias quibus Verres senatum affecit commemoret, ut eorum Mamertinorumque simul elevet laudationem.

2. *Propter Heraclii hereditatem.* In libro II Actionis secundæ Verris omnem hanc infamiam explicuit, qua urbi hereditatem Heraclio debitam condonavit. Non gratis quidem; namque hoc beneficii nomine, ab iis signa, tabulas pictas, vasaque et toreumata sæpissime exegit, et una die H-S CC millia. Itaque irata illi infestissima-

tinam, propter prædarum ac furtorum omnium societatem; simul et verebar, ne mulierum nobilium et formosarum gratia, quarum iste arbitrio præturam per triennium gesserat, virorumque, quibuscum illæ nuptæ erant, nimia in istum non modo lentitudine[3], sed etiam liberalitate oppugnarer, si quid ex literis Syracusanorum conquirerem.

Itaque Syracusis cum civibus romanis eram; eorum tabulas exquirebam; injurias cognoscebam. Quum diutius in negotio curaque fueram, ut requiescerem, curamque animi remitterem, ad Carpinatii[4] præclaras tabulas revertebar; ubi cum equitibus romanis ex illo conventu honestissimis, illos Verrutios, de quibus ante dixi, explicabam[5]: a Syracusanis prorsus nihil adjumenti neque publice, neque privatim exspectabam; neque erat in animo postulare. Quum hæc agerem, repente ad me venit Heraclius is, qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Jovis fuisset; qui honos apud Syracusanos est amplissimus. Agit mecum, et cum L. fratre meo, ut, si nobis videretur[6], adiremus ad eorum senatum; frequentes esse in curia; se jussu senatus a nobis petere, ut veniremus. Primo nobis fuit dubium, quid ageremus:

que erat Syracusarum gens omnis, nedum furtis faveret.

3. *Lentitudine.* Multi antea *lenitudine*, sed multo melius restitutum *lentitudine;* is enim lentus est, qui non toleranda æquo fert animo. — *Liberalitate.* Studium est hic aucupandæ Verris gratiæ.

4. *Carpinatii.* Is erat cui solvebantur certæ pecuniæ summæ, ut pascuis reipublicæ Siculis uti liceret. At quum inde fœdam cum prætore latrocinii societatem iniisset, nec videri vellet, tantum cum eo commercium furti habuisse, ut rem tegeret, Verris nomini alterum substituit, et Verrutium libris inscripsit. Quod nomen in tabulas relatum nullo modo Cicero invenire potuit cui pertineret, et patuit fraus omnis; quum præsertim literæ litura immersæ et obrutæ essent, ut videre est libro Accusationis II ad cap. 59.

5. *Explicabam.* H. e. excutiebam, fraudemque deprehendere conabar.

6. *Si nobis videretur.* Comis et benigna invitandi ratio, ut, quum concio dimitteretur, aiebant : Si vobis videtur, discedite, Quirites.

sunt, merere velle[4], ut ab eis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in tauro amittant? ut Satyrum, qui apud illos in æde Vestæ est? ut cetera? quid Thespienses, ut Cupidinis signum, propter quod unum visuntur Thespiæ? quid Cnidios, ut Venerem marmoream[5]? quid, ut pictam, Coos? quid Ephesios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Ajacem, aut Medeam? quid Rhodios, ut Ialysum? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex ære Myronis buculam? Longum est, et non necessarium, commemorare, quæ apud quosque visenda sunt tota Asia et Græcia: verum illud est, quamobrem hæc commemorarim[6], quod existimare vos hoc volo, mirum quemdam dolorem accipere eos, ex quorum urbibus hæc auferantur.

LXI. Atque, ut ceteros omittamus[1], de ipsis Syracusanis cognoscite: ad quos ego quum venissem, sic primo existimabam, ut Romæ ex istius amicis acceperam, civitatem Syracusanam, propter Heraclii hereditatem[2], non minus esse isti amicam, quam Mamer-

4. *Merere velle.* Quo pretio adduci posse Rheginos arbitramini. — *Venus illa auferatur.* MSS fere omnes habent *ne* post *illa*, quæ vero vox omnino redundat, et optimi quique commentatores rejiciendam decreverunt, quos sequuti sumus.

5. *Venerem marmoream.* Est illa Venus tanta Nicomedis æstimatione nobilitata.—*Coos.* Loquitur hic orator de Venere illa quam inchoatam reliquit Apelles, quum mors eum rapuit. — *Alexandrum.* Is ab Apelle pictus, fulmen manu tenens in templo Ephesiæ Dianæ. — *Ialysum.* Eum Protogenes pinxit, septemque in opere illo annos consumpsit. Ialysus Solis nepos erat, ut testatur Cicero de Nat. D. III, 24.—*Paralum.* Is est qui primus longa nave navigasse dicitur.

6. *Commemorarim.* Ernest. *commemorem.* J. V. L.

LXI. 1. *Atque ut ceteros omittamus.* Ultima pars est hujus orationis, qua injurias quibus Verres senatum affecit commemoret, ut eorum Mamertinorumque simul elevet laudationem.

2. *Propter Heraclii hereditatem.* In libro II Actionis secundæ Verris omnem hanc infamiam explicuit, qua urbi hereditatem Heraclio debitam condonavit. Non gratis quidem; namque hoc beneficii nomine, ab iis signa, tabulas pictas, vasaque et toreumata sæpissime exegit, et una die H-S cc millia. Itaque irata illi infestissima-

tinam, propter prædarum ac furtorum omnium societatem; simul et verebar, ne mulierum nobilium et formosarum gratia, quarum iste arbitrio præturam per triennium gesserat, virorumque, quibuscum illæ nuptæ erant, nimia in istum non modo lentitudine[3], sed etiam liberalitate oppugnarer, si quid ex literis Syracusanorum conquirerem.

Itaque Syracusis cum civibus romanis eram; eorum tabulas exquirebam; injurias cognoscebam. Quum diutius in negotio curaque fueram, ut requiescerem, curamque animi remitterem, ad Carpinatii[4] præclaras tabulas revertebar; ubi cum equitibus romanis ex illo conventu honestissimis, illos Verrutios, de quibus ante dixi, explicabam[5]: a Syracusanis prorsus nihil adjumenti neque publice, neque privatim exspectabam; neque erat in animo postulare. Quum hæc agerem, repente ad me venit Heraclius is, qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Jovis fuisset; qui honos apud Syracusanos est amplissimus. Agit mecum, et cum L. fratre meo, ut, si nobis videretur[6], adiremus ad eorum senatum; frequentes esse in curia; se jussu senatus a nobis petere, ut veniremus. Primo nobis fuit dubium, quid ageremus:

que erat Syracusarum gens omnis, nedum furtis faveret.

3. *Lentitudine*. Multi antea *lenitudine*, sed multo melius restitutum *lentitudine*; is enim lentus est, qui non toleranda æquo fert animo. — *Liberalitate*. Studium est hic aucupandæ Verris gratiæ.

4. *Carpinatii*. Is erat cui solvebantur certæ pecuniæ summæ, ut pascuis reipublicæ Siculis uti liceret. At quum inde fœdam cum prætore latrocinii societatem iniisset, nec videri vellet, tantum cum eo commercium furti habuisse, ut rem tegeret, Verris nomini alterum substituit, et Verrutium libris inscripsit. Quod nomen in tabulas relatum nullo modo Cicero invenire potuit cui pertineret, et patuit fraus omnis; quum præsertim literæ litura immersæ et obrutæ essent, ut videre est libro Accusationis II ad cap. 59.

5. *Explicabam*. H. e. excutiebam, fraudemque deprehendere conabar.

6. *Si nobis videretur*. Comis et benigna invitandi ratio, ut, quum concio dimitteretur, aiebant : Si vobis videtur, discedite, Quirites.

deinde cito venit in mentem, non esse vitandum nobis illum conventum et locum.

LXII. Itaque in curiam venimus. Honorifice sane consurgitur: nos rogatu magistratus assedimus. Incipit is loqui, qui et auctoritate, et ætate, et, ut mihi visum est, usu rerum antecedebat, Diodorus Timarchides; cujus omnis oratio hanc habuit primo sententiam: Senatum, populumque Syracusanum moleste graviterque ferre, quod ego, quum in ceteris Siciliæ civitatibus senatum populumque docuissem, quid eis utilitatis, quid salutis[1] afferrem, et quum ab omnibus mandata, legatos, literas, testimoniaque sumpsissem, in illa civitate nihil ejusmodi facerem. Respondi, neque Romæ in conventu Siculorum, quum a me auxilium communi omnium legationum consilio petebatur, causaque totius ad me Siciliæ[2] deferebatur, legatos Syracusanorum affuisse; neque me postulare, ut quidquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verris statuam viderem.

Quod posteaquam dixi, tantus est gemitus factus adspectu statuæ et commemoratione, ut illud in curia positum monumentum scelerum, non beneficiorum videretur. Tum pro se quisque, quantum dicendo assequi[3] poterat, docere me cœpit ea, quæ paullo ante commemoravi: spoliatam urbem, fana direpta; ex Heraclii hereditate, quam palæstritis concessisset,

LXII. 1. *Quid salutis.* Salus enim provinciæ erat, ut qui eam tamdiu crudeli vesanoque imperio vexasset, a senatu damnaretur; ut qui locum ejus postea implerent, exemplo ejus edocti, non ita a justitia discederent.

2. *Totius ad me Siciliæ.* Lambin. ex MS *totius provinciæ ad me.*

3. *Quantum dicendo assequi.* Hotom. et Desjard. intelligunt hic oratorem significari voluisse, quantum latine loqui poterant; non enim populi romani magistratibus alia ac latino sermone lingua uti licebat. Quod forsan altius petitum videtur; nam certe locus ille facillime intelligi posset, hoc sensu, quantum verbis scelera prætoris æquare possent.

multo maximam partem ipsum abstulisse; neque postulandum fuisse, ut ille palæstritas diligeret, qui etiam inventorem olei[4] deum sustulisset; neque illam statuam esse ex pecunia publica, neque publice datam; sed eos, qui hereditatis diripiendæ participes fuissent, faciendam statuendamque curasse; eosdem Romæ fuisse legatos, illius adjutores improbitatis, socios furtorum, conscios flagitiorum; eo minus mirari me oportere, si illi communi legatorum voluntati et saluti Siciliæ defuissent.

LXIII. Ubi eorum dolorem ex illius injuriis, non modo non minorem, sed prope majorem, quam ceterorum Siculorum esse cognovi: tum ego meum animum in illos, tum mei consilii negotiique totius suscepti causam rationemque proposui; tum eos hortatus sum, ut causæ communi salutique ne deessent; ut illam laudationem, quam se vi ac metu[1] coactos, paucis illis diebus, decresse dicebant, tollerent. Itaque, judices, Syracusani hæc faciunt, istius[2] clientes atque amici: primum mihi literas publicas, quas in ærario sanctiore[3] conditas habebant, proferunt; in quibus ostendunt omnia, quæ dixi ablata esse, perscripta, et plura etiam, quam ego potui dicere; perscripta autem hoc modo, « Quod ex æde Minervæ

4. *Inventorem olei.* Aristæum scilicet. Frigidior forsan ille videbitur jocus, quum præsertim in Ciceronem redargui posset; nam Verri planum erat respondere, se non odio palæstritarum Aristæi statuam ex Liberi templo detraxisse, sed contra amore eorum, ut unctiores essent, inventorem olei in palæstram statuisse transferendum.

LXIII. 1. *Vi ac metu coactos.* Quod scilicet iis instaret Metellus, Verris amicus ac defensor, successorque ejus in Sicilia.

2. *Istius clientes.* Alludit ad illam Verris infamem superbiam, qua se Siculorum patronum in locum Marcelli collocaverat, statuasque sibi curaverat ædificandas.

3. *Ærario sanctiore.* Romæ sanctius ærarium erat, quo numquam nisi gravissimis reipublicæ temporibus utebantur Romani. Syracusarum ærarium sanctius quoque vocat, ad romani ærarii

hoc et illud abesset, quod ex æde Jovis, quod ex æde Liberi » : ut quisque[4] eis rebus tuendis conservandisque præfuerat, ita perscriptum erat, quum rationem ex lege redderet, et quæ acceperat, deberet tradere, petisse, ut sibi, quod hæ res abessent, ignosceretur; itaque omnes liberatos discessisse, et esse ignotum omnibus. Quas ego literas obsignandas publico signo, deportandasque curavi.

De laudatione[5] autem ratio sic reddita est : primum, quum a Verre literæ aliquanto ante adventum meum de laudatione venissent, nihil esse decretum; deinde, quum quidam ex illius amicis commonerent oportere decerni, maximo esse clamore et convicio repudiatos; posteaquam meus adventus appropinquarit, imperasse eum, qui summam[6] potestatem haberet, ut decernerent; decretum ita esse, ut multo plus illa laudatio mali, quam boni possit afferre. Id adeo, judices, ut mihi ab illis demonstratum est, sic vos ex me cognoscite.

LXIV. Mos est Syracusis[1], ut, si qua de re ad se-

similitudinem. Franc. MS habet : « ærario secretiore conditas ».

4. *Ut quisque.* Ii omnes quibus rerum sacrarum custodia fuerat commissa, quales æditui sunt et custodes, perscripserant ad marginem tabularum se non posse rationem omnium rerum divinarum reddere, quum a Verre ablatæ fuissent.

5. *De laudatione.* Mamertini Syracusanique uni laudationem publicam Verri decreverant. Sæpius orator demonstravit, quam parvi sit ponderis in tanta re Mamertinorum laudatio, qui furtorum omnium aut ministri, aut participes, ea laudibus suis furta celebrabant, quæ ipsi patravissent. Nunc Syracusanorum laudationem aggreditur, quam quoque inanem arguit, quod metu vique sit Syracusanis extorta.

6. *Qui summam potestatem.* Marcellus scilicet, quem non semel orator in hac contra Verrem accusatione pungit obiter.

LXIV. 1. *Mos est Syracusis.* Illud orator adnotat, quia alius erat Romæ ordo proferendi sententiam in senatu. Nam post consularia comitia, consules designati primi sententiam rogabantur; et eorum is prior, qui priore loco esset declaratus. Ante comitia, is qui a censoribus princeps senatus lectus erat; ii deinde quos rogare consulibus videbatur, ita tamen, ut ne prætorium consulari, ædilitium prætorio, tribunitium ædilitio anteferrent. In augurum

natum referatur, dicat sententiam, qui velit. Nominatim nemo rogatur: et tamen, ut quisque honore et ætate antecedit, ita primus solet sua sponte dicere; idque a ceteris ei conceditur. Si quando [2] taceant omnes, tunc sortito coguntur dicere. Quum hic mos esset, refertur ad senatum de laudatione Verris. In quo primum, ut aliquid esset moræ [3], multi interpellant: de Sext. Peducæo, qui de illa civitate totaque provincia optime meritus esset, sese antea, quum audissent ei negotium facessitum, quumque eum publice pro plurimis ejus et maximis meritis laudare cuperent, a C. Verre prohibitos esse; iniquum esse, tametsi Peducæus eorum laudatione jam non uteretur, tamen non id prius decernere, quod aliquando voluissent, quam quod tum cogerentur.

Conclamant omnes, et approbant ita fieri oportere. Refertur de Peducæo. Ut quisque ætate et honore antecedebat, ita sententiam dixit ex ordine. Id adeo ex ipso senatusconsulto cognoscite: nam principum sententiæ [4] perscribi solent. Recita. QUOD VERBA FACTA SUNT DE SEXT. PEDUCÆO [5]. Decernitur. Refertur deinde

vero collegio mos ferme idem ac in syracusano senatu observabatur.

2. *Si quando taceant.* Vetus et plures MSS *sin aliquando taceant.*

3. *Aliquid esset moræ.* Quum cogerentur laudationem decernere, tentaverunt totam hanc diem consulendo eximere. Itaque primum interpellavere de S. Peducæo, qui prætor apud eos fuerat, provinciamque sapientissime administraverat. Is autem post reditum reus factus erat; quo nomine et quo causæ eventu incertum. Verba tamen illa quæ sequuntur, eum absolutum fuisse demonstrare mihi videntur. Inde patet quantum a Verre laudando aversi essent omnium senatorum animi, qui quum de illo ageretur, instaretque Marcellus prætor, rem vocant in consilium omnino extraneam, minimeque ad tempus illud pertinentem, ut Marcelli mandata non palam declinare viderentur.

4. *Principum sententiæ.* Primariorum senatus. Codd. multi *principium sententiæ*, quod nullo modo arridet.

5. *Sext. Peducæo.* Nonnulli MSS post hoc verbum habent, *dicit qui primi suaserint.* Quæ verba omnes commentatores rejicienda curavere. Sensus eorum esset: Senatusconsultum ipsum adnotat nomina eorum qui primi sententiam aperuerint. Sed multo rectius tolluntur.

de Verre: dic, quæso, quomodo? QUOD VERBA FACTA SUNT DE C. VERRE. Quid postea scriptum est? QUUM SURGERET NEMO, NEQUE SENTENTIAM DICERET. Quid hoc est? SORS DUCITUR. Quamobrem? nemo erat voluntarius laudator præturæ tuæ, defensor periculorum tuorum, præsertim quum inire a prætore gratiam posset? nemo: ipsi illi tui convivæ, consiliarii, conscii, socii, verbum facere non audebant. In qua curia statua tua stabat, et nuda filii, in ea nemo fuit, quem ne nudus quidem filius[6] in nuda provincia commoveret.

Atque etiam hoc me docent, ejusmodi senatusconsulto sese fecisse laudationem, ut omnes intelligere possent, non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quæ commonefaceret[7] istius turpem calamitosamque præturam. Etenim scriptum esse ita, « Quod iste virgis neminem cecidisset »; a quo cognoscitis[8] nobilissimos homines atque innocentissimos securi esse percussos: « Quod vigilanter provinciam administrasset »; cujus omnes vigilias in stupris constat adulteriisque esse consumptas. Hoc autem scriptum etiam, quod proferre non auderet reus, accusator recitare non desineret, « Quod prædones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres »; quos etiam intra Syracusanam insulam recepisset. Quæ posteaquam ex illis cognovi, discessi cum fratre e curia, ut, nobis absentibus, si quid vellent, decernerent.

6. *Nudus filius*. Jam sæpius statuam illam impugnavit; hic vero filium Verris depingit, tamquam omni ope destitutum, et necessario etiam vestitu carentem. Jocus hic est, quem multi non acutissimum judicavere.

7. *Commonefaceret*. Ita laudationem suam Syracusani disposuere, ut non Verrem ceteris commendaret gentibus, sed ut staret monumentum, quam turpis, quamque misera ejus prætura fuisset; ipsi ea adscribendo, quorum contraria patravisset.

8. *Cognoscitis*. Multi habent *cognoscetis*, utpote quæ sit sequenti oratione narraturus. Sed nota jam judicibus,

LXV. Decernunt statim : primum, « Ut cum L. fratre hospitium publice[1] fieret, » quod is eamdem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt. Valde[2] hercle te Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligunt; qui cum accusatore tuo satis justam causam conjungendæ necessitudinis putant, quod te accusaturus sit, et quod ad inquirendum in te venerit. Postea decernitur, ac non varie, sed prope conjunctis sententiis, « Ut laudatio, quæ C. Verri decreta esset, tolleretur ».

At vero quum jam non solum discessio[3] facta esset, sed etiam perscriptum, atque in tabulas relatum, prætor appellatur[4]. At quis appellat? magistratus aliquis? nemo. Senator? ne id quidem. Syracusanorum aliquis? minime. Quis igitur prætorem appellat? qui quæstor istius fuerat, Cæsetius[5]. O rem ridicu-

per testes, aut famam erant pleraque Verris flagitia, maximeque atrocia præsertim.

LXV. 1. *Hospitium publice.* Non tantum inter privatos usitata hospitii jura erant, sed etiam inter civitates ipsas: sic senatus populusque romanus hospitia habebat cum regibus in ultimis etiam regionibus.

2. *Valde hercle.* Est profecto quod tibi congratuleris; Syracusani tui revera te diligunt. Ironice dictum.

3. *Discessio.* Inde patet opinionem suam Syracusis eodem modo quo Romæ senatores declarare. Postquam enim omnes oratores verba fecissent, consul, aut, eo absente, princeps senatus, aut qui cum insignibus imperii, hanc sententiam recitabat, quæ reipublicæ maxime idonea ei videbatur: tum eos qui cum eo sentirent, hac parte transire invitabat, et qui aliud mente haberent altera parte se collocare. Inde nata locutio: Discedere in sententiam alicujus; et, In sententiam alicujus ire.

4. *Prætor appellatur.* L. Metellus, qui aderat appellatur, ut nimirum senatus decreto intercedat, ut illud de Verris laudatione tolli non sinat. Sicut enim tribunos plebis Romæ appellare, sic in provinciis ad prætorem provocare jus erat.

5. *Cæsetius.* Multi *Cæcilius* edidere, et eum esse contendunt, in quem Divinatio est scripta. Quæ non verisimilis opinio videtur. Etenim si idem esset ille Cæcilius de quo supra actum est, non certe hoc factum orator omisisset in prima Actione.

lam? o desertum hominem! o desperatum ac relictum a magistratu Siculo! Ne senatusconsultum Siculi homines facere possent, ne suum jus suis moribus, suis legibus obtinere possent, non amicus istius, non hospes, non denique aliquis Siculus, sed quæstor prætorem appellat. Quis hoc vidit? aut quis audivit? Prætor æquus et sapiens[6] dimitti jubet senatum. Concurrit ad me maxima multitudo: primum senatores clamare, eripi sibi jus, eripi libertatem; populus senatum laudare, gratias agere; cives romani a me nusquam discedere. Quo quidem die nihil ægrius factum est, multo labore meo, quam ut manus ab illo appellatore abstinerentur. Quum ad prætorem in jus adissemus, excogitat sane[7] diligenter et caute, quid decernat. Nam ante, quam verbum facerem, de sella surrexit, atque abiit. Itaque tum de foro, quum jam advesperasceret, discessimus.

LXVI. Postridie mane ab eo postulo, ut Syracusanis liceret senatusconsultum, quod pridie fecissent, mihi reddere. Ille enimvero negat; et ait indignum facinus esse, quod ego in senatu græco verba fecissem; quod quidem apud Græcos[1] græce loquutus

6. *Prætor æquus et sapiens.* Acerbe hæc et ironice in Metellum. Is enim, quum omnia Verris furta flagitiaque quodammodo expiasset, subito mutata agendi ratione, partes ejus suscepit acriter; imperavit Syracusanis et ab iis Verris laudationem extorsit; et etiam omnes testes in provincia retinuisset, nisi virtute sua Cicero effecisset, ut ipsi concederet; quæ cuncta sup. in lib. non semel Noster tetigit.

7. *Excogitat sane.* Quas suscepit hac in re partes Metellus, omnino absonæ perridiculæque videntur, eumque optime naso suspendit orator. Quid stultius enim, quam ad aspectum Ciceronis eum subito et inopinato impetu aufugere, responsumque petentes Syracusanos relinquere.

LXVI. 1. *Apud Græcos.* Duo Metellus in Cicerone reprehendit, quod primum verba in senatu græco fecerit, deinde quod græco sermone sit loquutus. Vetitum enim erat magistratibus romanis, alio ac sermone patrio uti. Qui huic legi non obtemperabant, tamquam perditi cives habebantur, qui levitatem græcam externumque eloquium romanæ gravitati imperiique majestati anteferrent.

essem, id ferri nullo modo posse. Respondi[1] homini, ut potui, ut volui, ut debui. Tum multa, tum etiam hoc me memini dicere, facile esse perspicuum, quantum inter hunc, et illum Numidicum[3], verum et germanum Metellum, interesset: illum noluisse sua laudatione juvare L. Lucullum[4], sororis virum, quicum optime convenisset; hunc homini alienissimo a civitatibus laudationes per vim et metum comparare.

Quod ubi intellexi, multum apud illum recentes nuntios[5], multum tabulas non commendatitias[6], sed tributarias valuisse: admonitu ipsorum Syracusanorum impetum in eas tabulas facio, in quibus singula perscripta erant. Ecce autem nova turba atque rixa. Ne tamen istum omnino Syracusis sine amicis, sine hospitibus, plane nudum esse ac desertum putetis; retinere cœpit tabulas Theomnastus quidam, homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant[7]: qui illic ejusmodi est, ut eum pueri sectentur; ut omnes, quum loqui cœperit, irrideant. Hujus tamen insania, quæ ridicula est aliis, mihi tum molesta sane fuit: nam quum spumas ageret in ore, arderent

1. *Respondi homini.* Ut potuit, rixantium more, qui crimen altero crimine refellunt.

3. *Illum Numidicum.* De Q. Metello agitur, qui, postquam Jugurtham duobus fudit præliis Numidiamque perdomuit, Numidicus est appellatus. Consul fuit anno 644, quo etiam triumphavit.

4. *L. Lucullum.* Lucii Luculli pater, qui de Tigrane et Mithridate triumphum egit, quique postea, Servilio prætore accusante repetundarum, est damnatus.

5. *Recentes nuntios.* Lætilium intelligit, quem Verres ad Metellum miserat, ut ejus gratiam sibi conciliaret.

6. *Commendatitias.* Solebant dari prætoribus literæ, quibus opem ferre rogabantur iis qui difficiliora negotia in provincia gerebant. Nonnullas quoque senatus iis mittebat, quum tributum novum imperare deberent. Tributariæ vero illæ dicebantur. Ludit vero in illis hic orator, quæ non tributa provincialibus imperanda esse monerent Metellum, sed eum certiorem facerent, Verrem non immemorem tanti beneficii fore.

7. *Theoractum vocant.* Mutato in contumeliam nomine eum Syracusani, mente dejectum a deo vocant. Notum quo pacto hunc hominem Verres, summum Jovis pontificem creaverit.

oculi, voce maxima vim me sibi afferre clamaret, copulati in jus pervenimus.

Hic ego postulare cœpi, ut mihi tabulas obsignare ac deportare liceret. Ille contra dicere; negare esse illud senatusconsultum [8], in quo prætor appellatus esset; negare id mihi tradi oportere. Ego legem [9] recitare, omnium mihi tabularum et literarum fieri potestatem oportere. Contra ille furiosus urgere, nihil ad se nostras leges pertinere. Prætor intelligens negare sibi placere, quod senatusconsultum ratum esse non deberet [10], id me Romam deportare. Quid multa? nisi vehementius homini minatus essem, nisi legum sanctionem [11] pœnamque recitassem, tabularum mihi potestas facta non esset. Ille autem insanus, qui pro isto contra me vehementissime declamasset, postquam non impetravit [12], credo, ut in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo istius furta Syracusana perscripta erant; quæ ego antea jam ab illis cognoram et acceperam.

LXVII. Laudent te sane jam Mamertini, qui ex tanta [1] provincia soli sunt, qui te salvum velint: ita tamen laudent, ut Heius, qui ejus princeps legationis est, adsit [2]; ita laudent, ut ad ea, quæ rogati erunt, mihi parati sint respondere. Ac ne subito a me opprimantur, hæc sum rogaturus: Navem populo ro-

8. *Senatusconsultum esse*. Metellus declinare cœpit senatusconsulti auctoritatem, quod ad eum appellaverat Cæsetius.

9. *Ego legem recitare*. Corneliam scilicet de repetundis, qua licitum erat accusatori omnia ex provincia auferre, quæ prodesse possint, præter publicanorum literas.

10. *Non deberet*. Propter appellationem quæ facta fuerat.

11. *Legum sanctionem*. Pars illa legis est qua pœnæ continentur in eos qui contra illam egerint.

12. *Non impetravit*. Scilicet ut literæ illæ mihi non darentur.

LXVII. 1. *Qui ex tanta provincia*. MSS et plures edd. *qui ex tota provincia*.

2. *Adsit*. Ut mihi saltem respondeat, quonammodo ærarium ejus expilasti, signaque pulcherrima diripuisti.

mano debeantne[3]? fatebuntur. Præbuerintne, prætore C. Verre? negabunt. Ædificaverintne navem onerariam[4] maximam publice, quam Verri dederunt? negare non poterunt. Frumentumne ab his sumpserit Verres, quod populo romano mitteret, sicuti superiores? negabunt. Quid militum, aut nautarum per triennium dederint? nullum datum dicent. Fuisse Messanam omnium istius furtorum ac prædarum receptricem, negare non poterunt. Permulta multis navibus illinc exportata; hanc navem denique maximam a Mamertinis datam, onustam cum isto[5] prætore profectam fatebuntur.

Quamobrem[6] tibi habe sane istam laudationem Mamertinam; Syracusanam quidem civitatem, ut abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus; apud quos etiam Verrea illa flagitiosa[7] sublata sunt. Etenim minime conveniebat, ei deorum honores haberi, qui simulacra deorum sustulisset. Etiam mehercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si, quum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum et sanctissimum, quod eo ipso die Syracusæ a Marcello captæ esse dicuntur, iidem diem festum Verris nomine agerent, quum iste Syracusanis, quæ ille calamitosus dies reliquerit, ademisset.

3. Gœrenz. ad Cic. Academ. II, 39, conj. *debeant, necne?* Frustra. J.V. L.

4. *Navem onerariam*. Cybeam scilicet, de qua superius multis jam locis egit.

5. *Cum isto prætore*. Grævius vocem illam *prætore* tollendam putat tamquam inanem.

6. *Quamobrem*. Hic rursus in Mamertinorum illam flagitiosam collaudationem invehitur, qua tamen prætor infamia potius quam honore fuit affectus. Quid turpius enim et laudantibus et ipsi qui laudaretur, quum uni ex tot urbibus laudatores essent, quod eos in furtorum ac flagitiorum omnium partem vocaverat.

7. *Verrea flagitiosa*. Vidimus quid sint illa Verrea, quæ Verres ipse a Syracusanis constituenda curaverat. Flagitiosa vocat, tum propter viri naturam in cujus honorem fuerant instituta; tum quia Marcellis debitam sedem Verres hoc pacto usurpaverat.

At videte hominis impudentiam atque arrogantiam, judices, qui non solum Verrea hæc turpia ac ridicula ex Heraclii pecunia[8] constituerit, verum etiam Marcellea tolli imperarit, ut ei sacra facerent quotannis, cujus opera omnium annorum sacra[9] deosque patrios amiserant; ejus autem familiæ dies festos tollerent, per quam ceteros quoque festos dies recuperarant[10].

8. *Ex Heraclii pecunia.* Ad sumptus faciendos, quos ludi, epulæque et cetera poscerent.

9. *Sacra.* Nam quem deum celebrare possint, quum omnia eorum simulacra Verres per vim abstulerit.

10. *Per quam ceteros quoque festos dies recuperarant.* Quum omnia jure belli, Marcello victore, amisissent, quidquid reliquum habuere quodammodo recuperatum urbi videri potuit. Gentem omnem Marcellorum complectitur, quum unus tantum esset nominandus, at hoc pacto sibi gratiam C. Marcelli et Cn. Lentuli Marcellini conciliat. Non mirandum est, quod oratio illa peroratione non concludatur. Omnes enim actiones illæ, continua serie inter se cohærent, et orator, aliud furti et infamiæ genus postquam explicuit, ad aliud subito, nullo adhibito artificio, transgreditur.



M. TULLII CICERONIS

IN C. VERREM

ACTIONIS SECUNDÆ

LIBER QUINTUS

ARGUMENTUM.

Hic liber quintus Accusationis in C. Verrem, et ultimus, est omnium, mea quidem sententia, longe pulcherrimus. Quoties animo mecum retracto tot elegantes libri quarti narrationes de signis ablatis; de pollutis religionibus, violatisque Siciliæ monumentis; quoties venit in mentem quanto animi dolore, quanto impetu orationis explicentur libris superioribus, vel Sthenii calamitas et fuga, vel Philodamorum casus et supplicium; nihil addi jam posse videtur ad illam dicendi elegantiam, et ubertatem, aut ad hanc eloquentiæ vim, et gravitatem. At ubi rejeci oculos ad hunc librum, vere dicam, tunc videtur mihi Tullius consulto et cogitato cetera Verris flagitia tantum attigisse, ut ad hanc ejus in cives romanos crudelitatem fortior accederet; et eam viribus quam integerrimis agitaret. Audacius dicam. Pæne crediderim Tullium in illis exponendis et deplorandis sumpsisse de rivulo, ut in hanc partem de navarchorum et Gavii suppliciis eloquentiæ suæ flumen totum profunderet, atque in rem tam atrocem quidquid in seipso esset oratoriæ facultatis, consumeret; si non cogitarem novas semper orationis «virtutes ex seipso efferre immortalis ingenii beatissima ubertate» virum, «dono quodam providentiæ genitum, in quo totas vires suas eloquentia experiretur».

Nemini dubium erat, quin Verres apertissime versatus esset in omni genere furandi atque prædandi; et quin homo flagitiosissimus et libidinosissimus in manifestis criminibus ita teneretur, ut jam illi nullus defensioni, nullus etiam deprecationi locus relictus esse videretur. At quia provinciale munus magistratuum erat duplex, nempe jurisdictio, et belli administrandi ratio; huc poterat Hortensius defensionem suam convertere, et avaritiæ crimina virtutis imperatoriæ laudibus deprecari. Ergo hanc Tullius arcem adversarii, disjectis ceteris et eversis, hoc libro jam aggreditur: et ut libris superioribus affinxit Verri defensiones, «Quod nempe reipublicæ utilitatis gratia tam magno decumas vendidisset; quod signa, tabulas et cetera Siciliæ monumenta emisset, non eripuisset», quas statim convellit : istum eodem artificio hic impugnat. Fingit causam ita constitui, ut ab

Hortensio virtus istius bellica jactetur; et contendatur ab eodem istum, hoc uno nomine, «quod bonus sit imperator», judicum sententiis eripi oportere. Affictam hanc adversario defensionem Tullius refellit non argumentando, sed longius ducta ironia; ac nihil ei æque opponit, quam lætissimam illam, et æquabiliter in omni narratione fusam, facete dicendi venustatem, qua Verris illa defensio tota risu dissolvitur.

Hæc est prima pars contentionis. At ubi navarchis orator, quæ pars est altera, et civibus romanis, in quos cruciatus serviles admoti sunt, suas lacrymas dat; in ea narratione omnes movet indignationis affectus, odii, invidiæ, misericordiæ, non solum conditione ipsorum; loco injuriæ; genere suppliciorum; sed animi quoque commendatione.

Est itaque tota oratio quadripartita. Primum enim agitur de bello fugitivorum ex Spartaci reliquiis conflato; tum de maritimo bello, quod contra prædones agebatur, qui tum siculum mare infestabant; dein de miserrimo navarchorum supplicio, ac tandem de injusta ac crudelissima civium romanorum nece: et ab hac ultima parte oratio hæc vulgo inscribitur *de Suppliciis*.

Ergo genus hujusce orationis illud est, quod maxime teneat eos qui legunt; et quod maxime sensus nostros impellat et acerrime commoveat; quod non solum delectet, sed etiam horrore perfundat. Hoc et illud efficiunt tum narrationis suppliciorum gravitas et dolor; tum facetæ et salium copia conspersæ irrisionis mira jucunditas, quam adjuvant descriptiones et hypotyposes, quæ hoc in libro crebræ sunt; et quarum ea vis est, ut «sensus intimos acutissime percellant, rem ante oculos ponendo; ita ut geri coram, spectarique potius, quam audiri, videatur». Enimvero quis tam austerus est, ut eum mire non afficiat pulchritudo colorum et varietas, quibus delicatuli imperatoris aut itinera, aut castra stativa depinguntur? Cap. 10, 11. Quis tam procul est a concipiendis rerum imaginibus, ut, quum illa legit, «stetit soleatus prætor populi romani, etc.» non solum ipsum os intueri videatur, et locum, et habitum; sed quædam etiam ex iis quæ dicta non sunt sibi ipse astruat? Quintil. VIII, cap. 3. Rursum quem non commoveat prætor «veniens in foro inflammatus scelere et furore, etc.» Cap. 62. Quem non horrore perfundat suppliciorum in tot innocentes atrocitas, aut indigni-

tas, et illa Sestii lictoris manus, quæ consuetudine jam sponte ad civium corpora ferebatur? Cap. 53. Nonne quum quis ista legit, animum ejus imago quædam et sonus verberum et vocum, et ejulationum circumplectitur? Nonne ex iis affectus sequitur, non aliter quam si rebus ipsis interessemus? A. Gell. X, 3. Sed quum voluptatibus maximis fastidium finitimum sit, et quum ornata sine intermissione oratio, quamvis claris sit coloribus picta, non possit in delectatione esse diuturna; summæ artis fuit, ut haberet illa in dicendo admiratio, ac summa laus, umbram interdum, et intervalla recessus, quibus, variata oratione, fieret, ut ornatus perpetui fastidio occurreretur; et id, quod est illuminatum, exstare magis, et eminere videretur.

Partes hujus orationis sunt, exordium, ad cap. 2; contentio, quæ caput habet duplex; 1° ostendit orator ad cap. 38, neque in bello fugitivorum, neque in bello prædonum ullam Verris virtutem imperatoriam enituisse; contra in utroque bello istum ignave, avare, et libidinose esse versatum; 2° Verris crudelitas in navarchos, et in cives romanos declaratur, ad 68. Huic capiti subjicitur apostropha ad Hortensium et ad judices, 72.

Peroratio hujus libri et totius in Verrem accusationis, cap. 72, fit renovatione criminum Verris, per obtestationem Jovis, deorumque ac dearum omnium, ut pro bello sacrilego, quod eis iste indixit, ipsi pœnas a conscelerato homine repetant, eamque dent mentem judicibus, ut, quæ Ciceronis fides in agenda Verris causa fuit, eadem illorum in judicanda sit. In superioribus narrationibus ita profecto summum apicem duorum affectuum, misericordiæ et odii, magnus orator attigisse videbatur, ut jam affectus, quo progrederetur, ultra non haberet, et in epilogo crescere non posset oratio. At immortalis ingenii vir humano quiddam odio majus reperit; deos ipsos in partem vindictamque vocat; eos nefarium in Verrem suscitat, eos sigillatim obtestatur, ut istum ipsi præcipitem impellant et perditum funditus evertant. Unde non mirum hac perlecta exclamasse doctissimum virum: «Utinam hanc hujusce orationis partem viva voce mihi audire vel a Cicerone, vel a Ciceronis simili liceret!»

Illam Gavii suppliciorum descriptionem, quæ initium ducit a cap. 58, A. Gellius impense admiratur, et confert cum locis duobus summorum superioris ætatis oratorum, in argumento

simili versantium, M. Catonis et C. Gracchi. Hunc locum ex Gellio descriptum hujusce orationis argumento subjecimus, ut quærendi labor rerum istarum studiosis minueretur.

«Fortis ac vehemens orator existimatur esse C. Gracchus: nemo id negat. Sed quod nonnullis videtur severior, acrior, ampliorque esse M. Tullio; ferri id qui potest? Legebamus adeo nuper orationem Gracchi de legibus promulgatis, in qua M. Marium et quosdam ex municipiis italicis honestos viros, virgis per injuriam cæsos a magistratibus populi romani, quanta maxima invidia potest, conqueritur. Verba hæc sunt, quæ super ea re fecit: «Nuper Teanum Sidicinum consul venit; uxor edixit se in balneis virilibus lavari velle: quæstori Sidicino a M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur: uxor renuntiat viro, parum cito sibi balneas traditas esse, et parum lautas fuisse: idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suæ civitatis nobilissimus homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt ne quis in balneis lavisse vellet, quum magistratus romanus ibi esset. Ferentini ob eamdem causam prætor noster quæstores arripi jussit: alter se de muro dejecit: alter prehensus et virgis cæsus est». In tam atroci re, ac tam misera atque mœsta injuriæ publicæ contestatione, quid est quod aut ampliter insigniterque, aut lacrymose atque miseranter, aut multa copiosaque invidia, gravique et penetrabili querimonia dixerit? Brevitas sane et venustas et mundities orationis est, qualis haberi ferme in comœdiarum festivitatibus solet. Item Gracchus alio in loco ita dicit: «Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, unum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia [l. in Asiam] missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens, pro legato. Is in lectica ferebatur: ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit: et per jocum, quum ignoraret qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent». Ubi id audivit, «lecticam jussit deponi: struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit». Hæc quidem oratio super tam violento atque crudeli facinore nihil profecto abest a quotidianis sermonibus. At quum in simili causa, apud M. Tullium cives romani, innocentes viri, contra

jus, contraque leges, virgis cæduntur, aut supplicio extremo necantur, quæ ibi tunc miseratio? quæ comploratio? quæ totius rei sub oculos subjectio? quod et quale invidiæ atque acerbitatis fretum effervescit? animum hercle meum, quum illa M. Ciceronis lego, imago quædam et sonus verberum, et vocum, et ejulationum, circumplectitur. Velut sunt ista quæ de C. Verre dicit: quæ nos, ut in præsens potuimus, quantum memoria suppeditat, adscripsimus. « Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi. Toto ex ore crudelitas eminebat. Exspectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: quum repente hominem proripi, atque foro medio nudari, ac deligari, et virgas expediri jubet ». Jam hæc medius fidius sola verba, « nudari, ac deligari, et virgas expediri jubet », tanti motus horrorisque sunt, ut non narrari quæ gesta sunt, sed rem geri prorsus videas. Gracchus autem non querentis neque implorantis, sed nuntiantis vicem: « palus, inquit, in foro destitutus est: vestimenta detracta sunt: virgis cæsus est ». Sed enim M. Cicero præclare, cum diutina repræsentatione, non « cæsus est », sed, « cædebatur, inquit, virgis in medio foro Messanæ civis romanus; quum interea nullus gemitus, nulla vox illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: civis romanus sum. Hac commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur». Complorationem deinde tam acerbæ rei, et odium in Verrem, detestationemque apud cives romanos incense, atque acriter, atque inflammanter facit, quum hæc dicit: « O nomen dulce libertatis! O jus eximium nostræ civitatis! O lex Porcia, legesque Semproniæ! O graviter desiderata, et aliquando reddita plebi romanæ tribunitia potestas! huccine tandem hæc omnia reciderunt, ut civis romanus in provincia populi romani, in oppido fœderatorum, ab eo qui beneficio populi romani fasces ac secures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? Quid quum ignes ardentesque laminæ ceterique cruciatus admovebantur? Si te acerba illius imploratio, et vox miserabilis non leniebat, ne civium quidem romanorum, qui tum aderant, fletu gemituque maximo commovebare? » Hæc M. Tullius atrociter, graviter, copiose, apteque miseratus est. Sed si quis est tam agresti aure, ac tam hispida, quem lux ista et amœnitas orationis, verborumque modificatio

parum delectat; amat autem priora idcirco, quod incompta, et brevis, et non operosa, sed nativa quadam suavitate sunt, quodque in his umbra et color quasi opacæ vetustatis est: is, si quid judicii habet, consideret in causa pari M. Catonis, hominis antiquioris, orationem: ad cujus vim et copiam Gracchus nec aspiravit: intelliget, opinor, Catonem contentum eloquentia ætatis suæ non fuisse; et id jam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. In eo namque libro, qui *de falsis pugnis* inscriptus est, ita de Q. Thermo conquestus est: « Dixit a decemviris parum sibi bene cibaria curata esse: jussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi: decemviros Bruttiani verberavere: videre multi mortales. Quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest? nemo hoc rex ausus est facere: eane fieri bonis bono genere gnatis boni consulitis? ubi societas? ubi fides majorum? insignitas injurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas, per dedecus atque maximam contumeliam, inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus, te facere ausum esse? sed quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrymarum, quantum fletum factum audivi? Servi injurias nimis ægre ferunt. Quid illos bono genere gnatos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse atque habituros dum viverent? »

Quod Cato dixit, *Bruttiani verberavere:* ne qui fortasse de *Bruttianis* requirat: id significat. Quum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, et aliquot pugnas populus romanus adversas pugnavisset; primi totius Italiæ *Bruttii* ad Hannibalem desciverunt. Id Romani ægre passi, postquam Hannibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, *Bruttios* ignominiæ causa non milites scribebant, nec pro sociis habebant; sed magistratibus in provincias euntibus parere et præministrare, servorum vicem, jusserunt. Itaque hi sequebantur magistratus, tamquam in scenicis fabulis qui dicebantur *lorarii;* et, quos erant jussi, vinciebant, aut verberabant. Quod autem ex Bruttiis erant, appellati sunt *Bruttiani.* Noct. Att. X, 3.

SYNOPSIS.

Post exordium quod fit per insinuationem et totum constat ironia, qua utitur orator, et ad fiduciam suæ causæ ostendendam, et

ad debilitandum adversarium; docetur nullam fuisse Verris operam in bello fugitivorum e Spartaci reliquiis. Nam per totum Verris triennium in Sicilia bellum servile haud fuisse; quum neque ex Italia servi in Siciliam transire potuerint, nec in ipsa insula servis cum telo esse licuerit, omninoque ea fuerint superiorum prætorum instituta, eaque negotiatorum romanorum et siculorum concordia, ut nullum in ipsa provincia malum domesticum nasci potuerit, cap. 2-4. Itaque nihil umquam Verrem de motibus in Sicilia servorum Romam publice conscripsisse. Hic ibi tamen cœptum esse in Sicilia moveri servitium suspicatur; quibus ex motibus Verres quæstum captaverit. Ita Leonidæ servos in suspicionem conjurationis vocatos damnavit, damnatos et jam ad palum alligatos grandi pecunia redemptos domino reddidit, 5. Idem fecit in aliis aliorum servis et villicis, 7. Apollonium Panormitanum, cujus servum conjurasse et alias familias, i. e. alia servitia concitasse dicebat, per octodecim menses in vinculis detinuit, nec nisi grandi pecunia accepta dimisit, 8, 9. Tantum vero abfuit ut Verres providere potuerit, ne bellum in Sicilia oriretur, ut potius in eo omnes imperatoriæ virtutes desiderentur; quod ex ejus vitæ ratione in Sicilia demonstratur, 10-13, cui suam in quæstura siciliensi vitam opponit, 14-16.

Secundo loco quum dici posset Verrem contra bellum prædonum classem habuisse ornatam, in eoque diligentiam ejus singularem fuisse, ostenditur in hoc uno genere omnes inesse culpas ejus maximas avaritiæ, majestatis, libidinis, crudelitatis. Primum enim rem navalem sic administrasse, non uti provincia defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quæreretur. Itaque locupletissimæ civitati Mamertinæ nec navem, nec certum numerum nautarum militumque imperasse; pecuniam vero ab iis accepisse; præterea navem maximam, Cybeam, sibi ædificari ac donari jussisse, qua prædam ex Sicilia deportaret, 17-23. Deinde quum hoc esset in Sicilia institutum, ut sumptum omnem in classem frumento, stipendio ceterisque rebus suo quæque navarcho civitas daret, qui civibus suis rationem referre deberet, Verrem imperasse, ut ea pecunia omnis, a civitatibus sibi adnumeraretur, et ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse præfecisset, 24. Unam piratarum navem non captam, sed inventam esse prope Syracusas, ex qua Verres omnem prædam sibi serva-

verit, et archipiratam pecunia accepta dimiserit, 25-30. Denique quum Cleomenem Siculum, ut liberius ejus uxore frui posset, classi præfecisset, et piratarum naves prope essent, turpi Cleomenis fuga factum esse, ut classis a prædonibus incenderetur, eosque duce Heracleone archipirata portum syracusanum intrasse. Verrem, ejus cladis culpa in navarchos innocentes conjecta, eos proditionis reos fieri jussos in vincula conjecisse, Heraclium autem crudeli supplicio affecisse, 32-52.

Tertia pars orationis versatur in suppliciis, quibus Verres cives romanos affecerat; ubi præter alios quos virgis ceciderat, vel in lautumias conjecerat, vel in carcere interfecerat, præcipue commemoratur et exagitatur immanis erga Gavium Cosanum municipem crudelitas, quem quamvis se civem romanum esse clamaret, cruci affixit, 53-67.

In conclusione orator judices ad severitatem hortatur, Hortensium monet, ut videat et consideret, quo progrediatur, quem hominem et qua oratione defendat; minaturque si præter opinionem reus ex hoc judicio elapsus sit, se non modo eos persequuturum, ad quos maxime culpa corrumpendi judicii, sed etiam illos ad quos conscientiæ contagio pertineat, 68-71. Denique deos deasque omnes, quorum templa et religiones Verres violaverit, implorat et obtestatur, ut Verrem dignus inauditis et singularibus facinoribus exitus hoc judicio consequatur, 72.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN C. VERREM
ACTIO SECUNDA.
LIBER QUINTUS.

DE SUPPLICIIS.
ORATIO DECIMA.

I. Nemini video dubium esse, judices, quin apertissime C. Verres in Sicilia, sacra, profanaque omnia et privatim[1], et publice spoliarit, versatusque sit sine ulla non modo religione[2], verum etiam dissimulatione, in omni genere furandi atque prædandi. Sed[3] quædam mihi magnifica et præclara ejus defensio ostenditur; cui quemadmodum resistam, multo mihi ante est, judices, providendum. Ita enim[4] causa constituitur,

I. 1. *Privatim.* Ut apud Heium, lib. IV, cap. 3. — *Publice.* Ut in templis. Ibidem cap. 57. Vel potius, ut privatus, furtim; ut magistratus, ex imperio et potestate. Ut ipse Cicero ait infr. c. 22.

2. *Religione.* Nunc promiscue tum deorum, tum hominum metum ac pudorem significat.

3. *Sed quædam.* Ironice proponitur adversarii defensio. — *Ostenditur.* Id est, ostentatur.

4. *Ita enim.* Hac enim ratione instituitur Verris defensio. Ita parant, meditanturque defensionem. — *Constitutio causæ*, seu status quæstionis est præcipua quæstio; ratio, argumentum ad quod cetera referuntur. Causa constitui dicitur, quum præcipua illa quæstio proponitur : Verres pecunias contra leges cepit, at provinciam virtute sua servavit. Utrum æquius sit Verrem propter repetundarum crimen damnari, quam propter provinciam conservatam absolvi? Disceptatio est ex juris et æquitatis contentione.

provinciam Siciliam virtute ejus et vigilantia singulari, dubiis formidolosisque temporibus, a fugitivis atque a belli periculis tutam esse servatam.

Quid agam, judices? quo accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? Ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur. Novi locum[5]; video ubi se jactaturus sit Hortensius. Belli pericula[6], tempora reipublicæ, imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur a vobis, tum etiam pro suo jure[7] contendet, ne patiamini, talem imperatorem populo romano Siculorum testimoniis eripi; neve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ[8] velitis.

Non possum dissimulare, judices: timeo, ne C. Verres, propter hanc virtutem eximiam[9] in re militari, omnia, quæ fecit, impune fecerit. Venit enim mihi in mentem, in judicio M'. Aquillii[10] quantum auctoritatis,

5. *Novi locum.* Communem rhetoricum qui præbeat exaggerandi facultatem Hortensio.

6. *Belli pericula.* Significat orator bella duo difficillima, Mithridaticum et Sertorianum, quibus respublica eo tempore distinebatur. De illo, lib. II, cap. 65. De hoc infra.— *Tum deprecabitur.* Id est, atque his omnibus commemoratis, statim *deprecabitur*... atque *etiam*, etc. Notanda occupatio Verris defensionum.

7. *Pro suo jure.* Interpretatur Hottomanus, « pro eo quod, quia civis est, magni sua interest bonos esse imperatores in republica ». Manutius, de dominatione Hortensii in judiciis, quæ jam ei toties objecta est. Grævius, « pro suo jure, est, quod ei licitum et concessum est, inquit, et a nemine potest impediri ». Adstipulatur Manutio Ernest. et ad faciendam invidiam pertinere hanc dicendi formam contendit. Ego malim cum Desjard. explicare: *pro suo jure*, id est, pro jure quod ei dat causæ suæ, ut sibi fingit, bonitas. — *Siculorum.* Contemptim. Id est, provincialium, et græculorum hominum, quorum levis auctoritas apud judices romanos esse debet. Non sine emphasi ex persona Hortensii opponuntur populo romano Siculi, ut ipse Cicero in sequenti oratione Gallorum testimonia elevabit.

8. *Criminibus avaritiæ.* Quæ collata cum laude imperatoria, momenti debent esse aut nullius, aut sane levissimi.

9. *Virtutem eximiam.* Festive; infra enim ostendit neminem umquam ignaviorem fuisse.

10. *In judicio M'. Aquillii.* Meminit Tullius pro Flacco, c. 38, his verbis: « M'. Aquillium patres nostri multis

quantum momenti oratio M. Antonii[11] habuisse existimata sit; qui, ut erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis[12], causa prope perorata, ipse arripuit M'. Aquillium, constituitque[13] in conspectu omnium, tunicamque ejus a pectore abscidit, ut cicatrices populus romanus judicesque adspicerent adverso corpore exceptas; simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce[14] acceperat, multa dixit; eoque adduxit eos, qui erant judicaturi, vehementer ut

avaritiæ criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, judicio liberaverunt». M'. Aquillius consul fuit anno 652. Siciliam proconsul rexit anno 653. Confecto bello fugitivorum, ovans in Urbem ingressus est. Repetundarum ex Sicilia deinde postulatus, M. Antonii oratoris patrocinio est liberatus. De Orat. II, 47. Postea missus in Asiam legatus, ut Nicomedem et Ariobarzanem, in suum quemque regnum restitueret, per Mitylenæos vinctus traditus est Mithridati, cui bellum ut inferretur auctor præcipuus fuerat; et auro liquefacto in os ejus infuso Pergami necatus est. Velleius Pat. l. II, c. 18; Appian. in Mithr. Athen. l. V, cap. 14.

11. *M. Antonii.* Æqualis fuit M. Crassi; summus uterque orator fuit. Hos Cicero in libris de Oratore disserentes inducit. M. Antonius avus fuit M. Antonii triumviri, consulatum adeptus gessit anno 654. Denique an. 666 a L. Cinna crudelissime est interfectus. M. Antonii ingenium, eloquentiam, dicendi genus Cicero describit in Bruto, passim.

12. *Fortis.* Orator. Id est, vehemens. Crassus, l. II de Oratore, c. 28, ubi de Antonio agit, apte ad hujus vocis vim demonstrandam, ait: «quod ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et ejus diloricare tunicam, et judicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere?»

13. *Constituitque.* Mos erat antiquis oratoribus ipsos, quos defenderent, squalidos et deformes, et liberos eorum ac parentes producere coram judicibus, quia earum rerum ingens plerumque vis est, et miseratione sæpe extorquetur quod oratio non obtinuisset. Sic Servius Galba, quum non suos modo liberos parvulos in concionem produxisset, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulisset, elapsus est. Quint. lib. II, cap. 15, et lib. VI, cap. 1.

14. *Ab hostium duce.* Athenione pastore, quem Aquillius ipse sua manu interfecit. De Athenione, jam supra dictum est. Is, interfecto domino, familiam ergastulo liberavit, sub signis ordinavit, ingentem exercitum confecit, romanos exercitus cecidit; Servilii, deinde Luculli castra vi cepit. Denique missus in Siciliam Aquillius fugitivorum exercitum delevit, Athenionem interfecit, bellum confecit quod annos prope modum quatuor flagraverat. Adi Flor. lib. III, cap. 19; Diodor. in fragm.

provinciam Siciliam virtute ejus et vigilantia singulari, dubiis formidolosisque temporibus, a fugitivis atque a belli periculis tutam esse servatam.

Quid agam, judices? quo accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? Ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur. Novi locum[5]; video ubi se jactaturus sit Hortensius. Belli pericula[6], tempora reipublicæ, imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur a vobis, tum etiam pro suo jure[7] contendet, ne patiamini, talem imperatorem populo romano Siculorum testimoniis eripi; neve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ[8] velitis.

Non possum dissimulare, judices: timeo, ne C. Verres, propter hanc virtutem eximiam[9] in re militari, omnia, quæ fecit, impune fecerit. Venit enim mihi in mentem, in judicio M'. Aquillii[10] quantum auctoritatis,

5. *Novi locum.* Communem rhetoricum qui præbeat exaggerandi facultatem Hortensio.

6. *Belli pericula.* Significat orator bella duo difficillima, Mithridaticum et Sertorianum, quibus respublica eo tempore distinebatur. De illo, lib. II, cap. 65. De hoc infra.— *Tum deprecabitur.* Id est, atque his omnibus commemoratis, statim *deprecabitur*... atque *etiam*, etc. Notanda occupatio Verris defensionum.

7. *Pro suo jure.* Interpretatur Hottomanus, « pro eo quod, quia civis est, magni sua interest bonos esse imperatores in republica ». Manutius, de dominatione Hortensii in judiciis, quæ jam ei toties objecta est. Grævius, « pro suo jure, est, quod ei licitum et concessum est, inquit, et a nemine potest impediri ». Adstipulatur Manutio Ernest. et ad faciendam invidiam pertinere hanc dicendi formam contendit. Ego malim cum Desjard. explicare: *pro suo jure*, id est, pro jure quod ei dat causæ suæ, ut sibi fingit, bonitas. — *Siculorum.* Contemptim. Id est, provincialium, et græculorum hominum, quorum levis auctoritas apud judices romanos esse debet. Non sine emphasi ex persona Hortensii opponuntur populo romano Siculi, ut ipse Cicero in sequenti oratione Gallorum testimonia elevabit.

8. *Criminibus avaritiæ.* Quæ collata cum laude imperatoria, momenti debent esse aut nullius, aut sane levissimi.

9. *Virtutem eximiam.* Festive; infra enim ostendit neminem umquam ignaviorem fuisse.

10. *In judicio M'. Aquillii.* Meminit Tullius pro Flacco, c. 38, his verbis: « M'. Aquillium patres nostri multis

quantum momenti oratio M. Antonii[11] habuisse existimata sit; qui, ut erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis[12], causa prope perorata, ipse arripuit M'. Aquillium, constituitque[13] in conspectu omnium, tunicamque ejus a pectore abscidit, ut cicatrices populus romanus judicesque adspicerent adverso corpore exceptas; simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce[14] acceperat, multa dixit; eoque adduxit eos, qui erant judicaturi, vehementer ut

avaritiæ criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, judicio liberaverunt». M'. Aquillius consul fuit anno 652. Siciliam proconsul rexit anno 653. Confecto bello fugitivorum, ovans in Urbem ingressus est. Repetundarum ex Sicilia deinde postulatus, M. Antonii oratoris patrocinio est liberatus. De Orat. II, 47. Postea missus in Asiam legatus, ut Nicomedem et Ariobarzanem, in suum quemque regnum restitueret, per Mitylenæos vinctus traditus est Mithridati, cui bellum ut inferretur auctor præcipuus fuerat; et auro liquefacto in os ejus infuso Pergami necatus est. Velleius Pat. l. II, c. 18; Appian. in Mithr. Athen. l. V, cap. 14.

11. *M. Antonii.* Æqualis fuit M. Crassi; summus uterque orator fuit. Hos Cicero in libris de Oratore disserentes inducit. M. Antonius avus fuit M. Antonii triumviri, consulatum adeptus gessit anno 654. Denique an. 666 a L. Cinna crudelissime est interfectus. M. Antonii ingenium, eloquentiam, dicendi genus Cicero describit in Bruto, passim.

12. *Fortis.* Orator. Id est, vehemens. Crassus, l. II de Oratore, c. 28, ubi de Antonio agit, apte ad hujus vocis vim demonstrandam, ait: « quod ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et ejus diloricare tunicam, et judicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere? »

13. *Constituitque.* Mos erat antiquis oratoribus ipsos, quos defenderent, squalidos et deformes, et liberos eorum ac parentes producere coram judicibus, quia earum rerum ingens plerumque vis est, et miseratione sæpe extorquetur quod oratio non obtinuisset. Sic Servius Galba, quum non suos modo liberos parvulos in concionem produxisset, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulisset, elapsus est. Quint. lib. II, cap. 15, et lib. VI, cap. 1.

14. *Ab hostium duce.* Athenione pastore, quem Aquillius ipse sua manu interfecit. De Athenione, jam supra dictum est. Is, interfecto domino, familiam ergastulo liberavit, sub signis ordinavit, ingentem exercitum confecit, romanos exercitus cecidit; Servilii, deinde Luculli castra vi cepit. Denique missus in Siciliam Aquillius fugitivorum exercitum delevit, Athenionem interfecit, bellum confecit quod annos prope modum quatuor flagraverat. Adi Flor. lib. III, cap. 19; Diodor. in fragm.

vererentur[15], ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, quum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi romani laudem, sed ad judicum crudelitatem videretur esse servatus. Hæc eadem nunc ab illis defensionis ratio, viaque tentatur; idem quæritur. Sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium vitiorumque princeps : at est bonus imperator, et felix, et ad dubia reipublicæ tempora reservandus[16].

II. Non agam summo jure[1] tecum; non dicam id, quod debeam forsitan obtinere, quum judicium certa lege[2] sit constitutum, non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecuniis abstinueris, abs te doceri oportere; non, inquam, sic agam : sed ita quæram, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, et quanta fuerit in bello.

Quid dices? an bello fugitivorum[3] Siciliam virtute tua liberatam? Magna laus, honesta oratio; sed tamen

15. *Ut vererentur.* Si nempe eum damnarent.

16. *Ad dubia reipubl. tempora reservandus.* Verba sunt Quintiliani in lib. XII, quæ quia ad hunc locum pertinere videntur, subjicere voluimus : « ad hoc, inquit, nemo dubitabit, quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse eos magis e republ. sit, quam puniri. Si liqueat igitur oratori, futurum bonum virum, cui verba objicientur, non id aget, ut salvus sit? Da nunc ut crimine manifesto prematur dux bonus, et sine quo vincere honeste civitas non possit; nonne ei communis utilitas oratorem advocabit? Certe Fabricius Corn. Rufinum, alioqui et malum civem, et sibi inimicum, tamen utilem quia sciebat ducem, imminente bello palam consulem suffragio suo fecit, atque id mirantibus quibusdam respondit; a cive se spoliari malle, quam ab hoste venire. Ita hic si fuisset orator, nonne defendisset eumdem Rufinum vel manifesti peculatus reum? »

II. 1. *Summo jure.* Ita ut nihil omnino afferri patiar a te in judicium, nisi quod ad crimen repetundarum pertinet. Sequentia recitavit Quintil. IX, 2, sed ex memoria, ita ut erraverit.

2. *Certa lege.* Legem significat de pecuniis repetundis.

3. *An bello fugitivorum.* Servile bellum in Sicilia bis flagravit. Primum, Euno duce motum, confecit Rupilius, anno Urbis 621. Alterum Salvio primum, deinde Athenione ducibus instauratum, M'. Aquillius composuit, ut supra. His in bellis centum servorum myriadas, id est, decies centena millia servorum periisse tradit Athen. lib. VI, cap. 20.

quo bello[4]? nos enim post id bellum, quod M'. Aquillius confecit, sic accepimus, nullum in Sicilia fugitivorum bellum fuisse. At in Italia[5] fuit : fateor, et magnum quidem, ac vehemens[6]. Num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriam cum M. Crasso[7], aut Cn. Pompeio communicandam putas? Non arbitror[8] hoc etiam deesse[9] tuæ impudentiæ, ut quidquam ejusmodi dicere audeas. Obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitivorum copiæ possent : ubi? quando? qua ex parte? quum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere? Nos enim nihil umquam prorsus[10] au-

4. *Quo bello?* Verres refellitur, quia eo prætore bellum in Sicilia nullum fuit.

5. *At in Italia.* Objectio. Bellum servile in Italia excitavit anno 680 Spartacus, genere Thrax, qui romanam alias militiam sequutus, tum ex servo gladiator, 70 sociis persuasit ut pro sua potius libertate pugnarent, quam pro civium voluptate. Lentuli, qui eos Capua alebat, ludus continuo effractus; arma et Capuanis et viatoribus erepta, ducesque appellati cum Spartaco Œnomaus et Cryxus. Ab iis bellum in Italia tribus fere annis gestum est varia fortuna, quippe Clodius prætor exutus castris, sæpe fusus P. Varinus; L. Gellius consul, qui Cryxum vicerat, a Spartaco revictus ipse est, et fugatus consul Lentulus. Jamque Urbem cum centum et decem millibus peditum petebat victor Spartacus, quum ei M. Crassus occurrit, a quo semel atque iterum superatus, atque tandem occisus est. Sic confectum est bellum illud anno 682. Flor. III, 20; Athen. VI, 21.

6. *Vehemens.* Furor ille servilis non Campaniam modo, sed totam fere hanc Italiæ partem, terribili strage depopulatus est.

7. *Cum M. Crasso.* Crassum et Pompeium conjunctim nominat orator, quasi pertineat ad utrumque belli servilis confecti gloria, quæ Crassi tota est; nisi quod homines, ad quinque millia, elapsos Crassi de cæde Pompeius ex Hispania post devictum Sertorium revertens, oppressit. Sed hic uti in illa pro lege Manilia, et amicitiæ Pompeii indulget orator, et levitati hominis, gloriæ etiam alienæ, plus nimio appetentis, qui ex levi illo successu occupaverat prior ad senatum scribere, « Crassum quidem gladiatores acie fudisse, se vero bellum radicitus exstirpasse ». Plut. in Pomp.

8. *Non arbitror.* Id est, arbitror te esse ea etiam impudentia, ut rem ejusmodi dicere audeas.

9. Schütz. ex Ernest. sententia, *esse*. Causam non video. J. V. L.

10. *Prorsus audivimus.* Quasi tua diligentia fugitivorum copias aditu Siciliæ prohibueris. Mentio tui facta numquam est, quasi fugitivis aliqua re obstiteris. Porro navibus ac ratibus in Siciliam trajicere Spartacus æque

divimus: et illud audivimus, M. Crassi, fortissimi viri, virtute[11] consilioque factum, ne, ratibus conjunctis, freto fugitivi ad Messanam transire possent; a quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent, si ulla in Sicilia præsidia[12] ad illorum adventum opposita putarentur.

III. At quum esset in Italia bellum tam prope[1] a Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. Quid mirum? ne quum in Sicilia quidem fuit, eodem intervallo, pars ejus belli in Italiam ulla pervasit. Etenim propinquitas locorum ad utram partem[2] hoc loco profertur? utrum aditum facilem hostibus, an contagionem imitandi ejus belli periculosam fuisse? Aditus omnis hominibus sine ulla facultate navium non modo disjunctus, sed etiam clausus fuit: ut illis, quibus Siciliam propinquam fuisse dicis, facilius fuerit ad[3] Oceanum pervenire, quam ad Peloridem accedere.

Contagio autem ista servilis belli, cur abs te potius, quam ab iis omnibus, qui ceteras provincias obtinue-

infeliciter tentavit. Ac navibus quidem, quum in freto navigia prædatoria Cilicum nactus, ea conduxit. At Cilices inito cum eo pacto, muneribusque acceptis, subduxerunt se, cum iis ipsis navibus quas Spartacus ab ipsis conduxerat. Plutarch. in M. Crasso. Spartacus hac spe dejectus, trajectum alia aggressus est via. Rates ex cratibus et dolia connexa virgultis parare instituit, quæ in rapidissimo freto frustra expertus est. Florus, III, 20.

11. *M. Crassi virtute.* Imo prædonum perfidia, aut infelici ratium successu, ut modo dicebamus; vel utroque simul.

12. *Præsidia.* A Verre nimirum contra fugitivos comparata.

III. 1. *Tam prope.* Ubi fretum est angustissimum, hoc est, inter Pelorum Siciliæ, et Cænym Italiæ promontoria, duodecim stadiorum intervallum, seu 1440 geom. passus.

2. *Ad utram partem.* Ob utram ex his duabus rationibus, quæ proxime sequuntur, memoratur. An ideo propinquitatis mentio fit, ut ostendatur ob eam propinquitatem aditum ex Italia in Siciliam facilem fuisse servis fugitivis? An ut demonstretur periculum fuisse ne servi in Sicilia bellum et ipsi excitarent, servorum exemplo, qui illud in Italia conflaverant.

3. *Facilius fuerit ad Oceanum pervenire.* Terrestri nimirum itinere per Galliam et Hispaniam. Peloris, seu Pelorus, nam utrumque dicitur, illud est Siciliæ promontorium, versus Italiam, juxta fretum. Vid. Dionys. Perieg. lib. V, vs. 472, et *Dorville* Sicula ad initium.

runt, prædicatur[4]? an quod in Sicilia jam ante bella fugitivorum fuerunt? At ea ipsa causa est, cur ista[5] provincia minimo in periculo sit, et fuerit. Nam posteaquam illinc M'. Aquillius decessit, omnium instituta atque edicta prætorum fuerunt ejusmodi, ut ne quis cum telo servus esset. Vetus est quod dicam, et propter severitatem exempli nemini fortasse vestrum inauditum: L. Domitium[6] prætorem in Sicilia, quum aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisisse, quis eum percussisset; quum audisset, pastorem cujusdam fuisse, eum ad se vocari jussisse; illum cupide ad prætorem, quasi ad laudem atque ad præmium, accurrisse; quæsisse Domitium, qui tantam bestiam percussisset; illum respondisse, venabulo; statim deinde jussu prætoris in crucem[7] esse sublatum. Durum hoc fortasse videatur; neque ego ullam in partem[8] disputo: tantum intelligo, maluisse[9] Domitium crudelem in animadvertendo, quam in prætermittendo dissolutum videri.

IV. Ergo his institutis provinciæ, jam tum, quum bello fugitivorum tota Italia arderet, homo non acerrimus, nec fortissimus, C. Norbanus[1] in summo otio fuit. Perfacile enim sese Sicilia tuebatur, ne quod in

4. *Prædicatur.* Quasi prorsus eam ipse prohibueris.

5. *Ista.* Sic e codd. Reg. receperunt Græv. Ernest. olim *ipsa*.

6. *L. Domitium.* Siciliam sortitus obtinuit an. Urb. 655.

7. *In crucem.* Quia cum telo fuisset contra edictum prætoris. Porro *crux* servile fuit supplicium; et pastor ille servus fuit; nam pascendorum armentorum cura servile fuit ministerium. Hisce pastoribus præficiebatur, is quem pecori *præfectum*, et pecoris *magistrum* dicebant.

8. *Ullam in partem.* Ut aut condemnem prætorem, aut absolvam. Audacior Cicerone Valerius Domitium absolvit. « Ceterum, inquit, ratio publici imperii prætorem nimis asperum existimari non patitur ». Val. Max. lib. VI, c. 3, § 5. Quoties autem publicæ salutis specie atrociter actum est!

9. *Maluisse.* Non quia crudelis esset, sed quia ex ipsa severitate pendere provinciæ securitatem arbitrabatur.

IV. 1. *C. Norbanus.* Prætor in Sicilia. Fortasse is est, qui cum L. Scipione consul fuit anno 670.

ipsa bellum posset exsistere: etenim quum nihil tam conjunctum sit, quam negotiatores nostri cum Siculis, usu[2], re, ratione, concordia; et quum ipsi Siculi res suas ita constitutas habeant, ut his pacem expediat esse; imperium autem populi romani sic diligant, ut id imminui, aut commutari minime velint; quumque hæc ab servorum bello pericula, et prætorum institutis, et dominorum disciplina provisa sint: nullum est malum domesticum, quod ex ipsa provincia nasci possit.

Quid igitur[3]? nulline motus in Sicilia servorum, Verre prætore? nullæne consensiones[4] factæ esse dicuntur? Nihil sane, quod ad senatum populumque romanum pervenerit; nihil, quod iste Romam publice[5] conscripserit: et tamen cœptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor. Id adeo non tam ex re, quam ex istius factis decretisque cognosco. Ac videte, quam non inimico animo sim acturus: ego ipse hæc, quæ ille quærit, quæ adhuc numquam audistis, commemorabo et proferam. In Triocalino[6], quem locum fugitivi jam ante tenuerunt, Leonidæ cujusdam

2. *Usu*. Consuetudine, familiaritate. *Re*. Negotiis, quæ ibi libenter gerunt. *Ratione*. Computationibus. Sed loci hujus interpretationem repetes ex l. II, cap. 3, et notabis hæc duo *res*, *ratio* vulgo conjungi. Sic lib. III, cap. 9, « istos inter se per brevi tempore non res, non ratio... conjunxit ».

3. *Quid igitur*. Transitio ad alterum membrum, in quo probat orator Siciliam Verris avaritia commotam fuisse.

4. *Consensiones*. Id est, conspirationes, coitiones. *Consensio* sæpe in bonam, aliquando in malam partem accipitur, uti hic et lib. X ad Atticum, epist. 4, « quorum societatis, et sceleratæ consensionis fides quo eruperit vides ». Sic « consensio magna multorum », id est, magna conspiratio, Nepos in Alcibiad. cap. 3, et « globus consensionis », id est, conspirantium, idem in Att. cap. 8.

5. *Publice*. Id est, ad senatum conscripserit. Qui cum imperio in provinciis erant, certiorem senatum facere tenebantur de iis omnibus, quæcumque in provincia intervenirent; quum autem ad senatum scribebant, publice scribere dicebantur.

6. *In Triocalino*. Subaud. agro, ubi ab Euno primum servile bellum excitatum est. Quare Silius Ital. XIV, 270,

Siculi familia in suspicionem vocata est conjurationis; res delata ad istum; statim, ut par fuit, jussu ejus homines, qui nominati erant[7], comprehensi sunt, adductique Lilybæum[8]; domino denuntiatum est[9]; causa dicta damnati sunt.

V. Quid deinde[1]? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam exspectatis aliquam. Nolite usquequaque eadem quærere. In metu belli, furandi qui locus potest esse? etiam si qua fuit in hac re occasio, prætermissa est[2]. Tum potuit a Leonida[3] nummorum aliquid auferre, quum denuntiavit, ut adesset; fuit nundinatio aliqua, et isti non nova, ne causam diceret; etiam alter locus, ut absolverentur: damnatis quidem servis, quæ prædandi potest esse ratio? Produci ad supplicium necesse est: testes enim sunt, qui in consilio[4] fuerunt; testes, publicæ[5] tabulæ;

scribit, « Et mox servili vastata Triocala bello ». Ibi consedit postea, et urbem Triocala Salvius, sive Tryphon, fugitivorum dux amplificavit. Nunc est *Troccoli*.

7. *Qui nominati erant*. Nominati, in criminibus non dicuntur ii, quorum nomen delatum est, quique rei facti sunt, sed ii quorum nomen ab altero reo appellatum est.

8. *Adducti Lilybæum*. Ubi tunc forum agebat prætor.

9. *Domino denuntiatum est*. Dominus venire jussus est. Delendum censebat Græv. « ut adesset », quasi inutile interpretamentum. Servavit Ernest. collato cap. 6.

V. 1. *Quid deinde*. Judices audito servos dicta causa damnatos fuisse, quærunt quid deinde factum sit; dubii an re pæne confecta, prædam tamen ex ea Verres etiam facere potuerit. Servit Cicero eorum dubitationi. « Quid censetis, inquit, an furtum, an prædam, etc. » Tum longa sustentatione, declarat furtum fieri non potuisse, quod denique factum tamen fuisse ex inopinato ostendit.

2. *Si qua fuit... occasio prætermissa est*. Rei quidem initio; sed cito revocabitur.

3. *A Leonida*. Servorum domino qui conscius fortasse conjurationis fuisset. *Fuit nundinatio*. Id est, occasio nundinationis ne dominus ipse causam diceret; fuit etiam altera occasio pactionis faciendæ, nummorum auferendorum, ut nempe servi absolverentur.

4. *Qui in consilio*. Id est, ipsi judices, testes sunt servos istos fuisse damnatos.

5. *Publicæ tabulæ*. Id est, acta magistratuum, inquit Hotomannus. Minime. Tabulæ publicæ hoc loco sunt instrumenta litis.

testis, splendidissima civitas Lilybætana; testis, honestissimus maximusque conventus civium romanorum; nihil potest[6] : producendi sunt. Itaque producuntur, et ad palum alligantur[7].

Etiam nunc mihi exspectare videmini, judices, quid deinde factum sit; quod iste nihil umquam fecit sine aliquo quæstu atque præda. Quid in ejusmodi[8] re fieri potuit? quod commodum est? Exspectate facinus, quam vultis improbum : vincam tamen exspectationem omnium. Nomine sceleris conjurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente, multis millibus hominum inspectantibus, soluti sunt, et Leonidæ illi domino redditi. Quid hoc loco potes dicere, homo amentissime? nisi id, quod ego non quæro; quod denique in re tam nefaria, tametsi dubitari non potest, tamen, ne, si dubitetur quidem[9], quæri oporteat : quid[10], aut quantum, aut quomodo acceperis. Remitto tibi hoc totum, atque ista te cura libero. Neque enim metuo, ne hoc cuiquam persuadeatur, ut, ad quod facinus nemo, præter te, ulla pecunia adduci potuerit, id tu gratis suscipere conatus sis[11]. Verum de ista furandi prædandique ratione nihil dico : de hac imperatoria jam tua laude disputo.

6. *Nihil potest.* Subaudi *fieri.* Nullus prædandi locus est.

7. *Ad palum alligantur.* Ut virgis cæsi, in cruce deinde suffigerentur. Hoc erat sumere supplicium more majorum, cap. 6.

8. *In ejusmodi re.* Quum res eo processisset, ut servi jam essent ad palum alligati, quid fieri potuit? Quod prædandi commodum Verri fuit? Videtur orator dicturus Verrem prædatum non esse, quum ecce prædam factam subjicit præter exspectationem.

9. *Ne si dubitetur quidem.* Non dubitatur quin pecuniam acceperis. Sed si dubitetur, id quæri tamen in re tam nefaria non oportet. Nam si pecuniam non accepisti, qua alia ratione adductus eos liberasti?

10. *Quid.* « Non quæro, inquam, quid aut quantum. »

11. *Suscipere conatus sis.* Non modo volueris, cogitaris, tentaris, sed conatus sis.

VI. Quid ais, bone custos defensorque provinciæ? tu, quos servos arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluisse cognoras, et de consilii sententia judicaras, hos ad supplicium jam more majorum[1] traditos et ad palum alligatos, ex media morte[2] eripere ac liberare ausus es? ut, quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus[3] romanis reservares? Perditæ civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus[4] exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exsules reducantur, res judicatæ rescindantur : quæ quum accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam rempublicam, hæc ubi eveniunt[5] nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur.

Atque hæc sicubi facta sunt, facta sunt, ut homines populares aut nobiles supplicio aut exsilio levarentur; at non ab his ipsis, qui judicassent; at non statim; at non eorum facinorum damnati, quæ ad vitam et omnium fortunas pertinerent. Hoc vero novum, et ejusmodi est, ut magis propter reum[6], quam propter rem ipsam credibile videatur; ut homines servos; ut ipse, qui judicarat; ut statim e medio sup-

VI. 1. *More majorum.* Ad supplicium tradebatur cujus nudi cervix inserebatur furcæ, et corpus virgis ad necem cædebatur. Suet. in Ner. cap. 49; idem in Claudio, cap. 34, illud appellat *antiqui moris supplicium.* Recte; Tullii regis id institutum fuit, lege horrendi carminis, quam recitat Liv. lib. I, cap. 26.

2. *Ex media morte.* Medio apparatu supplicii, medio horrore mortis instantis.

3. *Indemnatis civibus.* Gavium significat de quo infra 53.

4. *Hos solent exitus.* Iterat eamdem sententiam Orator Agrar. II, 4, his verbis : « Neque vero illa popularia sunt æstimanda, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, restitutio damnatorum; qui civitarum afflictarum, perditis jam rebus, extremi exitiorum solent esse exitus ».

5. Beck. et Schütz. Ernest. et Wyttenbach. auctoribus, tria hæc verba delent. J. V. L.

6. *Propter reum.* Id est, Verrem, cujus improbitas nota omnibus facit, ut tantum scelus ab eo esse commissum credibile sit.

plicio dimiserit; ut ejus facinoris damnatos servos, quod ad omnium liberorum caput et sanguinem pertineret.

O præclarum imperatorem, nec jam cum M'. Aquillio, fortissimo viro, sed vero cum Paullis[7], Scipionibus, Mariis conferendum! Tantumne vidisse[8] in metu periculoque provinciæ? Quum servitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitivorum videret: ne quis se commovere auderet, quantum terroris injecit? Comprehendi jussit: quis non pertimescat? causam dicere[9] dominos: quid servis tam formidolosum? Fecisse videri[10] pronuntiavit: exortam videtur flammam paucorum dolore ac morte restinxisse. Quid deinde sequitur? verbera, atque ignes[11], et illa extrema ad supplicium damnatorum, metum ceterorum, cruciatus, et crux: hisce omnibus suppliciis sunt liberati. Quis dubitet, quin servorum animos summa formidine[12] oppresserit, quum vide-

7. *Paullis.* In Paullo disciplinam, in superiore Africano celeritatem, in altero consilium, in Mario vim atque virtutem singulariter notat, ut aliquanto posterius constabit.

8. *Tantumne vidisse.* Subaudi, potuit, sive nonne mirandum est. Forma orationis de qua Vid. Sanct. Min. pag. 657, admirationi, indignationi, aût iræ; sæpe vero, ut hic, ironiæ servit.— *Suspensos.* Incertos an arma caperent. —*Comprehendi.* Servos qui in suspicionem venerant conjurationis.

9. *Causam dicere.* Pro servis suis nimirum, non pro se; nam servi quum jure civili sint ignoti, et non sint cives; neque pro se, neque pro altero causam dicere queunt. De eis ex Romanorum lege quæstio tantum habetur. Hoc est quod explicat, ad cap. 4: « Ut adesset dominus ».

10. *Fecisse videri.* Notanda formula condemnationis usitata apud veteres; qui numquam *factum quid esse*, sed tantum *videri factum* modeste pronuntiabant. Confer pro Font. cap. 12, et Acad. II, 47.

11. *Verbera atque ignes.* Atrocissime in servos, quippe qui ne homines quidem ducebantur, sæviebant veteres. *Ignes*, pars erant tormentorum quæ in eos ad exprimendam veritatem adhibebantur. Laminis ardentibus ad pedum plantas et latera admotis cruciabantur. Præterea membra eorum equuleo extendebantur, ferreis unguibus arabantur, nervis fustibusque verberabantur; sed libera in civitate, ad servos dumtaxat reservata sunt hæc supplicia.

12. *Summa formidine.* Hæc accipienda sunt a contrario sensu, et ironice. Putat Ern. scriptum « formido ».

rent ea facilitate prætorem, ut ab eo sceleris conjurationisque damnatorum vita, vel ipso carnifice internuntio[13], redimeretur[14]? Quid? hoc in Apolloniensi Aristodamo? quid? in Leonte Megarensi[15] non idem fecisti?

VII. Quid[1]? iste motus servorum, bellique subita suspicio, utrum tibi tandem diligentiam custodiendæ provinciæ, an novam rationem improbissimi quæstus attulit? Halicyensis Eumenidæ, nobilis hominis et honesti, magnæ pecuniæ[2], villicus quum impulsu tuo insimulatus esset, H-S LX millia[3] a domino accepisti: quod nuper[4] ipse juratus docuit, quemadmodum gestum esset. Ab equite romano, C. Matrinio absente, quum is esset Romæ, quod ejus villicos pastoresque tibi in suspicionem venisse dixeras, H-S centum[5] millia[5] abstulisti. Dixit hoc[6] L. Flavius, qui tibi eam pecuniam numeravit, procurator C. Matrinii; dixit ipse C. Matrinius; dicet vir clarissimus Cn. Lentulus censor, qui Matrinii honoris causa, recenti negotio, ad te literas misit, mittendasque curavit.

Quid? de Apollonio, Diocli filio[7], Panormitano,

13. *Carnifice internuntio.* Agente de pretio inter Verrem et Leonidam.

14. *Redimeretur.* Hoc verbo usus est quia pecuniam præcipue indicat.

15. Codd. *Magarensi*, *Acharensi*, et *Leonida.* Priscian. *Macharensi.* Lallem. recte prætulit *Imacharensi.* J.V. L.

VII. 1. *Quid?* Quid? an in Leonida conquievit hæc tua avaritia? Annon Aristodamus servorum suorum vitam eodem modo a te pecunia redemit? Subjicitur enumeratio quæstuum, quos Verres ista ratione improbe fecit.

2. *Magnæ pecuniæ.* Pecuniis abundans. Nempe villici dominus. — *H-S LX millia.* Circ. 12,300 fr.

3. Alii multi non agnoscunt *millia.* J.V. L.

4. *Nuper.* Priori Actione, quum testes producti sunt. — *Juratus.* Id est, testis productus.

5. Iterum multi, ut solet, non habent *millia.* J.V. L.

6. *Dixit hoc*, pro testimonio, priore Actione. — *Censor.* Cum L. Gellio Cn. Lentulus censorium magistratum gessit hoc anno 683.—*Honoris causa.* Ern. displicet qui reponendum censet, « hospitis ». Quare, nescio. Vulgatæ stat Wyttenb. Bibl. Crit. I, 2, 15.

7. *Diocli filio.* Sic Virgilius dixit: « immitis Ulyssi ». Solebant Latini non raro græca, aut barbara nomina in *es*,

cui Gemino cognomen est, præteriri potest? ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid indignius? ecquid manifestius proferri potest[8]? Quem is, uti Panormum venit, ad se vocari, et de tribunali[9] citari jussit, concursu magno frequentiaque conventus. Homines statim loqui[10]; mirari, quod Apollonius, homo pecuniosus, tamdiu ab isto maneret integer: excogitavit[11]; nescio quid attulit; profecto homo dives repente a Verre non sine causa citatur. Exspectatio summa omnium, quidnam id esset[12]; quum exanimatus subito ipse accurrit cum adolescente filio: nam pater, grandis natu, jam diu lecto tenebatur. Nominat iste servum, quem magistrum pecoris[13] esse diceret; eum dicit conjurasse, et alias familias concitasse. Is omnino servus in familia non erat. Eum statim exhibere jubet. Apollonius affirmare, servum se omnino illo nomine habere neminem. Iste hominem abripi a tribunali, et in carcerem conjici jubet. Clamare[14] ille, quum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse; pecuniam sibi esse in nominibus; numeratam in præsentia non habere. Hæc quum maxime

sic ad Latinorum rationem inflectere in genitivo juxta terminationem secundæ. Plurima sunt exempla ex Cicerone et aliis optimæ ætatis auctoribus. Vid. Voss. de Analog. II, 9.

8. Ernest. conj. legendum, *Quem iste, ut Panormum venit*. J. V. L.

9. *De tribunali.* In quo ipse sedebat prætor. — *Citari.* Ut conjurationis accusatus, causam diceret coram frequente conventu hominum, qui magno concursu ad tribunal rei novitate excitato, accesserant.

10. *Loqui.* Subaudi, cœperunt. — *Maneret.* Mansisset. — *Integer.* Intactus, quod plagam aliquam pecuniariam a Verre non accepisset.

11. *Excogitavit.* Verba sunt cujusdam e conventu dicentis: excogitavit Verres crimen aliquod contra Apollonium; nescio quam causam domo secum attulit, ut hunc hominem divitem citaret. Profecto enim homo dives.

12. *Id esset.* Quod Verres excogitaverat; quæ causa illa esset, ob quam citaretur Apollonius.

13. *Quem magistrum pecoris esse diceret.* Eum qui pastoribus præficiebatur. Vid. Serv. ad Æneid. lib. VII, vs. 185.

14. *Clamare ille.* Id est, Apollonius. — *In nominibus.* Id est, sibi deberi. — *In præsentia non habere.* Præsentem autem non habere.

summa hominum frequentia testificaretur, ut quivis intelligere posset, eum, quod pecuniam non dedisset, idcirco illa tam acerba injuria affici; quum maxime, ut dico, hoc de pecunia clamaret, in vincla conjectus est.

VIII. Videte constantiam[1] prætoris, et ejus prætoris, qui nunc reus non ita defendatur, ut mediocris prætor, sed ita laudetur, ut optimus imperator. Quum servorum bellum metueretur, quo supplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc servos damnatos liberabat. Apollonium, locupletissimum hominem, qui, si fugitivi bellum in Sicilia facerent, amplissimas fortunas amitteret, belli fugitivorum nomine[2], indicta causa, in vincla conjecit : servos, quos ipse cum consilio, belli faciendi causa, consensisse judicavit, eos sine consilii sententia, sua sponte, omni supplicio liberavit.

Quid? si ab[3] Apollonio aliquid commissum est, quamobrem jure in eum animadverteretur, tamenne hanc rem sic agemus, ut crimini aut invidiæ reo putemus esse oportere, si quo de homine severius judicavit? Non agam tam acerbe[4]; non utar ista accusatoria consuetudine, si quid est factum clementer, ut dissolute factum criminer; si quid vindicatum severe est, ut ex eo crudelitatis invidiam colligam. Non agam

VIII. 1. *Videte constantiam.* Id est, ut sibi constet prætor. Ironia : nam quæ mox commemoravit, summam in illius actis repugnantiam ostendunt. More suo subjicit orator rei narratæ amplificationem.

2. *Belli fugitivorum nomine.* Quasi conscius servorum conspirationis ipse fuisset.

3. *Quid? si ab.* Objectio tacita Hortensii, quasi Cicero, accusatorum more, ex eo quod severius judicatum esset, invidiam in reum concitaret.

4. *Non agam tam acerbe.* Refellitur objectio. Tota hujus loci argumentatio ad hoc dilemma potest reduci: Aut nocens fuit Apollonius, aut innocens; si fuit innocens, in vincula conjici non debuit; si nocens fuit, supplicio affici debuit. Ergo Verres quoquo verterit se, reprehensionem non fugiet.— *Clementer.* Ut in servis Leonidæ, quos absolutos dimisit. — *Severe.* Ut in Apollonio. — *Quoad tu voles.* I. e. quoad eam tu ipse tuebere. —*Rescindere.* Ut in Apollonio rescidisti, quem post annum et sex menses carcere liberasti; et accepta pecunia,

ista ratione : tua sequar judicia; tuam defendam auctoritatem, quoad tu voles. Simul ac tute cœperis tua judicia rescindere, mihi succensere desinito : meo enim jure[5] contendam, eum, qui suo judicio condemnatus sit, juratorum judicum sententiis damnari oportere.

Non defendam Apollonii causam, amici atque hospitis mei, ne tuum judicium videar rescindere; nihil de hominis frugalitate, virtute, diligentia dicam; prætermittam illud etiam, de quo antea dixi, fortunas ejus ita constitutas fuisse, familia, pecore, villis, pecuniis creditis, ut nemini minus expediret, ullum in Sicilia tumultum aut bellum commoveri; non dicam ne illud quidem, si maxime in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem honestissimum, civitatis honestissimæ, tam graviter animadverti, causa indicta, non oportuisse. Nullam invidiam in te, ne ex illis quidem rebus[6] concitabo, quum esset talis vir in carcere, in tenebris, in squalore , in sordibus, tyrannicis interdictis tuis, patri exacta ætate, et adolescenti filio, adeundi ad illum miserum potestatem numquam esse factam : etiam illud præteribo, quotiescumque Panormum veneris illo anno et sex mensibus (nam tamdiu fuit in carcere Apollonius), toties ad te senatum Panormitanum adisse supplicem cum magistratibus sacer-

absolutum dimisisti. — *Simul ac tute cœperis tua judicia rescindere, mihi succensere desinito.* Succensere desine, si nempe te, et tuam auctoritatem non defendo.

5. *Meo enim jure.* Ad accusatoris personam me referam, et pro meo jure contendam, damnari oportere *eum, qui suo judicio condemnatus sit*, ut tuo tute damnasti; nam quum tuum de Apollonio judicium rescidisti, improbum certe illud judicasti, atque ex eo ipse te condemnasti.

6. *Ne ex illis q. reb.* Quæ sequuntur. In quibus notabis affectum commiserationis erga Apollonium excitari per amplificationem, ab adjunctis conglobatis, dignitatis Apollonii, carceris, crudelitatis Verris, superbiæ et impietatis in condemnandis magistratibus et sacerdotibus Panormitanis pro Apollonio deprecantibus.

dotibusque publicis[7], orantem atque obsecrantem, ut aliquando ille miser atque innocens calamitate illa liberaretur : relinquam hæc omnia, quæ si velim persequi, facile ostendam, tua crudelitate in alios, omnes tibi aditus misericordiæ judicum jampridem esse præclusos.

IX. Omnia igitur ista concedam, et remittam : prævideo enim, quid sit defensurus Hortensius : fatebitur[1], apud istum neque senectutem patris, neque adolescentiam filii, neque lacrymas utriusque plus valuisse, quam utilitatem salutemque provinciæ; dicet, rempublicam administrari sine metu ac severitate non posse; quæret, quamobrem fasces[2] prætoribus præferantur, cur secures datæ, cur carcer ædificatus, cur tot supplicia sint in improbos more majorum constituta? Quæ quum omnia graviter severeque dixerit, quæram, cur[3] hunc eumdem Apollonium Verres idem, repente, nulla nova re allata, nulla defensione, sine causa, de carcere emitti jusserit? tantumque in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, ut jam ipsis judicibus sine mea argumentatione conjecturam facere

7. *Sacerdotibusque publicis.* Sacerdotes publici, nulli templo præcipuo, nulli privato numini præstabant munus, sed publice litabant in fanis a magistratu designatis.

IX. 1. *Fatebitur.* Occupatio Verris defensionum. — *Provinciæ.* Cujus interest malos puniri, ut ceterorum improbitas metu contineatur.

2. *Quamobrem fasces.* Proprætoribus in provincia sex lictores totidem præferebant fasces virgarum, e quibus secures eminebant ad terrorem improborum et supplicium nocentium. Lictorum munus erat triplex. Ibant ante magistratum non gregatim aut temere, sed singuli, ordine ita ut lineam ducerent; et qui magistratui proximus esset, proximus appellaretur. Populum submovebant venienti magistratui. Sontes virgis cædebant, et securi feriebant. Liv. lib. I.

3. *Quæram cur.* Subjectio. Refellitur Hortensius ab ipsa Verris cum Apollonio ratione. — *Tantumque in hoc crimine suspicionis.* Nempe datæ Verri et Apollonio pecuniæ. Cur tam longa de Apollonio et tam brevis de Aristodamo et Leonte fit mentio? Quia istis pecuniam duntaxat subripuerat Verres, in Apollonium autem atrocissimæ crudelitati et avaritiæ turpissimæ habenas laxaverat ille prætor audacissimus.

permittam, quod hoc genus prædandi, quam improbum, quam indignum, quamque ad magnitudinem quæstus immensum infinitumque esse videatur.

Nam quæ iste in Apollonio fecit, ea primum breviter cognoscite, quot et quanta sint; deinde hæc expendite atque æstimate pecunia[4]: reperietis idcirco hæc in uno homine pecunioso tot constituta, ut ceteris formidines similium incommodorum, atque exempla periculorum proponerentur. Primum insimulatio[5] est repentina, capitalis, atque invidiosi criminis. Statuite, quanti hoc putetis, et quam multos redemisse. Deinde crimen[6] sine accusatore, sententia sine consilio, damnatio sine defensione. Æstimate harum rerum omnium pretia; et cogitate, in his iniquitatibus unum hæsisse[7] Apollonium, ceteros profecto multos ex his incommodis pecunia se liberasse. Postremo tenebræ, vincula, carcer, inclusum supplicium[8], atque a conspectu parentum ac liberum, denique a libero

4. *Æstimate pecunia.* Pensate quantam pecuniam dare quivis velit, ut ne eadem patiatur. — *Reperietis.* Argumentum a causa finali. — *Ut ceteris* pecuniosis hominibus formido similium incommodorum proponeretur, quorum metu perculsi, ea statim, data pecunia, redimerent.

5. *Primum insimulatio.* Brevis et pathetica descriptio rerum quas Verres in Apollonium fecit. — *Invidiosi.* Quid enim odiosius, quam dominum insimulari cum servis conspirasse? — *Redemisse.* Dedisse pecuniam, ut ne istiusmodi criminis accusarentur.

6. *Deinde crimen.* Subaudi, affingitur. — *Sine consilio.* Sine consiliariorum, seu assessorum prætoris sententia.

7. *Hæsisse.* Translatio sumpta de feris quæ in laqueos incidunt, atque in iis adhærescunt; quasi laqueos ejusmodi Verres per totam provinciam pecuniosis hominibus posuisset, quos ceteri, præter solum Apollonium, pecunia vitassent.

8. *Inclusum supplicium* illud est quod patiuntur homines ab omni commercio in carcere semoti, quod nos vocamus *au secret.* Hæc duo verba delenda esse putant Gruter. et Græv. ut inepte hic assuta; sed non video quomodo sine his cetera stare possint, quibus sublatis, antithetorum concinnitas periret. Est enim, ut notat Ern. idem quod « odium inclusum » ad Div. I, 9. Similiter ludit in *inclusus* et *exclusus*, Brut. 96. — *Liber spiritus.* Est aer quem communiter omnes et libere spiritu ducimus.

spiritu, et communi luce seclusum. Hæc vero[9], quæ vel vita redimi recte possunt, æstimare pecunia non queo. Hæc omnia sero redemit Apollonius, jam mœrore ac miseriis perditus; sed tamen ceteros docuit, ante istius avaritiæ ac sceleri occurrere. Nisi vero existimatis, hominem pecuniosissimum sine aliqua causa quæstus electum ad tam incredibile crimen, aut sine eadem causa repente e carcere emissum, aut hoc prædandi genus ab isto in illo uno adhibitum ac tentatum, et non per illum omnibus pecuniosis[10] Siculis metum propositum et injectum.

X. Cupio mihi[1], judices, ab illo subjici, quoniam de militari ejus gloria dico, si quid forte prætereo. Nam mihi videor de omnibus jam rebus ejus gestis dixisse, quæ quidem ad belli fugitivorum pertinerent suspicionem : certe nihil sciens prætermisi. Habetis hominis consilia, diligentiam, vigilantiam, custodiam defensionemque provinciæ. Summa[2] illuc pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit. Ne diutius in tanta penuria virorum fortium talem imperatorem ignorare possitis : non ad Q. Maximi[3] sapientiam, neque ad illius supe-

9. *Hæc vero. Vero* hic non est adversativum, sed asseverantis, et idem est ac *sane profecto vita redimi*. Quæ tam gravia atque acerba sunt, ut vel etiam mori satius sit, quam ea pati.— *Hæc omnia.* Ab his omnibus se redemit pecunia.—*Occurrere.* Mature numerata pecunia.

10. *Omnibus pecuniosis.* Nempe ex unius calamitate existimandum similem aliorum complurium fortunam conditionemque fuisse.

X. 1. *Cupio mihi.* Digressio longa quæ ad totum genus imperatorium Verris attinet. Etenim tum ad Hortensii prolepsim, *quod Verres sit bonus imperator,* funditus evertendam, tum ad exhilarandum judicium, festive describit orator istius luxuriam, mollitiem et inertiam, ut intelligatur nihil minus ad talis prætoris defensionem pertinere, quam rei militaris commemorationem.

2. *Summa.* Hoc rei caput est. — *Quoniam plura.* Adde, et quoniam alius alia virtute claruit.

3. *Non ad Q. Maximi.* Hujus loci hic sensus est. Genus Verris non pertinet ad *Q. Maximi sapientiam*, neque ad *Africani celeritatem*. Hic observare

rioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Paulli rationem ac disciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem; sed aliud genus[4] imperatoris sane diligenter retinendum et conservandum, quæso, cognoscite.

Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, judices, et in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facilem sibi iste et jucundum ratione consilioque reddiderit. Primum temporibus hibernis, ad magnitudinem frigorum, et ad tempestatum vim ac fluminum[5], præclarum sibi hoc remedium compararat. Urbem Syracusas elegerat, cujus hic situs, atque hæc natura esse loci cælique dicitur, ut nullus umquam dies tam magna turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore[6] ejus diei solem homi-

pretium est, quam apte et vere notentur singulis verbis optimorum, qui fuerunt in republica, imperatorum mores et ingenia; et festivam summorum imperatorum cum Verre, mortalium omnium nequissimo, comparationem. Q. Fabius Maximus, gestis quinque consulatibus illustris, sed patientia illustrior, qua tumidum victoria Cannensi Hannibalem et juveniliter exsultantem mollivit; unde illi Cunctatoris cognomen additum est. De ceteris utpote notissimis quid attinet dicere?

4. *Sed aliud genus.* Hoc genus imperatoris, tam diligenter retinendum, ut non diutius ignoretur, statim describit orator. Variant hoc in loco codd. Lambinus habet « sed ad aliud genus imperatorum esse referendum, saneque, etc. » Vulgo, « sed ad aliud gen. imperatorum ». Ernest. correxit, « ad aliud genus imperatorem », i. e. in alio genere virtutis nobilem imperatorem Verrem. Nos cum Græv. cod. Reg. sumus sequuti, qui sensum egregium et minime obscurum suppeditat.

5. *Ac fluminum.* Quæ nempe hiberno tempore intumescunt, et majore cum periculo trajiciuntur. Vetus liber, teste Hottom. « ac maximum ». Edd. Lamb. Man. al. « atque imbrium ».

6. *Quin aliquo tempore.* Id est, quin homines viderent solem aliquo tempore, aliqua hora, aliquo momento ejus diei. Seneca, Consol. ad Marc. cap. 17, memorat etiam tepidissima hiberna Syracusanorum, et firmat, quod hic ait Cicero, « nullum ibi esse diem sine interventu solis ». Hanc ejus urbis laudem cum Rhodo Plinius communicat. « Rhodi, inquit, et Syracusis numquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur ». Lib. II, cap. 62, tom. I, pag. 365, edit. nost. et ibi vid. not. Illud idem de Alexandria scribit Ammianus, lib. XXII,

nes viderint. Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile, non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret : ita diei brevitas conviviis, noctis longitudo stupris et flagitiis conterebatur. Quum autem[7] ver esse cœperat, cujus initium iste non a Favonio, neque ab aliquo astro[8] notabat; sed, quum rosam[9] viderat, tunc incipere ver arbitrabatur : dabat se labori atque itineribus; in quibus usque eo se præbebat patientem atque impigrum, ut eum nemo umquam in equo sedentem videret[10].

XI. Nam, ut mos fuit[1] Bithyniæ regibus, lectica octophoro[2] ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus, Melitensi[3] rosa fartus : ipse autem coronam ha-

7. *Quum autem.* Veris initium varie veteres assignarunt. C. Julius Cæsar, devictis Pompeii partibus, quum se ad ordinandum reipublicæ statum convertisset, fastosque corrigeret, principium veris statuit ad diem octavum ante kalendas aprilis, hoc est, die 25 martii. A Cæsaris ratione nostra parum distat ratio. Nostri enim principium illud notant a primo gradu Arietis in quem sol ingreditur. Veris primus mensis veteribus dicebatur *ver novum*, secundus *adultum*, tertius *præceps*. Quod etiam in tribus aliis anni temporibus observabatur.

8. *Ab aliquo astro.* Ab uno aliquo e signis duodecim zodiaci, sive illud sit Aquarius, sive Aries, aut quodvis aliud.

9. *Sed quum rosam.* Quæ vere præcipiti, saltem apud nos, solet florere.

10. *Sedentem videret.* Aliud et multo illustrius patientiæ exemplum dabit Sueton. in Jul. 57.

XI. 1. *Ut mos fuit.* Cum regibus Bithyniæ Verrem confert ut mollitiem, luxuriam ejusque superbiam penitus adumbret. Lecticæ usus ex Asia Romam pervenit Gracchanis temporibus. Ea sæpius feminæ, raro viri, nisi in supinis deliciis, aut morbo, vectabantur. Vid. supra lib. IV, cap. 14. Lecticarum usum, quia ultra modum vulgatus fuerat, Cæsar postea lege coercuit. Sueton. in Jul. cap. 43.

2. *Octophoro.* Quia octo servorum humeris ferebatur. O vere novum genus imperatoris! qui nescit virtutem pulverulentam esse, coloratam, callosas habere manus : ut ait Sen. de V. B. cap. 7.

3. *Melitensi.* Melitensis rosa nullibi laudatur. Codex Ursini habet *Milesia rosa*, quæ lectio Grævio non displicet. Certe Milesiam rosam laudat Plinius, lib. XXI, cap. 4. Itaque Henric. de Mesmes legebat (quam ejus conjecturam adjuvant plurimi codices) *Melitensis* pro *Melitensi*, ut esset e lino Melitensi, quod olim fuit in deliciis, utpote tenuissimum et subtilissimum. Receperunt Ernest. et alii.

bebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque[4] ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. Sic confecto itinere, quum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites romani[5], id quod ex multis juratis audistis; controversiæ secreto deferebantur; paullo post palam decreta auferebantur; deinde, ubi paullisper in cubiculo, pretio, non æquitate jura descripserat[6], Veneri jam et Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur.

Quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari imperatoris egregia ac singularis diligentia. Nam scitote esse oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus consistere prætores et conventum[7] agere solent, quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. Itaque nonnullæ ex eo numero in convivium adhibebantur palam : si quæ castiores erant, ad tempus[8] veniebant; lucem, conventumque vitabant. Erant autem convivia, non illo silentio prætorum[9] atque imperatorum, ne-

4. *Reticulum.* Erat capitis tegumentum, quo mulierum capilli retinebantur, et effeminatorum. Juven. II, 96. Purpureum adhibebant luxuriosi et meretrices. Casaub. ad Athen. 15, 8. Reticulo etiam panes ad alendam familiam deferebantur. Horat. I, sat. 1, 46. Hic vero sumitur pro sacculo lineo rarioris texturæ, et parvis foraminibus distincto. Confer Paschal. de Coronis, III, 6. — Loco *admovebant* vett. edd. male « apponebant ».

5. *Equites romani.* Qui negotiabantur in Sicilia.

6. *Jura descripserat.* Verres jura assignabat, adjudicabat suam cuique petitionem, aut abjudicabat, nulla æquitatis, sola pecuniæ a singulis acceptæ habita ratione. Conf. Cæs. B. C. III, 42.

7. *Conventum agere.* Idem est ac forum agere. Oppida erant quædam in provinciis, in quibus forum agebat prætor. Huc conveniebant cives romani, qui in provincia negotiabantur, a prætore, quum forum agere vellet, advocati.

8. *Ad tempus.* Subaud. *constitutum.* Nimirum quum turba convivarum aut discesserat, aut vino somnoque erat sepulta.

9. Multi post *prætorum* addunt *pop. rom.* J. V. L.

que eo pudore, qui in magistratuum conviviis versari solet, sed cum maximo clamore atque convicio [10]: nonnumquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat. Iste enim prætor severus ac diligens, qui populi romani legibus numquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur [11], obtemperabat. Itaque erant exitus ejusmodi, ut alius inter manus e convivio, tamquam e prælio, auferretur; alius, tamquam occisus, relinqueretur; plerique fusi [12] sine mente, ac sine ullo sensu jacerent: quivis ut, quum adspexisset, non se prætoris convivium, sed ut Cannensem [13] pugnam nequitiæ videre arbitraretur.

XII. Quum vero æstas summa [1] esse jam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ semper prætores in itineribus consumere consueverunt, propterea quod tum putant obeundam esse maxime provinciam, quum in areis frumenta sunt; quod et familiæ congregantur, et magnitudo servitii [2] perspicitur, et labor [3] operis maxime offenditur, et frumenti copia commonet,

10. *Convicio.* Est sonus ex multis vocibus confusus, quasi *convocium.* Vid. Phædrum Burmann. I, 65.

11. *Ponebantur.* Ab eo qui, sorte ductus, convivii *magister* esset, et legem atque ordinem edendi, bibendi, ciborum ponendorum, et loci in mensis imperaret. Quod autem illis bibendi legibus diligenter obtemperabatur, sic desinebant ista Verris convivia, ut alius, etc. Notabis lepidam allegoriam ductam de re militari, ideo, quia de imperatore narratur.

12. *Fusi.* Dispersi, sine ordine ac dignitate.

13. *Ut Cannensem.* Id est, videre arbitraretur stragem editam libidine illi stragi similem quam ad Cannas ferrum punicum edidit. Pariter enim fusa humi et prostrata, hic ferro, illic vino jacebant corpora.

XII. 1. *Æstas summa.* Hic et infra cap. 31, est æstas præceps, seu finiens, sub initium septembris, quia tunc temporis frumenta sunt in areis, qui locus erat in agro, ubi frumenta secta terebantur et arescebant.

2. *Magnitudo servitii.* An familia numerosa sit; quæ sunt, ut ait Tibullus, « saturi bona signa coloni. »

3. *Labor operis.* Quia tum maxime offenditur, h. e. deprehenditur, reperitur quantus sit in rustico opere labor, quantus frugum illo anno proventus; et inde prætores quid in decumas imperari possit, facile judicent. Sic Gruter. Græv. Ernest. At e tribus Paris. codd. eruit Lallemand. *offendit*,

tempus anni non impedit : tum, inquam, quum concursant[4] ceteri prætores, iste novo quodam ex genere imperator, pulcherrimo Syracusarum luco[5] stativa sibi castra faciebat. Nam in ipso aditu atque ore portus, ubi primum ex alto[6] sinus ad urbem ab litore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. Huc ex illa domo prætoria, quæ regis Hieronis fuit, sic emigrabat, ut per eos dies nemo istum extra illum lucum videre posset : in eum autem ipsum lucum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. Huc omnes mulieres, quibuscum iste consueverat, conveniebant, quarum incredibile est quanta multitudo fuerit Syracusis ; huc homines digni istius amicitia, digni vita illa conviviisque veniebant. Inter ejusmodi viros ac mulieres, adulta ætate filius versabatur : ut eum, etiamsi natura a pa-

quod ille sic interpretatur : Operosus messis labor servos maxime incitare potest ad conjurationem; quem sensum, quamvis satis aptus Schützio videtur, loco non accommodari puto.

4. *Concursant*. Concursare dicitur etiam de uno homine, qui negotiorum suorum, aut alterius causa, multos invisit, salutat, et modo huc, modo illuc currit.

5. *Luco*. Ut legunt Grævius et alii; sed testatur Lamb. codices MSS habere *loco*. Recepit Ernest. monito ceteram loci totius descriptionem luco non convenire. Verum quum summa æstas esset, aptissimum videtur Verrem sylvulam exquisisse, qua calores vitaret. — *Stativa* castra proprie sunt legionum quæ secundum fluvios ad imperii limitem contra Barbarorum impetus tuendum ponebantur ad diuturnitatem, et a stando stativa appellabantur, quasi dicas diu manentia, diu stantia. Alia fuerunt hiberna, alia æstiva. Bergier, de Viis mil. lib. III, cap. 37. Porro secessum illum quem amœnitatis causa sibi fecerat Verres *in ipso aditu*, id est, in extrema parte insulæ, castrorum nomine appellat orator, quia de imperatore loquitur, et addit *stativa*, quo verbo significat quod mox subjicit, Verrem extra hunc locum non visum fuisse, in eo constanter stetisse.

6. *Ubi primum ex alto*. Ubi incipit ex alto mari aqua litus alluere, et ab litore in portus alveum urbem versus inflecti. *Carbasus* erat lini genus, miræ tenuitatis in Hispania Tarraconensi repertum, quo texebantur vestes magni pretii. Plin. lib. XIX, cap. 1. Carbasinis velis fora et theatra olim antiqui obtexuere, moris hujus auctore P. Lentulo Spinthere. Plin. ibid.

rentis similitudine abriperet, consuetudo[7] tamen ac disciplina patri[8] similem esse cogeret. Huc Tertia illa perducta per dolum atque insidias ab Rhodio tibicine, maximas in istius castris effecisse turbas dicitur, quum indigne pateretur uxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier, itemque Æschrionis, honesto loco nata, in conventum suum mimi Isidori filiam venisse. Iste autem Hannibal, qui in suis castris virtute[9] putaret oportere, non genere certari, sic hanc Tertiam dilexit, ut eam secum ex provincia deportaret.

XIII. Ac per eos dies, quum iste cum pallio[1] purpureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus, non offendebantur homines in eo; neque moleste ferebant, abesse a foro magistratum, non jus dici, non judicia fieri; locum illum litoris percrepare totum mulierum[2] vocibus, cantuque symphoniæ; in foro, silentium esse summum causarum atque juris, non ferebant homines moleste : non enim jus abesse videbatur a foro, neque judicia; sed vis, et crudelitas, et bonorum acerba atque indigna direptio.

Hunc tu igitur imperatorem esse defendis, Hortensi? hujus furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam, rerum gestarum magni-

7. *Consuetudo*. Quæ in naturam vertitur. « Omne convivium obscænis canticis strepit; pudenda dictu spectantur *a puero*. Fit ex his consuetudo; deinde natura ». Quintil. lib. I, cap. 2.

8. Cod. Ox. *patris*, quam probat lectionem Gorenz. ad Cic. de Fin. V, 12; item Harles. et Beck. ad hunc locum.

9. *Iste Hannibal qui...virtute*, etc. Alludit ad hoc dictum Hannibalis ex Ennii Ann. 12, « hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, quisquis erit ».

XIII. 1. *Cum pallio*. Pallium Græcorum erat, et Romanis indignum.—*Talari*. Hinc notatur etiam Verris mollities; nam ejusmodi tunica mulierum erat. Qui ea utebantur, male audiebant. Tunicæ virilis mensura vulgo erat, ut paullo infra genus cederet; nam infra mulierum est, supra centurionum. Quintil. XI, cap. 3; A. Gell. lib. VII, cap. 12.

2. Apud Nonium, IV, 63, legitur *muliebribus*. J. V. L.

tudine atque imperatoriis[3] laudibus tegere conaris? Hic scilicet est metuendum, ne, ad exitum defensionis tuæ, vetus illa Antoniana dicendi ratio atque auctoritas proferatur : ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus romanus adspiciat, ex mulierum morsu, vestigia libidinis atque nequitiæ.

Dii faciant, ut rei militaris, ut belli mentionem facere audeas! Cognoscentur enim omnia istius æra[4] illa vetera, ut, non solum in imperio, verum etiam in stipendiis[5] qualis fuerit, intelligatis; renovabitur prima illa militia, quum iste[6] e foro abduci, non, ut ipse prædicat, perduci solebat; aleatoris Placentini castra[7]

3. Alii, ut Olivetus, Lallem. habent *imperatoris*. J. V. L.

4. *Æra*. Sunt stipendia quæ militibus annua dabantur, et sumuntur pro annis militiæ. Hæc igitur est sententia : Cognoscetur vetus illa omnis istius militia; quando et cujus imperatoris in castris æra, seu stipendia meruerit. Sic Verris libidines allegorice significat orator.

5. *In stipendiis*. Quum stipendia mereretur miles.

6. *Quum iste*. Ludit in verbis *adduci*, *perduci*. Solebant nobiles adolescentes, quum primum prætextam deponerent, togamque virilem induerent, in forum ubi judicia exercebantur, ab amicis ad oratores audiendos perduci. Verres, quia videri vellet a prima ætate bonarum rerum studiis fuisse deditus, hoc modo perductum se in forum fuisse prædicabat. At contra eumdem foro, non judiciario, sed illo in quo inambulabant otiosi et flagitiosi homines, per nequitiæ magistros, quibus solis utebatur, abduci ad fœdas libidines solitum fuisse contendit orator. Sic Desjard. et gallicus interpres. Diverso autem omnino sensu Ernest. qui sic explicat, ut *abduci* de ære alieno e luxuria intelligat, propter quod addictus creditori et *abductus* ab eo de foro domum est, et obnoxius factus libidini alienæ; alterum vero *perduci*, de Verre expetito propter formam ad libidinem, et propterea in foro quæsito, et dein perducto ad eos qui eum ad libidinem expeterent. Ceteras interpretationes, ut pote ad locum nihil facientes prætereo : mihi prior magis arridet, quum ipse Cicero paullo infra dicat omnia ejus damna, ætatis fructu ac corporis quæstu fuisse reparata. Videant doctiores.

7. *Castra* appellat loca illa ludis aleatoriis destinata, quibus quamvis frequens adesset, tamen stipendio est orbatus. Quum enim propter infrequentiam, absentiam adimi stipendium militibus soleat. Ex ambiguo jocus elegans est; nam quum videatur dicere, tamen ei stipendium est ademptum, significat, alea Verrem omnia sua bona perdidisse. Nam *ære dirui*, dicitur tam de milite, cui stipendium ignominiæ causa est ademptum, quam de eo, quem alea nudavit. *In stipendiis*, dum in aleatoris Placentini castris militavit.

commemorabuntur, in quibus quum frequens fuisset, tamen ære dirutus est; multa ejus in stipendiis damna proferentur, quæ ab isto, ætatis fructu, dissoluta et compensata sunt. Jam vero, quum in ejusmodi patientia turpitudinis, aliena, non sua satietate obduruisset; qui vir fuerit, quot præsidia, quam munita, pudoris et pudicitiæ, vi et audacia ceperit, quid me attinet dicere, aut conjungere cum istius flagitio cujusquam præterea dedecus? Non faciam[8], judices; omnia vetera prætermittam; duo sola recentia sine cujusquam infamia ponam; ex quibus conjecturam facere de omnibus possitis: unum illud, quod ita fuit illustre notumque omnibus, ut nemo tam rusticanus homo, L. Lucullo[9] et M. Cotta consulibus, Romam ex ullo municipio vadimonii causa venerit, quin sciret, jura omnia prætoris urbani[10], nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari; alterum, quod, quum paludatus[11] exisset, votaque pro imperio

8. *Non faciam.* Præteritio gravis qua eo magis oneratur Verres, quod sibi quisque animo fingit ad arbitrium, quæ tacet orator.

9. *L. Lucullo.* Anno Urbis 679, quo anno Romæ præturam urbanam gessit Verres.

10. Male olim legebatur, *pop. rom.* J. V. L.

11. *Paludatus.* Indutus paludamento, quod pallii species, idem, ut putatur, atque chlamys, vestis militaris fuit; ex Hetruria ad Romanos transierat, teste Floro lib. V. Color ejus eximius e cocco, seu purpureus. Hoc induti imperatores ad bellum inter vota, et frequentiam amicorum eos deducentium, proficiscebantur. *Nuncupare* est expresse et nominatim pronuntiare. Hoc verbum solemne est et in iis rebus, quæ certis et conceptis verbis publice privatimque peraguntur. Hinc usitata formula: « Uti lingua nuncupassit; ita jus esto ». *Vota nuncupare* est nominatim et conceptis verbis aliquid vovere. Mos erat olim ut imperatores in Capitolio vota Jovi, pro felici armorum suorum successu, facerent, quæ in tabulas, præsentibus multis, referrentur; atque ita votis nuncupatis, in provinciam exirent. Ibidem etiam ad bellum ituri auspicia capiebant; hoc est, summum rerum gerendarum, et belli administrandi imperium. Hac enim voce denotatur vis ipsius summæ potestatis, et eminens quædam rerum gerendarum auctoritas, atque efficacia quasi divinitus,

suo, communique populi romani[12] nuncupasset, noctu, stupri causa, lectica in Urbem introferri solitus est ad mulierem, nuptam uni, propositam omnibus, contra fas[13], contra auspicia, contra omnes divinas atque humanas religiones.

XIV. O dii immortales! quid interest[1] inter mentes hominum et cogitationes? Ita mihi meam voluntatem, spemque reliquæ vitæ, vestra populique romani existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus populus romanus mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer! Ita quæstor sum factus, ut mihi honorem illum non tam datum[2], quam creditum ac commissum putarem. Sic obtinui[3] quæsturam in provincia Sicilia, ut omnium

ab ipso Jove, concessa imperantibus. — *Pro imperio suo*, id est, ut sibi imperanti dii faverent.

12. Al. *republica*. J. V. L.

13. *Contra fas*. Magistratui post vota nuncupata, ex Urbe in provinciam egresso, fas non erat in eam, nisi confecta provincia, regredi. Alioquin auspicia quæ ceperat in Capitolio, et imperium, statim amittebat. Hinc est quod addit Cicero, *contra auspicia*, id est, contra auspiciorum, seu imperii retinendi rationem.

XIV. 1. *Quid interest*. Quum in hoc loco et sui et Verris comparationem proponat orator, et ea quæ fecerit quæstor, et quæ facturus sit ædilis prædicet, quibusdam visus est supervacue extra rem propositam excedere, istamque toties objectam vani ingenii suspicionem confirmare. Verum minor hic gloria quam ambitio : etenim, jam magistratus, Cicero, ea utitur occasione, quæ ex tot et tantis propositis flagitiis ac facinoribus facile erumpit, ut ipse quodammodo suos intimos sensus profiteatur, et qua ratione sibi populi rom. gratiam conciliari velit, aperte declaret. Neque sane sine quodam voluptatis sensu tam nobiles voces a populo erant excipiendæ, qui in illa pæne omnium ordinum ac magistratuum corruptela, saltem eminere videret magnum virum qui conscientia fretus, ad honores per virtutem tantum progrederetur.

2. *Non tam datum, quam creditum*. Sic optime Henric. de Mesmes. Olim « tum non solum datum, sed etiam creditum ». Quod defendit Ernest. ut acutius et elegantius. Horum verborum hæc est differentia, quod datis rebus male uti licet, commissis et creditis non licet, quia earum est reddenda ratio. Sic una et beneficium et officium complectitur. — *Extraordinariis cupiditatibus*, id est, quæ sunt contra modum, et ordinem vitæ temperantis et moderatæ, ut quum quis vino et epulis utitur, non ut necessitati pareat; sed in his rebus novas excogitat voluptates.

3. *Sic obtinui*. Sorte.

oculos in me unum conjectos arbitrarer; ut me, quæsturamque meam, quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimarem; ut omnia semper, quæ jucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati denegarem.

Nunc sum designatus ædilis[4]; habeo rationem, quid a populo romano acceperim: mihi ludos[5] sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciundos; mihi Floram matrem[6] populo plebique romanæ ludorum celebritate placandam; mihi ludos antiquissimos, qui primi romani[7] sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos; mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem[8] tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus

4. *Designatus ædilis.* Et quidem prior; nam ædiles erant duo, *curules* dicti a sella curuli in qua sedendi jus habebant. Alii erant ædiles minores, dicti *plebeii*, qui sellæ curulis jus non habebant. Primi ædiles curules creati sunt anno Urbis 388. Eorum triplex erat procuratio: 1° ædium sacrarum et privatarum; 2° ludorum solemnium; 3° annonæ. Ad pleniorem hujus rei intelligentiam, vid. Spanh. de usu et præst. numis. Diss. 10.

5. *Mihi ludos.* Isti ludi tribus quamvis diis, ut patet ex hoc loco, essent communes, tamen *Cereales*, ab una Cerere, dicti sunt. Initium habebant, ex calendario, ad diem quintum idus, seu 9 aprilis, atque per octo dies continuabantur.

6. *Mihi Floram matrem.* Floralia, seu florales ludi Romæ celebrabantur 4 kal. maii, 28 aprilis, per sex dies, cum omni lascivia. Ludi florales celebrari cœperunt anno Urbis conditæ 513 non ex meretricis cujusdam hereditate, ut putavit Lactant. lib. I, cap. 20, sed ex multatitia pecunia eorum, qui peculatus damnati fuerant, quia publicum populi romani agrum depasti essent, ut narrat Ovid. Fast. V, 283 et seqq. Hæc initia fuerunt Floralium, quæ exinde celebrata non sunt, nisi quum anni ratio posceret, aut libris Sibyllinis præscriberetur. At anno 580 ex verni temporis intemperie et anni sterilitate decretum est ut annui deinceps celebrarentur. Ovid. ibid.

7. *Qui primi.* Hos L. Tarquinius instituit, primosque in circo, qui maximus dicitur, dedit, bello cum Latinis feliciter gesto, et Appiolis captis. Solemnes deinde annui mansere ludi, primique Romani sunt nominati. Livius, lib. I, cap. 35; Onuph. de Ludis circ. lib. I, c. 4; Rosin. lib. V, c. 19.

8. *Totam urbem.* Nam ad ædificia tam privata quam publica, tam sacra quam profana, et ad ea omnia, quæ ad Urbis tutelam et ornamentum facerent, ædilium procuratio pertinebat.

illos datos, antiquiorem[9] in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam[10], sellam curulem, jus imaginis[11] ad memoriam posteritatemque prodendæ[12].

Ex his ego rebus omnibus, judices, ita mihi deos omnes propitios esse velim, ut, tametsi mihi jucundissimus est honos populi[13], tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum sollicitudinis et laboris, ut hæc ipsa ædilitas, non, quia necesse fuerit, alicui candidato data, sed, quia sic oportuerit, recte collocata, et judicio populi in loco posita esse videatur.

XV. Tu, quum[1] esses prætor renuntiatus quoquo modo (mitto enim et prætereo[2], quid tum sit actum); sed quum esses renuntiatus, ut dixi, non ipsa præco-

9. *Antiquiorem*. Id est, priorem; ante omnes nimirum senatores, atque etiam magistratus; consulibus tamen, prætoribus, censoribus exceptis.

10. *Togam prætextam*. An vero ita honorificum æstimari debuit jus illud togæ prætextæ, quod permittebatur omnibus magistratibus tam romanis quam in coloniis, municipiisque, quod Romæ infimo generi, magistris virorum et collegiorum? Docet Liv. lib. XXXIV, cap. 7, tom. VI, pag. 352 edit. nost.

11. *Jus imaginis*. Id est, nobilitatem. Nobilitas et imagines promiscue sæpe sumuntur. Qui majorum jure suorum habuerunt imagines, ii nobiles; qui suas tantum, ii novi; qui nec majorum, nec suas, ignobiles appellati sunt. Nemini permittebatur jus imaginis nisi illi qui magistratus curules gessisset. « Expressi cera vultus singulis deponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus ». Plin. lib XXXV, cap. 2. Vid. Polyb. lib. VI, cap. 51.

12. Ita Jac. Gronov. ex emendat. patris, Observat. I, 12. Olim, *prodendam*, quod servavit Grævius; et sic e MSS reg. quatuor, qui tamen non *imaginis*, sed *imagines* præferunt. Lambin. « jus, imagines ad.... prodendam ». J. V. L.

13. *Honos populi*. Magistratus ille mihi a populo datus.— *Quia necesse*, nam ex instituto majorum necesse est quotannis ædiles creari. *Alicui*, id est, uni e candidatis. Candidati erant qui candida veste induti, comitia quum habebantur, singulas tribus obibant, suffragia pro se ipsi rogantes.

XV. 1. *Tu quum*. Dissimilitudo Verris a Cicerone, in accipiendis gerendisque magistratibus.

2. *Prætereo*. Significat empta fuisse a Verre suffragia. Dederat autem, ut prætor renuntiaretur, sestertium octingenta millia divisoribus (gall. 164,000 £.), trecenta accusatori (gall. 61,500), ne sibi esset contrarius. Lib. IV, c. 20.

nis voce excitatus es, qui te toties seniorum juniorumque centuriis[3] illo honore affici pronuntiavit, ut hoc putares, aliquam reipublicæ partem tibi creditam? annum tibi illum unum domo carendum esse meretricis? Quum tibi sorte obtigisset[4], ut jus diceres; quantum negotii, quid oneris haberes, numquam cogitasti; neque illud rationis habuisti, si forte expergefacere te posses, eam provinciam[5], quam tueri singulari sapientia atque integritate difficile esset, ad summam stultitiam nequitiamque venisse? Itaque non modo domo tua Chelidonem in prætura extrudere noluisti, sed in Chelidonis domum præturam tuam totam detulisti.

Sequuta provincia est[6]; in qua tibi numquam venit in mentem, non tibi idcirco fasces, et secures, et tantam imperii vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi et auctoritate omnia repagula juris, pudoris et officii perfringeres; ut omnium bona, prædam tuam duceres; nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem et audaciam posset esse: in qua tu te ita gessisti, ut, quum omnibus teneare rebus, ad bellum fugiti-

3. *Centuriis.* Majores magistratus, id est, prætor, consul, censor, a populo ex censu, ordinibus et ætate per centurias descripto, creabantur; unde comitia illa centuriata appellata sunt.

4. *Sorte obtigisset.* Creati a populo prætores provincias, id est, procurationes, inter se sortiebantur. Cui jurisdictio obvenerat, *prætor urbanus* appellabatur, ceteri *quæsitores.* Eadem ratione provincias inter se sortiebantur, in quas mitterentur. Vide plura in excurs. de præt. urban. tom. I, pag. 385, secund. part. edit. nost.

5. *Eam provinciam.* Eam procurationem, eam juris administrationem, cujus onus sustinere vix posset homo omnium sapientissimus atque integerrimus, ad te omnium stultissimum, nequissimumque pervenisse.

6. *Sequuta provincia est.* Sequutus est annus, quo in provinciam Siciliam administrandam profectus es; quod contigit anno U. 680. — *Quum omnibus.* Quum undique sis circumventus, nihil jam tibi superest, nisi ut ad bellum fugitivorum tamquam ad aram, confugias, ut inde tibi aliquam defensionem pares.

vorum confugias. Ex quo jam intelligis, non modo tibi nullam defensionem, sed maximam vim criminum exortam : nisi forte Italici belli[7] fugitivorum reliquias, atque illud Tempsanum[8] incommodum proferes; ad quod recens quum te peropportune fortuna obtulisset, si quid in te virtutis atque industriæ fuisset, idem, qui semper fueras, inventus es.

XVI. Quum ad te Valentini[1] venissent, et pro his homo disertus et nobilis M. Marius loqueretur, ut negotium susciperes, ut, quum penes te prætorium imperium ac nomen esset, ad illam parvam manum exstinguendam, ducem te principemque præberes; non modo id refugisti, sed eo ipso tempore, quum esses in litore, Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conspectu : ipsis autem Valentinis, ex tam illustri nobilique municipio, tantis de rebus responsum nullum dedisti, quum esses cum tunica pulla[2] et pallio. Quid hunc proficiscentem, quid in

7. *Italici belli.* Spartaco victo per M. Crassum et occiso, residua Spartaci manus Tempsam, oppidum in Bruttiis, occupavit et depopulata est; ad quod incommodum exstinguendum Verrem Romam e provincia redeuntem, quum *peropportune fortuna obtulisset;* idque iste ut faceret rogatus fuisset, refugit; atque idem qui semper fuerat, hoc est, et ignavus et libidinosus inventus est. Porro istas fugitivorum depopulationes consulto imminuit orator, dum eas appellat incommodum, non vero bellum, et dum manum illorum parvam fuisse significat, ut tanto magis augeat Verris ignaviam, quanto magis rem extenuat.

8. *Tempsanum.* Temsa, seu Tempsa, seu Temessa (varie enim scribitur), oppidum primum Bruttiorum a fugitivis est direpta. Conf. Liv. XXXIV, 45, tom. VI, pag. 410 edit. nost.

XVI. 1. *Valentini.* Incolæ urbis Vibonis Valentiæ in extrema Italia. Venerunt autem illi trajecto freto in Siciliam; nam, ut ait Ernest. ipse adhuc in Siciliæ litore erat : quod litus intelligendum esse e verbo *deportare* patet. J. V. L.

2. *Cum tunica pulla.* Duo reprehendit orator in Verris vestitu : 1° quod non habuerit albam tunicam, qui color erat proprius Romanorum ingenuorum, sed pullam, quæ erat servorum et vilissimæ plebis; 2° quod pallio, vestimento græco, fuerit amictus, non vero toga romana, aut paludamento imperatorio. Supra cap. 12. — *Non ad triumphum.* Uti ceteri plerique provinciarum administratores. — *Illam...*

ipsa provincia fecisse existimatis, qui quum jam ex provincia, non ad triumphum, sed ad judicium decederet, ne illam quidem infamiam fugerit, quam sine ulla voluptate capiebat.

O divina senatus frequentis in æde Bellonæ[3] admurmuratio! Memoria tenetis, judices, quum advesperasceret, et paullo ante esset de hoc Tempsano incommodo nuntiatum, quum inveniretur nemo[4], qui in illa loca cum imperio mitteretur, dixisse quemdam[5], Verrem esse non longe a Tempsa: quam valde universi admurmurarint, quam palam principes[6] contra dixerint. Et is tot criminibus testimoniisque convictus, in eorum tabellis[7] spem sibi aliquam ponit, quorum omnium palam, causa incognita[8], voce damnatus est?

XVII. Esto[1]: nihil ex fugitivorum bello, aut suspi-

infamiam, quam sibi gratis inurebat, quum staret in litore, id est, in conspectu omnium cum tunica pulla, et pallio, et cum meretricula Tertia.

3. *In æde Bellonæ.* Hanc vovit consul Appius, qui postea Cæcus dictus est, in medio pugnæ discrimine, anno Urbis 457 (Liv. X, 19); eamque extra urbem ædificatam, ornavit depictis majorum imaginibus. In ea æde exterarum nationum legatis, quos in Urbem admittere nolebant, senatus dabatur; et iis etiam imperatoribus, qui triumphum petebant. Ante hanc ædem columna erat dicta *Bellica*, unde cruentam hastam consul jacere solebat, populi alicui bellum indicturus. —*Admurmuratio*. Quia nempe senatus quid de Verre sentiret indicavit.

4. *Quum inveniretur nemo.* Non quod ire nemo vellet; sed quod in Italia cum imperio tunc nemo esset; extra ordinem autem decerni, qui contra fugitivorum reliquias cum imperio mitteretur, dignitatis publicæ non esse videretur. Quam ob causam facta Verris mentio est, quod is et cum imperio esset, nec longe a Tempsa, jam e provincia decedens.

5. *Dixisse quemdam.* Schütz. ne laboraret verborum constructio, *dixissetque quidam*. Quod jam Ernest. censuerat. J. V. L.

6. *Principes.* Nempe consulares et prætorii, quique magistratum gerebant.—*Testimoniis* senatus frequentis.

7. *In eorum tabellis.* Tabellas judiciales significat, quibus judices sententias, quas antea voce dicebant, lege Cassia tabellaria, lata anno 616, ferebant. — *Quorum omnium.* Judicabant soli tunc senatores lege Cornelia L. Sullæ.

8. *Causa incognita.* Nondum enim ex accusatore et testibus qualem se Verres in provincia præbuerat, audiverant.

XVII. 1. *Esto.* Non omittam observationem prudentissimi viri P. Manutii, quippe quæ facit ad dignoscen-

cione belli, laudis adeptus est, quod neque bellum ejusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab isto provisum est, ne quod esset. At vero contra bellum prædonum[2] classem habuit ornatam[3], diligentiamque adhibuit in eo singularem : itaque, isto prætore, præclare defensa provincia est. Sic de bello prædonum, sic de classe Siciliensi, judices, dicam, ut hoc jam ante confirmem, in hoc uno genere omnes inesse culpas istius maximas, avaritiæ, majestatis, dementiæ[4], libidinis, crudelitatis. Hæc dum breviter expono, quæso, ut fecistis adhuc, diligenter attendite.

dum orationis artificium. Orationem, inquit, ad aliam rem traducere, sic ut conjungantur ea, quæ diversa sunt, vulgaris artificii non est. Ista traductio hoc loco fit per verbum *esto*, cui conjungitur *at vero*, quasi dicat orator: Ergo jam hoc a me probatum, et demonstratum est, nihil ex fugitivorum bello, etc. Ejusdem artificii est illud lib. I, cap. 24: « At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, etc. quam multis is tum ingenuis, etc. » Hoc quidquid est industriæ si quis negligit, nimirum is quanti sit eloquentia, quamque partes in ea multæ requirantur, simul negligere videtur.

2. *Bellum prædonum.* Ter instauratum est. Piratæ primum parvis initiis orti ex Cilicia, potentiam traxerunt post modum ex belli Mithridatici diuturnitate, et ex sua cum Syris, Cypriis, et ferme orientalibus gentibus omnibus, societate. Itaque non solum mare, quod Orientis oras alluit, sed omne quam late patet usque ad Columnas Herculis, habuerunt in potestate. Flor. lib. III, cap. 6; Plutarch. in Pomp. Piratas vicit M. Antonius, ac de iis navalem egit triumphum anno Urbis 651. Bellum postea quum recruduisset, missus contra eos P. Servilius, Cilicas et Isauros armis domuit, ac de iis triumphavit anno Urbis 679, atque Isaurici cognomen sumpsit. Sed piratarum opes nec M. Antonius, nec P. Servilius, nec multi alii Romanorum duces frangere potuerunt. Imo quasi cladibus suis crevissent illi, jam omnia maria, oras maritimas, insulas, portus latrociniis suis infesta habebant. Itaque missus contra eos Pompeius lege Gabinia lata anno 685, biennio post has in Verrem habitas orationes, bellum piraticum summa cum felicitate et celeritate confecit.

3. *Ornatam.* Classem instructam remigibus, militibus, duce, rebus ad pugnandum necessariis sic uno verbo appellabant. — *Adhibuit.* Vocem hanc ex uno cod. adjecit Lambin. in quam Hotom. conjectura inciderat.

4. *Majestatis, dementiæ.* Conjecit Hotom. recepit Lambin. Sed crimen læsæ majestatis uno verbo solet exprimi. Ceterum non bene inter se coire majestatis et dementiæ crimen arbitratur Schütz. nec scit utrum sint insititia. J. V. L.

Rem navalem primum ita dico esse administratam, non uti provincia defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quæreretur. Superiorum prætorum consuetudo quum hæc fuisset, ut naves civitatibus, certusque numerus nautarum militumque imperaretur [5], maximæ et locupletissimæ civitati Mamertinæ nihil horum imperavisti: ob quam rem quid tibi Mamertini clam dederint pecuniæ, post videbitur; ex ipsorum literis et testibus quæremus. Navem vero Cybeam maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam [6] palam ædificatam sumptu publico, sciente tota Sicilia [7], per magistratus senatumque Mamertinum tibi datam donatamque esse dico. Hæc navis, onusta præda Siciliensi, quum ista quoque esset ex præda, simul quum iste decederet, appulsa Veliam est, cum plurimis rebus, et iis, quas ante Romam mittere cum ceteris furtis noluit, quod erant carissimæ, maximeque eum delectabant. Eam navem nuper egomet vidi Veliæ, multique alii viderunt, pulcherrimam atque ornatissimam [8], judices: quæ quidem omnibus, qui eam adspexerant, prospectare jam exsilium, atque explorare fugam domini [9] videbatur.

XVIII. Quid mihi hoc loco respondebis? nisi forte id, quod, tametsi probari nullo modo potest, tamen dici quidem in judicio de pecuniis repetundis necesse

5. *Certusq. numerus naut. militumque imperaretur.* Ex fœdere, lib. IV, cap. 9. — *Ex ipsorum literis.* Id est, ex tabulis publicis.

6. *Ornatissimam.* Rebus omnibus egregie instructam. — *Appulsa Veliam est.* Cur huc, potius quam Romam? Quia quod pretiosissimis rebus onusta erat, eam noluit antequam ipse veniret, Romam appellere; sed Veliæ stare voluit, unde postea terrestri itinere res illas domum et suam et amicorum occultius transferret.

7. *Sciente tota Sicilia.* Sic e MS Græv. et Beck. Suspectum hoc habuit Ernest. quasi eam rem Sicilia fama non cognoverit.

8. Tria hæc verba repetita e superioribus videntur. J. V. L.

9. *Domini.* Verris, qui judicum sententia damnatus, iturus esset in exsilium, avectus ipsa illa navi.

est, de tua pecunia[1] ædificatam esse eam navem. Aude hoc saltem dicere, quod necesse est : noli metuere, Hortensi, ne quæram, qui licuerit ædificare navem senatori[2]. Antiquæ sunt istæ leges et mortuæ, quemadmodum tu soles dicere, quæ vetant. Fuit ista[3] respublica quondam, fuit ista severitas in judiciis, ut istam rem accusator in magnis criminibus objiciendam putaret. Quid enim tibi[4] nave opus fuit? cui, si quo publice proficiscereris, et præsidii et vecturæ causa, sumptu publico navigia præberentur; privatim autem nec proficisci quoquam potes, nec arcessere res transmarinas ex iis locis, in quibus[5] tibi habere, mercari nihil licet.

XVIII. 1. *De tua pecunia.* Quemadmodum, falso licet, dicebas libro superiore, signa illa quæ revera abstuleras, a te empta fuisse.

2. *Senatori.* Quia lege Claudia, lata anno Urbis 535, cavebatur ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem quæ plus trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum fuit ad fructus ex agris vectandos. Adeo quæstus omnis patribus indecorus visus est. Liv. XXI, 63. Hanc legem postea renovasse, et suæ legi de repetundis inseruisse Cæsar dictator videtur ex verbis illis Scævolæ : « Ex lege Julia senatoribus habere naves non licuisse ». Digest. lib. L, tit. 5, l. 3.

3. *Fuit ista.* Pathos a tempore, et rerum commutationes, quasi jam non sint, omnisque reipublicæ dignitas et omnis judiciorum severitas exstincta sit. Hic loquendi color in Græcorum tragœdiis passim obvius est. In eamdem sententiam dixit in oratione pro lege Manilia, cap. 12, « fuit hoc quondam, fuit proprium ».

4. *Quid enim tibi.* Urgetur adversarius hoc dilemmate. Si tibi nave opus fuit, aut ad res publicas, aut ad res tuas privatas opus fuit. Sed ad neutras opus habuisti; non ad publicas, quia *si quo publice*, etc. non ad privatas, quia *privatim*, etc. Advertes primam solutionem prolepseos præcedentis, « de Verris pecunia navem ædificatam fuisse ». — *Publice.* Id est, publica auctoritate; a senatu missus et a populo. — *Nec proficisci.* Magistratui enim non licebat, sine senatus auctoritate, e sua provincia exire. Marcian. Digest. lib. I, tit. 18, leg. 15 : « Illud observandum est, ne, qui provinciam regit, fines ejus excedat, nisi voti solvendi causa; dum tamen abnoctare ei non liceat ».

5. *In quibus.* Hæc verba cum distinctione accipienda sunt. Nam senatores habebant, et licebat eis habere, in Sicilia, Africa, Asia, aliisque in provinciis latifundia. Sed non merces ad mercandum. Frustra Lambinus et Grævius suspectum habent *habere*. Omnino expunxit Schütz.

Deinde cur quidquam contra leges[6] parasti? Valeret[7] hoc crimen in illa veteri severitate ac dignitate reipublicæ. Nunc non modo te hoc crimine non arguo; sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. Postremo[8] tu tibi hoc numquam turpe, numquam criminosum, numquam invidiosum fore putasti, celeberrimo loco palam tibi ædificari onerariam navem in ea provincia, quam tu cum imperio obtinebas? Quid eos loqui, qui videbant? quid existimare eos, qui audiebant, arbitrabare? inanem te navem esse in Italiam deducturum? navicularium[9] te, quum Romam venisses, esse facturum? Ne illud quidem[10] quisquam poterat suspicari, te habere in Italia maritimum fundum, et ad fructus deportandos onerariam navem comparare. Ejusmodi de te voluisti sermonem esse omnium, palam ut loquerentur, te illam navem parare, quæ prædam ex Sicilia deportaret, et quæ ad ea furta[11], quæ reliquisses, commearet.

Verum hæc omnia, si doces navem de tua pecunia ædificatam, remitto atque concedo. Sed hoc, homo amentissime, non intelligis priore actione ab ipsis istis tuis Mamertinis laudatoribus esse sublatum?

6. *Contra leges*. Id est, contra legem Claudiam.

7. *Valeret*. Occupatio. Intelligo quid responsurus sit Hortensius. Valeret, inquiet. Itaque ego nunc non modo te hoc crimine non accuso, sed quod omnes communiter vituperant, id ego non reprehendo.

8. *Postremo*. Abest a quibusdam edd. vett. et cod. Cujac. Gruter. interpungendum censebat « reprehendo postremo : tu tibi hoc numquam turpe, etc. » J. V. L.

9. *Navicularium facere* est quæstum facere, dum propriis navibus homines et merces alienas trajicimus. Conf. supra II, 55. Sic *argentariam facere*, infra cap. 59, id est, argentarii munus ad quæstum exercere.

10. *Ne illud quidem*. Nemo putare poterat illam a te comparatam fuisse navem ad fructus deportandos, quia ne illud quidem quisquam, etc.

11. *Ad ea furta* avehenda, quæ decedens reliquisses in Sicilia; *commearet* Roma in Siciliam.

Nam dixit Heius, princeps civitatis, princeps istius legationis, quæ ad tuam laudationem missa est, navem tibi operis publicis Mamertinorum esse ædificatam, eique faciendæ senatorem Mamertinum publice præfuisse. Reliqua est materies : hanc Rheginis, ut ipsi dicunt (tametsi tu negare non potes), publice, quod Mamertini materiem non habent, imperavisti.

XIX. Si et ex quo fit navis, et qui faciunt, imperio tibi tuo, non pretio, præsto fuerunt; ubi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? At Mamertini [1] in tabulis nihil habent. Primum video, potuisse fieri, ut ex ærario nihil darent [2] : etenim vel Capitolium [3], sicut apud majores nostros factum est, publice coactis fabris, operisque imperatis, gratis exædificari atque effici potuit. Deinde id quoque perspicio (quod et ostendam, quum istos [4] produxero) ipsorum ex literis, multas pecunias isti erogatas, in operum locationes falsas atque inanes, esse perscriptas. Jam illud minime mirum est, Mamertinos, a quo summum [5] beneficium acceperant, quem sibi amiciorem, quam populo romano esse cognoverant, ejus capiti

XIX. 1. *At Mamertini.* At, inquit Verres, sumptu publico Mamertinorum navis ista non est ædificata; nam Mamertini scriptum non habent in tabulis publicis suæ civitatis, se pecunias in hujus rei sumptum impendisse.

2. *Nihil darent.* Quod navem illam opere tributario, gall. *la corvée*, ædificari voluerint.

3. *Vel Capitolium.* Ipsum Capitolium, quod longe operosius ædificatum est quam una navis. De prima Capitolii ædificatione sub regibus loquitur. Liv. I, 56. Alterum a Catulo post Sullæ mortem fuit consecratum.

4. *Quum istos.* Quum Mamertinos testimonium dicturos producam et ex tabulis publicis demonstrabo Verri datam fuisse multam pecuniæ vim et in expensis scriptam propter istum, sub titulo locationum ementitarum. Hoc autem fecerant Mamertini, ut ejus pecuniæ, quam in navis ædificationem erogaverant, quamque Verri nocere nolentes, in tabulas suas publicas sub eo titulo perscribi noluerant, exitus aliquis inveniretur.

5. *A quo summum.* Mamertinis tritici modium 60,000, et navem quam reipublicæ debebant ex fœdere, Verres remiserat. Lib. IV, cap. 9. Hinc est,

literis suis pepercisse. Sed si[6] argumento est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent; sit argumento, tibi gratis constare navem, quia, quid emeris, aut quid locaveris, scriptum proferre non potes.

At enim idcirco[7] navem Mamertinis non imperasti, quod sunt fœderati. Dii approbent[8]: habemus hominem in Fetialium[9] manibus educatum; unum, præter ceteros, in publicis religionibus fœderum sanctum[10] et diligentem. Omnes, qui ante te prætores fuerunt, dedantur[11] Mamertinis, quod iis navem contra pactionem fœderis imperarint. Sed tamen tu, sancte homo ac religiose, cur Taurominitanis item fœderatis navem imperasti? An hoc probabis, in æqua causa populorum, sine pretio[12] varium jus et disparem conditionem fuisse? Quid? si ejusmodi esse hæc duo fœdera duorum populorum, judices, doceo,

quod istum dicit amiciorem Mamertinis fuisse, quam populo romano. — *Ejus capiti.* Id est, noluisse quidquam in tabulas suas referre, quod Verri nocere posset.

6. *Sed si.* Urget Verrem orator argumento, quod vocant *ad hominem.* — *Quia quid emeris*, etc. *Emere* et *locare* in hoc differunt apud JCtos, quod emptio sit, quum artifex et rem et operam præbet; locatio, quum artifici materia subministratur, ipse solum suam præbet operam. — *Scriptum proferre.* Mos erat ut singuli patresfamilias omnia et expensa et accepta in tabulas referrent, atque ex iis fidem expensarum suarum facerent.

7. *At enim idcirco navem Mamertinis.* Altera prolepsis, qua removet aliam defensionem, et in eo crimen esse majestatis ostendit, quod navem Mamertinis Verres remiserit.

8. *Dii approbent.* Modus loquendi, laudationi inserviens; sed hic mera ironia est, quasi factum Verris ejusmodi sit, ut a diis umquam approbari queat.

9. *In Fetialium.* Jocus in Verrem ab officio Fetialium, quorum erat inter cetera, ut ne armis, aut injuria quavis alia, fœderatæ civitates violarentur.

10. *Sanctum.* Id est, diligenter et incorrupte servantem fœdera, quæ publica auctoritate, diis testibus adhibitis, sanciuntur.

11. *Dedantur.* Apposite; nam dedere est verbum Fetialibus usitatum; et qui contra fœdera fecerant, ii, ut populo, cujus fœdera violarant, dederentur, fetiales postulabant. Varro de Vita populi romani, lib. III.

12. *Sine pretio.* Non data tibi pecunia.

ut Taurominitanis nominatim cautum et exceptum sit fœdere, « Ne navem dare debeant »; Mamertinis in ipso fœdere sanctum atque perscriptum sit, « Uti « navem dare necesse sit »; istum autem, contra fœdus, Taurominitanis imperasse, et Mamertinis remisisse : num cui dubium poterit esse, quin, Verre prætore, plus Mamertinis Cybea, quam Taurominitanis fœdus opitulatum sit? Recitentur fœdera. MAMERTINORUM ET TAUROMINITANORUM[13] CUM POPULO ROMANO FŒDERA.

XX. Isto igitur tuo, quemadmodum ipse prædicas, beneficio; ut res indicat, pretio atque mercede, minuisti majestatem reipublicæ, minuisti auxilia populi romani, minuisti copias, majorum virtute ac sapientia comparatas; sustulisti jus imperii, conditionem sociorum[1], memoriam fœderis. Qui ex fœdere ipso navem, vel usque ad Oceanum, si imperassemus, sumptu periculoque suo armatam atque ornatam mittere debuerunt, hi, ne in freto ante sua tecta et domos navigarent, ne sua mœnia portusque defenderent, pretio abs te jus fœderis et imperii conditionem emerunt[2].

Quid censetis in hoc fœdere faciundo voluisse Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis adscriberetur, si id ullo modo possent a nostris majoribus impetrare? Nam, quum hoc munus impe-

13. *Mamertinorum et Taurominitanorum*, etc. Hunc titulum rejicit Græyius; retinuit Ernest. cum Lambino et Grutero; quia sic solet orator titulos inserere capitum quæ recitanda sunt.

XX. 1. *Conditionem sociorum*. I. e. qua socii fœdus fecerant cum republica. — *Memoriam fœderis*. Quum enim fœderis non observantur conditiones, ipsius fœderis abolescat memoria necesse est.

2. Lamb. e codice, ut ait, *redemerunt*. Idem conjecit Muret. Recepit Schütz. Vulgatæ vocis sensus ut rarior, sic vehementior. Enimvero Mamertinis ex fœdere navis imperanda erat; ne vero darent illam, pretio emerunt fœderis jus, quasi jam per fœdus nulla imperari navis possit.

raretur[3] tam grave civitati, inerat, nescio quo modo, in illo fœdere societatis quasi quædam nota servitutis. Quod tum recentibus suis officiis, integra re[4], nullis populi romani difficultatibus, a majoribus nostris fœdere assequi non potuerunt; id nunc nullo novo officio suo, tot annis post, jure imperii nostri quotannis usurpatum, ac semper retentum, summa in difficultate navium, a C. Verre pretio assequuti sunt. At non hoc[5] solum sunt assequuti, ne navem darent: ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in præsidio[6] esset, te prætore, per triennium Mamertini dederunt?

XXI. Denique quum ex senatusconsulto[1], itemque ex lege Terentia et Cassia, frumentum æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ civitatibus oporteret; id quoque munus leve atque commune Mamertinis remisisti. Dices frumentum Mamertinos non debere. Quomodo, non debere? an, ut ne venderent? non enim erat hoc genus frumenti ex eo genere, quod exigeretur, sed ex eo, quod emeretur. Te igitur[2] auctore et interprete, ne foro quidem et commeatu Mamertini populum romanum juvare debuerunt.

3. *Hoc munus imperaretur*. Edd. vett. habent *imperabatur*; nonnulli MS *imponebatur*. Quod rescripsit Lambin. Schütz.

4. *Integra re*. Nusquam antea data navi.—*Nullis pop. rom*. Navibus quum non egeret populus romanus. — *Assequi*. Obtinere.

5. *At hoc non solum*. Ernest. cum Lamb. Grut. Verburg. omisso « non » interrogandi formam ut vulgata efficaciorem induxit.

6. *Aut in præsidio*. Inter milites præsidiarios, qui hic stationem haberent ad provincialium motus coercendos.

XXI. 1. *Ex senatusconsulto*. Duo frumenti genera reipublicæ pendebant Siculi ex fœdere, alterum gratuitum, quod vectigalis nomine exigebatur; alterum quod emebatur, et pro quo ex senatusconsulto pecunia solvebatur Siculis a republica. Sed quædam civitates erant immunes et vectigale frumentum non pendebant, et frumentum emptum omnes æquabiliter debebant. Hac distinctione excludit orator Verris defensionem. Vid. supra lib. III, cap. 70.

2. *Te igitur auctore*. Subaudi, novæ legis. — *Interprete*. Cassiæ legis et senatusconsulti.

Quæ tandem civitas[3] fuit, quæ deberet? Qui publicos agros[4] arant, certum est, quid ex lege censoria dare debeant: cur iis quidquam præterea ex alio genere[5] imperavisti? Quid? decumani[6] num quid præter singulas decumas ex lege Hieronica debent? cur iis[7] quoque statuisti, quantum ex hoc genere frumenti empti darent? Qui sunt immunes[8], ii certe nihil debent; at his non modo imperasti, verum etiam, quo plus darent, quam poterant, hæc sexagena millia modium, quæ Mamertinis remiseras, addidisti. Neque hoc dico[9], ceteris non recte imperatum esse: Mamertinis, qui erant in eadem causa, quibus superiores omnes prætores item, ut ceteris, imperarant, pecuniamque ex senatusconsulto et ex lege dissolverant, his dico non recte remissum. Et, ut hoc bene-

3. *Quæ tandem civitas.* Arguitur aliud Verris scelus, quod in Centuripinos et Halesinos, immunes populos, illud frumenti, quod Mamertinis remissum est, transtulit. Vid. lib. IV, cap. 9.

4. *Qui publicos agros.* Agri appellabantur *publici*, quos respublica, jure belli, sibi addixerat. Septemdecim Siciliæ civitatum, quæ bellum cum populo romano gesserant, agri publicati fuerant et postea iisdem civitatibus redditi. Hi a censoribus locari solebant aratoribus tum Siculis tum Romanis, qui certam frumenti copiam quotannis populo romano solverent, reliquum sibi haberent. Vid. lib. III, cap. 6. — *Legis censoriæ* nomine locationem per censores factam intellige.

5. *Ex alio genere.* Præter frumentum, pecunias etiam maximas imperaverat Verres aratoribus. Lib. III, cap. 50.

6. *Decumani.* Hoc loco intellige aratores, qui decumas publicanis solvere debent. — *Numquid.* An aliquid, præter gratuitas, seu primas decumas, ex lege Hieronica debent? Conf. Verr. IV, 9.

7. *Cur iis.* Cur arbitrio tuo exegisti ab aratoribus tantum frumenti, decumarum alterarum nomine, quantum voluisti, quamvis numerus modiorum quos darent, esset definitus, et tot essent ex senatusconsulto alteræ decumæ, quot primæ? Vid. lib. III, cap. 70 et 98.

8. *Qui sunt immunes.* Lamb. « Quid immunes? hi certe ». Schütz. « qui sunt immunes ». J. V. L.

9. *Neque hoc dico.* Ceterarum civitatum causam non attendo. Non jam quæro rectene an perperam illis imperatum sit. Hoc unum dico non recte remissum Mamertinis, quibus alterum, præter decumanum frumentum, prætores imperaverant, et eis pro illo empto frumento definitam a senatu pecuniam dederant.

ficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret[10], cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, et de consilii[11] sententia Mamertinis se frumentum non imperare pronuntiat.

Audite decretum mercenarii prætoris ex ipsius commentario, et cognoscite, quanta in scribendo gravitas, quanta in constituendo jure sit auctoritas. Recita commentarium. DECRETUM EX COMMENTARIO. « Libenter ait se facere » : itaque perscribit. Quid? si hoc verbo non esses usus, « libenter », nos videlicet invitum te quæstum facere putaremus? « Ac de consilii sententia. » Præclarum recitari consilium, judices, audistis : utrum vobis consilium recitari tandem prætoris videbatur, quum audiebatis nomina, an prædonis improbissimi societas atque comitatus?

En fœderum interpretes[12], societatis pactores, religionis auctores. Numquam in Sicilia frumentum publice est emptum, quin Mamertinis pro portione imperaretur, antequam hoc delectum[13] præclarumque consilium iste dedit, ut ab his nummos acciperet, ac sui similis esset. Itaque tantum valuit istius decreti auctoritas, quantum debuit ejus hominis, qui, a quibus frumentum emere[14] debuisset, iis decretum

10. *Trabali clavo.* Id est, ingenti et valido clavo, quales sunt ii quibus trabes conjunguntur. Hinc proverbium *trabali clavo figere*, pro firmiter et vehementer stabilire.

11. *Et de consilii.* Subaudi, scribit se pronuntiasse. — *Recitari consilium.* Id est, nomina eorum quos ex impura sua cohorte Verres in illud consilium allegerat. Hi erant Volusius haruspex, Cornelius medicus, et tales hominum quisquiliæ. Lib. III, cap. 11.

12. *En fœderum interpretes.* Qui dicunt navem imperari Mamertinis non debere, quod sint fœderati. Supra, cap. 17. — *Societatis pactores.* Digni qui adhibeantur in paciscenda societate. — *Religionis auctores.* Quorum auctoritate religiones fœderum stant inconcussæ.

13. *Hoc delectum.* Antequam Verres coegit, et advocavit hoc præclarum consilium, ut ex hujus sententia a Mamertinis nummos acciperet.

14. *Frumentum emere.* Ex senatusconsulto. Lib. III, cap. 70.

vendidisset. Nam statim L. Metellus, ut isti successit, ex C. Sacerdotis et Sext. Peducæi instituto ac literis, frumentum Mamertinis imperavit. Tum illi intellexerunt, se id, quod a malo auctore[15] emissent, diutius obtinere non posse.

XXII. Age porro, tu, qui te tam religiosum existimari voluisti interpretem fœderum, cur Taurominitanis frumentum, cur Netinis imperasti? quarum civitatum utraque fœderata est. Ac Netini quidem sibi non defuerunt: nam simul ac pronuntiasti, libenter te Mamertinis quidem[1] remittere; te adierunt, et eamdem suam causam fœderis esse docuerunt. Tu aliter decernere in eadem causa non potuisti. Pronuntias, Netinos frumentum dare non oportere: et ab his tamen exigis. Cedo mihi ejusdem prætoris literas et rerum decretarum, et frumenti imperati, et tritici empti. LITERÆ[2] PRÆTORIS RERUM DECRETARUM, FRUMENTI IMPERATI, ET TRITICI EMPTI. Quid potius in hac tanta ac tam turpi inconstantia suspicari possumus, judices, quam id, quod necesse est, aut isti a Netinis pecuniam, quum posceret, non datam; aut id esse actum, ut intelligerent Mamertini, bene se apud istum tam multa pretia[3] ac munera collocasse, quum idem alii juris ex eadem causa non obtinerent?

Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinæ laudationis? in qua quam multa sint vulnera,

15. *Malo auctore.* Auctor h. l. de venditore, et *malus auctor* qui evictionem præstare non potest. Verres ita dicitur, quia præstare non poterat, quod jus Mamertinis, accepto pretio, vendiderat.

XXII. 1. *Quidem.* Sic habet editio R. Steph. Grævius, *quiddam*: male, non enim *quiddam*, sed omnia Verres remisit Mamertinis.

2. *Literæ.* Hos fere omnes titulos libri MSS non agnoscunt. Grævius nonnullos expunxit. J. V. L.—*Tritici empti.* Abest a duobus MSS, et ex glossemate natum putat Garatonius. Assentitur Schütz.

3. *Multa pretia.* Multam pecuniam, multos nummos.—*Munera.* Alia dona. Græv. per ἓν διὰ δυοῖν intelligit multa pretiosa munera.

quis est vestrum, judices, quin intelligat? Primum, in judiciis[4] qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere. Tot in Sicilia civitates sunt, quibus tu per triennium præfuisti: arguunt ceteræ; paucæ et parvæ, metu repressæ, silent; una laudat. Hoc quid est[5], nisi intelligere[6], quid habeat utilitatis vera laudatio; sed tamen ita provinciæ præfuisse, ut hac utilitate necessario sit carendum?

Deinde, id quod alio loco ante dixi[7], quæ est ista tandem laudatio, cujus laudationis legati principes, et publice tibi navem ædificatam, et privatim se ipsos abs te spoliatos expilatosque esse dixerunt? Postremo, quid aliud isti faciunt, quum te soli ex Sicilia laudant, nisi testimonio nobis sunt, te omnia sibi esse largitum, quæ tu de republica nostra detraxeris? Quæ colonia est in Italia tam bono jure[8], quod tam immune municipium, quod per hosce annos tam commoda vacatione sit usum omnium rerum, quam Mamertina civitas per triennium? Soli, ex fœdere quod debuerunt, non dederunt; soli, isto prætore, omnium rerum immunes fuerunt; soli in istius imperio

4. *Primum in judiciis.* Defendebant reos patroni, laudabant viri nobiles, vel voce, si adessent, vel literis si abessent, ut eorum auctoritas ac testimonium quasi commendaret illos judicibus. Cic. ad Div. lib. I, cap. 9. Istiusmodi laudatorum numerus, si non lege, saltem consuetudine certus et definitus; decem ut essent consuetudo obtinuerat. Sensus est, primum vulnus Verrinæ laudationis illud est, quod decem ex civitatibus laudatores dare Verres non potuit; imo una tantum laudat.

5. *Hoc quid est.* Quid prodest ista civitatis laudatio quæ petita est? nihil, nisi quod ostendit, eum qui eam petit, intelligere, etc. — *Vera laudatio* dicitur ea, quæ legitimum numerum laudatorum explet.

6. *Nisi intelligere, quid habeat.* Forte, « nisi intelligere te quidem, quid h. » Sch.

7. *Ante dixi.* Lib. IV, cap. 8. — *Legati principes.* Heium intellige.

8. *Tam bono jure.* Diversa coloniarum genera diverso jure fuere, id est, aliæ aliis, pro suis in rempublicam meritis, immuniores fuere.

ea conditione vitæ[9] fuerunt, ut populo romano nihil darent, Verri nihil denegarent.

XXIII. Verum, ut ad classem, quo ex loco sum degressus, revertar, accepisti a Mamertinis navem contra leges; remisisti[1] contra fœdera : ita in una civitate bis improbus fuisti; quum et remisisti, quod non oportebat, et accepisti, quod non licebat. Exigere te oportuit navem, quæ contra prædones, non quæ cum præda navigaret; quæ defenderet, ne provincia spoliaretur, non quæ provinciæ spolia portaret. Mamertini tibi et urbem, quo furta undique deportares, et navem, qua exportares, præbuerunt. Illud tibi oppidum receptaculum prædæ fuit; illi homines testes custodesque furtorum; illi tibi et locum furtis[2] et furtorum vehiculum comparaverunt. Itaque ne tum quidem, quum classem avaritia ac nequitia[3] tua perdidisti, navem Mamertinis imperare ausus es : quo tempore in tanta inopia navium, tantaque calamitate provinciæ, etiamsi precario[4] essent rogandi, tamen ab his impetraretur. Reprimebat enim tibi et imperandi vim, et rogandi conatum præclara illa, non populo romano reddita biremis, sed prætori donata

9. *Vitæ.* Schützius hanc vocem delet. Alii, *ea conditione usi fuerunt.* J. V. L.

XXIII. 1. *Remisisti.* Biremem quam ex fœdere debebant. Notabis in sequentibus eamdem sententiam verborum varietate per expolitionem et antitheta exornari, quæ vim habent amplificandæ invidiæ, tum in Verrem, tum in Mamertinos.

2. *Locum furtis.* Subaudi, componendis. — *Ne tum quidem.* Vide infra cap. 35.

3. *Avaritia et nequitia.* Mire duo contraria conjungit orator, *avaritiam* et *nequitiam*, quæ tamen in Verre consentiunt. Militibus enim remigibusque pecunia dimissis, classem avaritia sua perdidit. In populi vero romani rebus administrandis, quia dissolutum se et negligentem ostendit, simulque in Venere exercenda tempus consumpsit, classem eamdem nequitia perdidit. Nequitiam de libidine Venereque proprie dici nemo nescit.

4. *Precario.* Frustra Ernest. uncinis inclusit; vim enim addit sententiæ, nec ob insolentiam aspernanda formula « precario rogare », qua usi sunt Ulpianus aliique JCti. J. V. L.

Cybea: ea fuit merces[5] imperii, auxilii, juris, consuetudinis, fœderis. Habetis unius civitatis firmum auxilium amissum, ac venditum pretio. Cognoscite nunc novam prædandi rationem, ab hoc primum excogitatam.

XXIV. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus, navarcho suo quæque civitas semper dare solebat. Is neque, ut accusaretur[1] a nautis, committere audebat; et civibus suis rationem referre[2] debebat: in illo omni negotio, non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis; etiam in sociorum[3] et Latinorum stipendio ac sumptu, tum quum illorum auxiliis uti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperavit, ut ea pecunia omnis a civitatibus sibi adnumeraretur; ut is pecuniam[4] tractaret, quem ipse præfecisset. Cui potest esse dubium, quamobrem et omnium consuetudinem veterem primus immutaris, et tantam utilitatem[5] per alios tractandæ pecuniæ neglexeris, et tantam difficultatem cum crimine, molestiam cum suspicione susceperis?

5. *Ea fuit merces.* Hujus Cybeæ mercede, seu pretio, vendidisti Mamertinis jus imperii nostri, auxilium quod ab iis debebatur ex fœdere, quodque semper fuerat, ad usque te prætorem usurpatum. Supra cap. 20.

XXIV. 1. *Ut accusaretur.* Fraudando nimirum pecunia aut frumento milites atque remiges.

2. *Rationem referre.* Codd. reg. *ferre*, quod malit Ernest. coll. Cic. ad Div. epist. V, 20.

3. *In sociorum.* In militibus quos socii et Latini dant nobis ex fœdere. Fœdus cum Latinis sancitum est anno Urbis conditæ 415. Livius, lib. VIII, cap. 13 et 14. — *Uti solebamus.* Antequam, post bellum sociale, civitatem tenuissent.

4. *Ut is pecuniam.* Ita ex repetit. Lamb. Gruter. et recentiores; at ipse Lamb. ex MSS et cum edd. Ven. Naug. Man. etc. *ut is eam pecuniam.*

5. *Utilitatem.* Commoditatem. — *Cum crimine.* Cum periculo criminis, seu accusationis furti. — *Cum suspicione.* Ut homines suspicarentur ideo immutatam a te fuisse consuetudinem veterem, ut in hac immutatione prædandi occasionem nanciscerere.

Deinde alii quæstus instituuntur, ex uno genere navali, videte quam multi : accipere a civitatibus pecunias, ne nautas darent; pretio certo missos facere nautas; missorum omne stipendium lucrari; reliquis, quod deberet, non dare. Hæc omnia ex civitatum testimoniis cognoscite. Recita testimonia civitatum.
TESTIMONIA CIVITATUM.

XXV. Hunccine hominem[1]? hanccine impudentiam, judices? hanccine audaciam? civitatibus[2], pro numero militum, pecuniarum summas describere? certum pretium, sexcentenos nummos, nautarum missioni constituere? quos qui dederat, commeatum totius æstatis abstulerat: iste, quod ejus nautæ[3] nomine pro stipendio frumentoque acceperat, lucrabatur. Itaque quæstus duplex[4] unius missione fiebat. Atque hæc homo amentissimus in tanto prædonum impetu, tantoque periculo provinciæ, sic palam faciebat, ut et ipsi prædones scirent, et tota provincia testis esset. Quum, propter istius[5] hanc tantam ava-

XXV. 1. *Hunccine hominem?* Subaudi *feretis*. Reticentia iratis et indignantibus familiaris. Concluduntur avaritiæ crimina.

2. *Civitatibus*. Constituere quantum pecuniæ quæque civitas solveret prætori, ut ne milites daret; eamque pecuniam ex militum quos suppeditare debebat numero describere. *Sexcentos nummos*, seu sestertios. Gall. 123 fr. Scilicet primo sexcenos nummos a nauta acceperat, cui missionem, sive commeatum dederat; deinde etiam pecuniam pro stipendio frumentoque, quod dandum fuisset nautæ, nisi a militia vacasset, lucrabatur.

3. Alii, *et nautæ;* Lamb. *militis et n.* J. V. L.

4. *Itaque quæstus duplex.* Nam lucrabatur sexcentenos nummos pro nautæ uniuscujusque missione, et is erat primus quæstus. Lucrabatur deinde quod acceperat a civitatibus certam pecuniam pro stipendio et frumento ejus nautæ quem dimiserat. Ita quæstum in nauta uno dimittendo duplicem faciebat.

5. *Quum propter istius.* Alterum Verris scelus. Verres reus est majestatis, quod, abducta prædonum nave, captum archipiratam, quem statim publice oportuit securi percuti, accepta pecunia, dimisit. Ad cap. 31. Advertes quam leviter a primo ad secundum caput distributionis transeat orator, et quam apte hæc duo capita inter se connectantur. — Re quidem vera naves *inanes*. Nec armamentis, nec remigibus, nec rebus aliis necessariis instructæ.

ritiam, nomine classis esset in Sicilia, re quidem vera naves inanes, quæ prædam prætori, non quæ prædonibus metum afferrent; tamen, quum P. Cæsetius[6] et P. Tadius decem navibus his semiplenis navigarent, navem quamdam, piratarum præda refertam, non ceperunt, sed adduxerunt, onere suo plane captam atque depressam. Erat ea navis plena juventutis formosissimæ, plena argenti facti atque signati, multa cum stragula veste. Hæc una navis a classe nostra non capta est, sed inventa ad Megaridem, qui locus est non longe a Syracusis. Quod ubi isti nuntiatum est, tametsi in acta cum mulierculis jacebat ebrius, erexit se tamen, et statim quæstori legatoque suo custodes[7] misit complures, ut omnia sibi integra quam primum exhiberentur.

Appellitur navis Syracusas: exspectatur ab omnibus; supplicium sumi[8] de captivis putatur: iste, quasi præda sibi advecta, non prædonibus captis, si qui senes aut deformes erant, eos in hostium numero ducit; qui aliquid formæ, ætatis, artificiique habebant, abducit omnes; nonnullos scribis suis, filio, cohortique distribuit; symphoniacos homines sex cuidam amico suo Romam muneri misit. Nox illa tota

6. *P. Cæsetius*. Verris quæstor. — *P. Tadius*. Ejusdem legatus. — *Argentum factum*. Vasa sunt quæ ornamenti et magnificentiæ gratia elaborantur. *Signatum* est pecunia, quia, uti nunc, signum aliquod impressum habuit. — *In acta*. Id est, in litore. Nam *actam* vulgo Syracusani litus illud appellabant. Describitur supra, cap. 12. Fit a græco ἀκτή. Hac voce usus est etiam Virgilius, Æn. V, 613: « At procul in sola secretæ Troades acta ». Solebant autem veteres *actam* eligere, quum vellent indulgere genio. Unde ἀκτάζειν, in litore versari, id est, epulari.

7. *Custodes*. Homines qui observarent ne quid clam amoveretur.

8. *Supplicium sumi*. Sumptum iri. — *In hostium numero ducit*, id est, ultimo supplicio afficit. — *Ætatis*. Qui ætate florebant; adolescentes. Infra, cap. 29. — *Artificii*. Qui artem aliquam callebant, scilicet literas, musicam, etc. — *Cohortique*. Prætoriæ. Ad. Exc. de Præt. prov. t. I, part. secund.

exinanienda navi consumitur. Archipiratam ipsum videt nemo, de quo supplicium sumi oportuit : hodieque omnes sic habent[9] (quid ejus sit, vos conjectura quoque assequi debetis), istum clam a piratis, ob hunc archipiratam, pecuniam accepisse.

XXVI. Conjectura bona est[1]. Judex esse bonus nemo potest, qui suspicione certa non movetur. Hominem nostis; consuetudinem omnium tenetis : qui ducem prædonum aut hostium ceperit, quam libenter eum palam ante oculos omnium esse patiatur. Hominem in tanto conventu Syracusis vidi neminem, judices, qui archipiratam captum vidisse se diceret, quum omnes, ut mos est, ut solet fieri, concurrerent, quærerent, videre cuperent. Quid accidit, cur tantopere iste homo occultaretur, ut eum ne casu quidem quisquam adspicere posset? Homines maritimi[2] Syracusis, qui sæpe istius ducis nomen audissent, quum eum sæpe timuissent, quum ejus cruciatu atque supplicio pascere oculos, animumque exsaturare vellent : potestas adspiciendi nemini facta est.

Unus plures prædonum duces vivos cepit P. Servilius[3], quam omnes antea. Ecquando igitur isto

9. *Omnes sic habent.* Subaud. persuasum. — *Quid ejus sit.* Id est, vera necne sit eorum opinio. Vid. Sanct. Min. pag. 618, et ibi Periz.

XXVI. 1. *Conjectura bona est.* Non est temeraria, sine re; sed utilissima, quia trahit judicis animum ad veritatem rei : bona facultas est conjecturæ faciendæ.

2. *Homines maritimi.* Ii qui Syracusis erant, et opponuntur *mediterraneis*, qui tunc sunt a rebus maritimis alieni, et in sequenti capite bis memorantur. Olim legebatur « Mamertini ». Hic esse ἀνακόλουθον, nec quo casus « homines » pertineat, apparere jam adnotavere Græv. et alii; ceterum sensus patet, ut sit plenus, post verbum, *vellent*, subaudiendum esse tale aliquid, *hanc animo voluptatem tamen non ceperunt*. Inconsequentis orationis plura exempla in Cicerone, et ceteris optimæ notæ scriptoribus inveniri dudum viri docti sæpius observarunt.

3. *P. Servilius.* Consul ann. U. C. 673, piratas multis in præliis fudit. Is Phaselim, Olympum, Coricum, vali-

fructu[4] quisquam caruit, ut videre piratam captum non liceret? At contra, quacumque iter fecit, hoc jucundissimum spectaculum omnibus vinctorum captorumque hostium præbebat. Itaque ei[5] concursus undique fiebant, ut non modo ex his oppidis, qua ducebantur, sed etiam ex finitimis, visendi causa, convenirent. Ipse autem triumphus[6] quamobrem omnium triumphorum gratissimus populo romano fuit, atque jucundissimus? Quia nihil est victoria dulcius; nullum est autem testimonium victoriæ certius, quam, quos sæpe metueris, eos te vinctos ad supplicium duci videre.

Hoc tu quamobrem non fecisti? quamobrem ita iste pirata celatus est, quasi eum adspicere nefas esset? quamobrem supplicium non sumpsisti? quam ob causam hominem reservasti? Ecquem audisti in Sicilia antea captum archipiratam, qui non securi percussus sit? unum cedo auctorem tui facti; unius profer exemplum. Vivum tu archipiratam servabas, quem per triumphum, credo, quem ante currum[7] tuum duceres. Neque enim quidquam erat jam reliquum, nisi ut, classe populi romani pulcherrima amissa, provinciaque lacerata, triumphus navalis tibi decerneretur.

dissimas Ciliciæ urbes, quibus se piratæ tuebantur, Isauronque ipsam arcem Ciliciæ vi cepit; unde Isauricus cognominatus est. Piratas latrocinia redintegrantes Pompeius vicit, fudit, exstinxit.

4. *Isto fructu.* Subaud. victoriæ, Ista delectatione. Sic Corn. Nep. in Eumene, cap. 11: « Veniebat autem ad Eumenem utrumque genus hominum, et qui propter odium, *fructum* oculis ex ejus casu capere vellent ».

5. *Itaque ei.* Id est, ad eum.— *Qua ducebantur.* Subaud. vincti hostes. — *Convenirent.* Subintellig. hostes.

6. *Ipse autem triumphus.* Triumphavit ex bello piratico Servilius anno 678, sex annis postquam fuerat consul, L. Octavio, Q. Aurelio Cotta consulibus.

7. *Ante currum.* Triumphantium more. Nam apud Romanos id moris fuit, ut qui triumphantes Urbem inirent, vinctos hostium duces ante currum suum ducerent, eosque quum de foro in Capitolium cursum flectere inciperent, duci in carcerem securique feriri juberent.

XXVII. Age porro, custodiri ducem prædonum novo more, quam securi feriri omnium exemplo, magis placuit. Quæ sunt istæ custodiæ? apud quos homines? quemadmodum est asservatus? Lautumias[1] Syracusanas omnes audistis; plerique nostis. Opus est ingens, magnificum, regum ac tyrannorum : totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, et multorum operis[2] penitus exciso : nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias, nec fieri, nec cogitari potest. In has lautumias, si qui publice custodiendi sunt, etiam ex ceteris oppidis Siciliæ deduci imperantur. Eo quod[3] multos captivos cives romanos conjecerat, et quod eodem ceteros piratas contrudi imperarat, intellexit, si hunc subditítium[4] archipiratam in eamdem custodiam dedisset, fore, ut a multis, illis in lautumiis, verus ille dux quæreretur. Itaque hominem huic optimæ tutissimæque custodiæ non audet committere : denique Syracusas totas timet : amandat hominem. Quo? Lilybæum fortasse? Video : tamen homines maritimos

XXVII. 1. *Lautumias.* De hujus vocis orthographia omnes non consentiunt : aliis placet *Latumiæ*, aliis *Latumeæ*. Apud nonnullos, *Laotomiæ*. Fit a græco λᾶς, lapis, et τέτομα præt. med. verbi τέμνειν, cædere. Itaque λατομίαι sunt lapicidinæ. Ejusmodi lapicidinam Syracusani pro carcere habuerunt. Thucydides qui eas λιθοτομίας eodem sensu vocat, sub finem libri VII describit. Diligenter vero de illa miseriarum sede disputat *D'Orville* in Siculis. Carcerem illum syracusanum a crudelissimo tyranno Dionysio factum Syracusis fuisse ait hic obscure Tullius, et disertius infra, cap. 55. Longe autem ante Dionysium hic locus fuerat excavatus, siquidem, ut ait Festus, inde excisi sunt lapides ad exstruendam urbem Syracusas.

2. *Operis.* Id est, laboribus.—Adverte duas negantes, quæ græco more magis hic negant.—*Publice custodiendi sunt.* Id est, publica auctoritate.

3. *Eo quod.* Quia eo, id est, in has latomias.—*Eodem.* In eumdem locum.

4. *Si hunc subdititium archipiratam.* Id est, si hunc, quem in locum veri archipiratæ supposuerat, in eumdem carcerem conjecisset, fore ut piratæ, in lautumiis qui essent et illum archipiratam nossent, hunc non agnoscerent et verum archipiratam desiderarent.

non plane[5] reformidat. Minime, judices. Panormum igitur? Audio : quamquam Syracusis, quoniam in Syracusano captus erat, maxime, si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. Ne Panormum quidem. Quid igitur[6]? quo putatis? Ad homines a piratarum metu et suspicione alienissimos, a navigando rebusque maritimis remotissimos, ad Centuripinos, homines maxime mediterraneos[7], summos aratores, qui nomen numquam timuissent maritimi prædonis, unum, te prætore, horruissent Apronium, terrestrem archipiratam[8]. Et, ut quivis facile perspiceret, id ab isto actum esse, ut ille suppositus[9] facile et libenter se illum, qui non erat, esse simularet; imperat Centuripinis, ut is victu ceterisque rebus quam liberalissime commodissimeque habeatur[10].

XXVIII. Interea Syracusani, homines periti[1] et humani, qui non modo ea, quæ perspicua essent, videre, verum etiam occulta suspicari possent, habebant rationem[2] omnes quotidie piratarum, qui securi ferirentur : quam multos esse oporteret, ex ipso

5. *Non plane.* Non omnes. — *Reformidat.* Syracusas totas timuit; sed Lilybætanos non timet, qui tamen et ipsi maritimi sunt. — *Minime.* Hominem non amandat Lilybæum.

6. *Quid igitur?* Scilicet, eum fecisse putatis? Quo ductum creditis?

7. *Mediterraneos.* In media Sicilia longe a mari positos. — *Summos aratores.* Uni arationi summe deditos. De Apronio vid. lib. III, cap. 9.

8. *Terrestrem archipiratam.* Id est, qui aratorum fortunas, una cum ceteris decumanis quorum erat princeps, vexarat et eripuerat.

9. *Ille suppositus.* Ex hoc loco et ex illo supra patet verum archipiratam, soluta pecunia, jam a Verre dimissum fuisse.

10. *Commodissime habeatur.* Libri veteres habent partim *adhibeatur*, partim *adhiberetur*.

XXVIII. 1. *Periti.* Usu rerum. — *Humani.* I. e. moribus et literis exculti, inquit Manut. Sed quid mores et literæ ad ea quæ de Syracusanis hic dicuntur? Humanos dicit pro acutis et ingeniosis, quales sunt Siculi, sive etiam curiosi, quia hominibus hoc innatum est, ut velint scire in primis, quæ occultantur, ut explicant Hotom. et Ernest. Cf. Verr. IV, 44.

2. *Habebant rationem.* Id est, piratas quotidie numerabant.

navigio, quod erat captum, et ex remorum numero conjiciebant. Iste, quod omnes, qui artificii[3] aliquid habuerant aut formæ, removerat atque abduxerat, reliquos si, ut consuetudo est, universos[4] ad palum alligasset, clamorem populi fore suspicabatur, quum tanto plures[5] abducti essent, quam relicti. Propter hanc causam quum instituisset alios alio tempore producere, tamen in tanto conventu nemo erat, quin rationem numerumque haberet, et reliquos[6] non desideraret solum, sed etiam posceret et flagitaret. Quum maximus numerus deesset, tum iste homo nefarius in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat, substituere et supponere cœpit cives romanos, quos in carcerem antea conjecerat : quorum alios Sertorianos[7] milites fuisse insimulabat, et ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse dicebat; alios, qui a prædonibus erant capti, quum mercaturas facerent, aut aliquam aliam ob causam navigarent, sua voluntate cum piratis fuisse arguebat. Itaque alii cives romani, ne cognoscerentur, capitibus obvolutis e carcere ad palum atque ad necem rapiebantur; alii, quum a multis civibus romanis recognoscerentur[8], ab

3. *Artificii.* Qui artem aliquam callebant, scilicet literas, musicam, etc.

4. *Universos.* Omnes simul. — *Ad palum.* Ut virgis cæsi, securi ferirentur.

5. *Quum tanto plures.* Id est, multo plures. Verres enim abduxerat multo plures piratas, quam securi feriendos reliquerat.

6. *Et reliquos.* Quos deesse intelligebat.

7. *Sertorianos.* Sertorius, vir summæ, sed calamitosæ virtutis, a Sulla proscriptus, in Hispaniam profugit, ubi ingens bellum excitavit, anno 673. Plurimas civitates in potestatem suam redegit, et romanos duos fudit exercitus. Tandem octavo ducatus sui anno in convivio interfectus est a M. Antonio, M. Perpenna aliisque conjuratis. Eo occiso delatum est imperium ad Perpennam, quem Pompeius anno sequente victum captumque interemit, ac demum anno 682, qui erat hujusce belli fere decimus, ab eodem Pompeio receptæ sunt Hispaniæ. Liv. Epit. 90; Florus, III, 25. — *Fugientes.* Partibus suis nimirum deletis per Pompeium.

8. *Recognoscerentur.* Ed. et Lamb,

omnibus defenderentur, securi feriebantur. Quorum ego de acerbissima morte crudelissimoque cruciatu dicam, quum eum locum tractare cœpero; et ita dicam, ut, si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius crudelitate et de civium romanorum indignissima morte, non modo vires, verum etiam vita deficiat, id mihi præclarum et jucundum putem. Hæc igitur[9] est gesta res, hæc victoria præclara : myoparone piratico capto, dux liberatus; symphoniaci Romam missi; formosi homines, et adolescentes, et artifices domum abducti; in eorum locum, et ad eorum numerum cives romani hostilem in modum cruciati et necati; omnis vestis ablata; omne aurum et argentum ablatum et aversum.

XXIX. At quemadmodum[1] ipse sese induit priore actione? Qui tot dies tacuisset[2], repente in M. Annii, hominis splendidissimi, testimonio, quum is cives[3] romanos dixisset, et archipiratam negasset securi esse percussum, exsiluit conscientia sceleris, et furore ex maleficiis concepto excitatus, dixit, se, quod sciret[4], sibi crimini datum iri, pecuniam accepisse, neque de

ex MS *cognoscerentur*, recepitque Car. Stephanus.

9. *Hæc igitur*. En igitur præclari imperatoris bellicum facinus! En illa quam tantopere prædicat Hortensius de piratis victoria! — *Dux liberatus*. Ironia cui vim addit repetitio brevis et invidiosa superiorum.

XXIX. 1. *At quemadmodum*. Crimen majestatis, objectum supra cap. 25, confirmatur ipsiusmet Verris confessione et amplificatione dilatatur. — *Induit*. Id est, irretivit, illaqueavit, usitata Ciceroni metaphora sumpta de feris, quæ in plagas sibi a venatoribus positas stulte incurrunt, quibus se quo magis expedire conantur, eo magis impediunt.

2. *Qui tot dies tacuisset*. Jam dixi priorem Actionem diebus novem peractam fuisse.

3. Cod. Cuj. *civem romanum*. Recepit cum Græv. Ernest. J. V. L.

4. *Quod sciret*. Quod non dubitaret quia supplicio subduxisset verum archipiratam sibi objectum iri id factum fuisse propter pecuniam quam ab eo accepisset; ob hanc rem eumdem archipiratam se domi suæ ad judicium suum reservasse, quo facilius ejus testimonio crimen inimicorum diluere posset.

vero archipirata sumpsisse supplicium, ideo securi non percussisse : domi esse apud sese archipiratas dixit duos.

O clementiam[5] populi romani, seu potius patientiam miram ac singularem! Civem romanum securi esse percussum Annius, eques romanus, dicit : taces. Archipiratam negat : fateris. Fit in eo[6] gemitus omnium et clamor; quum tamen a præsenti supplicio tuo se continuit populus romanus et repressit, et salutis suæ[7] rationem judicum severitati reservavit. Qui sciebas tibi crimini datum iri[8]? quamobrem sciebas? quamobrem etiam suspicabare? inimicum habebas neminem : si haberes, tamen non ita vixeras[9], ut metum judicii propositum habere deberes. An te, id quod fieri solet, conscientia timidum suspiciosumque faciebat? Qui igitur[10], quum esses cum imperio, jam tum judicium et crimen horrebas; reus, quum tot testibus coarguare, potes de damnatione dubitare? Verum, si crimen hoc metuebas, ne quis abs te suppositum esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur : utrum tandem tibi ad defensionem firmius fore putasti, in judicio[11], coactu atque efflagitatu meo, producere ad ignotos[12] tanto post eum, quem archi-

5. *O clementiam populi romani!* Qui, hoc audito, vehementer quum esset commotus, a præsenti tamen Verris supplicio se continuit ac repressit.

6. *Fit in eo gemitus. In eo* non agnoscit Reg. et respuit Grævius.

7. *Salutis suæ.* Id est, salutem communem, quæ agitur in uno cive neci dato, commisit judicibus vindicandam. Schütz. offert de suo « ultionis tuæ »; sed ipse nihil mutavit.

8. *Crimini datum iri?* Te pecuniam accepisse.

9. *Non ita vixeras.* Hæc ironice accipienda sunt.

10. *Qui igitur, quum esses.* Id est, quomodo igitur. — *Crimen horrebas.* Id est, accusationem, quam ex scelerum tuorum conscientia certam fore providebas. — *Reus quum tot testibus.* In quibusdam MSS deest *reus.*

11. *In judicio.* Vetus liber *in judicium.* F. Ursin.

12. *Producere ad ignotos.* Ad eos, id est, ad judices tuos, qui hunc archipiratam non cognoscebant. Vox

piratam esse diceres; an recenti re, Syracusis, apud notos, inspectante Sicilia pæne tota, securi ferire? Vide, quid intersit[13], utrum faciendum fuerit. In illo[14] reprehensio nulla esse potuit; hic defensio nulla est. Itaque illud semper omnes fecerunt; hoc quis ante te, quis præter te fecerit, quæro. Piratam vivum tenuisti. Quem ad finem[15]? dum cum imperio fuisti. Quamobrem? quam ob causam, quo exemplo? cur tamdiu? cur, inquam, civibus romanis, quos piratæ ceperant, securi statim percussis, ipsis piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti?

Verum esto : sit tibi illud liberum omne tempus, quoad cum imperio[16] fuisti : etiamne privatus? etiamne reus? etiamne pæne damnatus, hostium duces privata in domo retinuisti? Unum, alterum mensem, prope annum denique, domi tuæ piratæ, a quo tempore capti sunt, quoad per me licitum est, fuerunt; hoc est, quoad per M'. Acilium[17] Glabrionem licitum est, qui, postulante me, produci atque in carcerem condi imperavit.

XXX. Quod est hujusce rei jus? quæ consuetudo? quod exemplum? hostem acerrimum atque infestissimum populi romani, seu potius communem hostem gentium nationumque omnium, quisquam omnium[1]

ignotos hic active sumitur de iis qui non cognoscebant. Sic vox *notos*, quæ sequitur, accipienda est pro iis qui noverunt. Phædrus dixit in sutore medico : « *Ignotos* fallit, *notis* est derisui».

13. *Quid intersit.* Quantum inter se discrepent hæc duo, et *utrum*, etc.

14. *In illo.* In illa re, id est, in supplicio sumendo statim. — *Reprehensio nulla.* Quia mos est, ut capti piratæ securi statim feriantur. — *Hic.* Id est, quod eum servasti usque nunc.

15. *Quem ad finem.* Quamdiu ? — *Quamobrem.* Non est in Reg. cod.

16. *Cum imperio.* Hic locus ostendit *privatum* et *cum imperio esse* ab antiquis opponi.

17. *M'. Acilium.* Hujus judicii prætorem, penes quem ea potestas erat.

XXX. 1. *Quisquam omnium mortalium.* In cod. Reg. « quisquam omnium » non legitur. *Omnium mortalium*, ait Græv. poterat sine incommodo abesse.

mortalium privatus intra mœnia domi suæ retinere poterit?

Quid? si pridie, quam a me tu coactus es confiteri, civibus romanis securi percussis, prædonum ducem vivere, apud te habitare; si, inquam, pridie domo tua profugisset, si aliquam manum[2] contra populum romanum facere potuisset, quid diceres? Apud me habitavit; mecum fuit; ego illum ad judicium meum, quo facilius crimen inimicorum diluere possem, vivum atque incolumem reservavi. Itane vero? tu tua pericula communi periculo defendes? tu supplicia, quæ debentur hostibus victis, ad tuum[3], non ad populi romani tempus conferes? populi romani hostis privatis custodiis[4] asservabitur? At etiam qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces servant, ut, his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum fructumque victoriæ populus romanus perspicere possit, tamen quum de foro in Capitolium[5] currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent; idemque dies et victoribus imperii[6], et victis vitæ finem facit.

Et nunc[7] cuiquam credo esse dubium, quin tu id

2. *Aliquam manum.* Aliquas copias parare. *Manus* pro multitudine armata etiam usurpatur apud Virg. Æneid. VI, 660. — *Contra populum romanum.* Codex Lamb. *contra rempublicam.*

3. *Ad tuum... tempus.* Id est, ad tempus quod erit tibi idoneum, tuis rebus utile.

4. *Privatis custodiis.* Id est, in domo privati hominis, pro custodia. Libri quidam veteres habent « privati hominis custodiis ». — *Eo diutius.* Id est, ob eam rem reservant diutius vivos. Edit. vet. *eo quoque diutius.*

5. *In Capitolium.* Quo quum ventum esset, antequam sacrificium inchoaretur, mos erat tantisper opperiri, donec captivorum et ipsius hostium ducis, si esset inter captivos, mors esset nuntiata. Quo facto taurorum et aliarum hostiarum immolationes inchoabantur.

6. *Imperii... finem.* In Urbe imperium habere non licebat. Itaque lex ferebatur, ut iis qui triumphantes Urbem inirent, uno tantum triumphi die imperium esset, id est, jus eundi per Urbem cum eo exercitu, quem ex provincia deduxerant.

7. *Et nunc.* Ironia. Sensus est : Ne-

commissurus non fueris (præsertim quum statuisses, ut ais, tibi causam esse dicendam), ut ille archipirata non potius securi feriretur, quam, quod erat ante oculos positum, tuo periculo viveret. Si enim esset mortuus, tu, qui crimen ais te metuisse, quæro, cui probares [8]? Quum constaret, istum Syracusis ab nullo visum esse archipiratam, ab omnibus desideratum; quum dubitaret nemo, quin abs te pecunia liberatus esset; quum vulgo loquerentur, suppositum in ejus locum, quem pro illo probare velles [9]; quum tute fassus esses, te id crimen tanto ante metuisse : si eum diceres esse mortuum, qui te audiret? nunc, quum vivum istum nescio quem [10] producis, tamenne id credi voles?

Quid? si aufugisset, si vincla rupisset ita, ut Nico ille nobilissimus [11] pirata fecit, quem P. Servilius, qua felicitate ceperat, eadem recuperavit, quid diceres? Verum hoc erat : si ille semel verus archipirata securi percussus esset, pecuniam illam [12] non haberes; si hic falsus esset mortuus, aut profugisset, non esset difficile alium in suppositi locum supponere. Plura dixi, quam volui, de illo archipirata :

mo jam dubitare potest. Sed mira hoc in loco lectionum varietas. P. Franc. et Juntina editio Florentina « et non credo esse dubium ». Schützius, « est nunc, cuiquam credo, est ». — *Ut ais*. Supra cap. 29. — *Tuo periculo*. Quia majestatis crimen est hostem vivum in domo sua retinere. — *Viveret*. Adde : si pro ejus salute pecuniam non accepisses.

8. *Cui probares*. Id est, cui persuaderes eum re vera esse mortuum.

9. *Probare velles*. Id est, pro illo haberi. — *Fassus esses*. Supra cap. 29.

10. *Nescio quem*. Id est, notum nemini, quem tamen pro vero archipirata obtrudis nobis. — *Producis, tamenne id credi voles?* Hanc scripturam, quamvis nullius codicis auctoritate confirmetur, receperunt Manut. Stephan. Lamb. Ernest. ex sola conjectura Hotomanni, contra libros omnes antiquos, qui constanter *tamen te derideri vides*.

11. *Nobilissimus*. Famosissimus. — *Fecit*. MSS nonnulli « nobilissimus pirata fugit ». — *P. Servilius*. Isauricus. Supra cap. 26.

12. *Pecuniam illam*. Quam pro eo accepisti, ut eum vivum dimitteres.

et tamen ea, quæ certissima sunt hujus criminis argumenta, prætermisi. Volo enim mihi totum esse crimen hoc[13] integrum : est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur.

XXXI. Hac tanta præda[1] auctus, mancipiis, argento, veste locupletatus, nihilo diligentior ad classem ornandam, milites revocandos[2] alendosque esse cœpit; quum ea res non solum provinciæ saluti, verum etiam ipsi prædæ[3] esse posset. Nam æstate summa, quo tempore ceteri prætores obire provinciam et concursare[4] consueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu et periculo ipsi navigare; eo tempore ad luxuriam libidinesque suas, domo sua regia, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores uti solent, contentus non fuit : tabernacula, quemadmodum consueverat temporibus æstivis, quod antea[5] jam demonstravi, carbaseis intenta velis, collocari jussit in litore : quod est litus in Insula Syracusis post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, amœno sane et ab arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta prætor populi romani, custos[6] defensorque provinciæ, sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent;

13. *Crimen hoc.* Majestatis. — *Est certus locus.* Cognoscendis criminibus majestatis destinatus. — *Certa lex.* De majestate. — *Certum tribunal.* Ejus prætoris qui de majestate quærit. Aperte Verri minatur judicium majestatis.

XXXI. 1. *Hac tanta præda.* Vide supra cap. 25. Huc pertinet hæc repetitio, ut judicum memoria renovetur, et sequentia prioribus annectantur, more transitionis. Redit orator ad classem quam Verres *sua libidine* perdidit.

2. *Revocandos.* Quos pretio dimiserat. Supra cap. 25.

3. *Ipsi prædæ.* Nam cum ea classe, si esset ornata, prædari poterat ex prædonibus.

4. *Concursare.* Dicitur etiam de uno homine, qui negotiorum suorum, aut alterius causa, multos invisit, salutat, et modo huc, modo illuc currit. Pro eo dixit *concurrere*, pro Quintio, cap. 16. Quare non necesse cum Lambino legas « circumcursare ».

5. *Quod antea.* Supra cap. 12. — *Carbaseis.* Id est, lineis, quum alii uterentur laneis. — *In Insula.* De ea et de Arethusa fonte, vid. lib. IV, cap. 53.

6. *Custos.* Qui ad id muneris pro-

vir accumberet nemo, præter ipsum et prætextatum filium : tametsi recte[7] sine exceptione dixeram, virum, quum isti essent, neminem fuisse. Nonnumquam etiam libertus Timarchides adhibebatur. Mulieres autem nuptæ nobiles, præter unam[8] mimi Isidori filiam, quam iste, propter amorem, ab Rhodio tibicine abduxerat : Pippa quædam[9], uxor Æschrionis Syracusani, de qua muliere plurimi versus, qui in istius cupiditatem facti sunt, tota Sicilia percelebrantur.

Erat et Nice, facie eximia, ut prædicatur, uxor Cleomenis Syracusani. Hanc Cleomenes vir amabat : verumtamen hujus libidini adversari nec poterat, nec audebat; et simul ab isto donis, beneficiisque plurimis devinciebatur. Illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen, quum vir esset Syracusis, uxorem ejus parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere. Itaque excogitat rem singularem : naves, quibus legatus[10] præfuerat, Cleomeni tradit; classi populi romani Cleomenem Syracusanum præesse jubet, atque imperare[11]. Hoc eo facit, ut ille non solum abesset a domo tum, quum navigaret, sed etiam libenter cum magno honore beneficioque abesset; ipse autem, remoto atque ablegato viro, non liberius,

vectus erat, ut provinciam custodiret et defenderet.

7. *Tametsi recte.* Correctio amara in Verrem et ejus filium. — *Neminem fuisse.* Eos enim appellare viros, quum viro nihil dignum agant, minime decet.

8. *Præter unam.* Quæ non erat nobilis, Tertia appellabatur. Cap. 12.

9. *Pippa quædam, uxor Æschrionis*, etc. Subaud. adhibebatur etiam. Schütz. edidit, *Erat Pippa quædam.* J. V. L.

10. *Legatus.* P. Tadius. Ibidem. Classi pop. rom. cui vel prætor ipse, vel legatus, vel quæstor, ut mox dicetur, non siculus homo, præesse debebat; non denique Syracusanus, cujus civitas hostis fuit perpetua populi romani. Cap. seq.

11. *Imperare.* Sic MSS pro vulgata lectione *imperat.* J. V. L.

et tamen ea, quæ certissima sunt hujus criminis argumenta, prætermisi. Volo enim mihi totum esse crimen hoc[13] integrum : est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc réservetur.

XXXI. Hac tanta præda[1] auctus, mancipiis, argento, veste locupletatus, nihilo diligentior ad classem ornandam, milites revocandos[2] alendosque esse cœpit; quum ea res non solum provinciæ saluti, verum etiam ipsi prædæ[3] esse posset. Nam æstate summa, quo tempore ceteri prætores obire provinciam et concursare[4] consueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu et periculo ipsi navigare; eo tempore ad luxuriam libidinesque suas, domo sua regia, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores uti solent, contentus non fuit : tabernacula, quemadmodum consueverat temporibus æstivis, quod antea[5] jam demonstravi, carbaseis intenta velis, collocari jussit in litore : quod est litus in Insula Syracusis post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, amœno sane et ab arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta prætor populi romani, custos[6] defensorque provinciæ, sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent;

13. *Crimen hoc.* Majestatis. — *Est certus locus.* Cognoscendis criminibus majestatis destinatus. — *Certa lex.* De majestate. — *Certum tribunal.* Ejus prætoris qui de majestate quærit. Aperte Verri minatur judicium majestatis.

XXXI. 1. *Hac tanta præda.* Vide supra cap. 25. Huc pertinet hæc repetitio, ut judicum memoria renovetur, et sequentia prioribus annectantur, more transitionis. Redit orator ad classem quam Verres *sua libidine* perdidit.

2. *Revocandos.* Quos pretio dimiserat. Supra cap. 25.

3. *Ipsi prædæ.* Nam cum ea classe, si esset ornata, prædari poterat ex prædonibus.

4. *Concursare.* Dicitur etiam de uno homine, qui negotiorum suorum, aut alterius causa, multos invisit, salutat, et modo huc, modo illuc currit. Pro eo dixit *concurrere*, pro Quintio, cap. 16. Quare non necesse cum Lambino legas « circumcursare ».

5. *Quod antea.* Supra cap. 12. — *Carbaseis.* Id est, lineis, quum alii uterentur laneis. — *In Insula.* De ea et de Arethusa fonte, vid. lib. IV, cap. 53.

6. *Custos.* Qui ad id muneris pro-

vir accumberet nemo, præter ipsum et prætextatum filium : tametsi recte[7] sine exceptione dixeram, virum, quum isti essent, neminem fuisse. Nonnumquam etiam libertus Timarchides adhibebatur. Mulieres autem nuptæ nobiles, præter unam[8] mimi Isidori filiam, quam iste, propter amorem, ab Rhodio tibicine abduxerat : Pippa quædam[9], uxor Æschrionis Syracusani, de qua muliere plurimi versus, qui in istius cupiditatem facti sunt, tota Sicilia percelebrantur.

Erat et Nice, facie eximia, ut prædicatur, uxor Cleomenis Syracusani. Hanc Cleomenes vir amabat : verumtamen hujus libidini adversari nec poterat, nec audebat; et simul ab isto donis, beneficiisque plurimis devinciebatur. Illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen, quum vir esset Syracusis, uxorem ejus parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere. Itaque excogitat rem singularem : naves, quibus legatus[10] præfuerat, Cleomeni tradit; classi populi romani Cleomenem Syracusanum præesse jubet, atque imperare[11]. Hoc eo facit, ut ille non solum abesset a domo tum, quum navigaret, sed etiam libenter cum magno honore beneficioque abesset; ipse autem, remoto atque ablegato viro, non liberius,

vectus erat, ut provinciam custodiret et defenderet.

7. *Tametsi recte.* Correctio amara in Verrem et ejus filium. — *Neminem fuisse.* Eos enim appellare viros, quum viro nihil dignum agant, minime decet.

8. *Præter unam.* Quæ non erat nobilis, Tertia appellabatur. Cap. 12.

9. *Pippa quædam, uxor Æschrionis*, etc. Subaud. adhibebatur etiam. Schütz. edidit, *Erat Pippa quædam.* J. V. L.

10. *Legatus.* P. Tadius. Ibidem. Classi pop. rom. cui vel prætor ipse, vel legatus, vel quæstor, ut mox dicetur, non siculus homo, præesse debebat; non denique Syracusanus, cujus civitas hostis fuit perpetua populi romani. Cap. seq.

11. *Imperare.* Sic MSS pro vulgata lectione *imperat.* J. V. L.

quam ante (quis enim umquam istius libidini obstitit?), sed paullo solutiore tamen animo secum illam haberet, si non tamquam virum, at tamquam æmulum removisset. Accipit navem sociorum atque amicorum Cleomenes Syracusanus.

XXXII. Quid primum[1] aut accusem, aut querar, judices? Siculone homini, legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, auctoritatem dari? Si te impediebat ista conviviorum mulierumque occupatio, ubi quæstores[2]? ubi legati? ubi ternis[3] denariis æstimatum frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot tantaque ornamenta magistratibus et legatis, a senatu populoque romano permissa et data? denique ubi præfecti[4] et tribuni tui? Si civis romanus dignus isto negotio nemo fuit, quid civitates, quæ in amicitia fideque populi romani perpetuo manserant? ubi Segestana? ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi romani

XXXII. 1. *Quid primum aut accusem*. Invidiosa in Verrem dubitatio. *Legati*, id est, vel legati, vel quæstoris, vel prætoris. Non enim tres istas potestates, sed harum unam Cleomeni datam fuisse queritur orator.

2. *Ubi quæstores? ubi legati?* Ad quos nimirum pertinebat, te absente, classi præesse. — *Ubi ternis denariis*. Cur tibi in cellam dabatur frumentum (quod tu, quamvis senatus sestertia quaterna in singulos modios statuisset, ternis denariis æstimasti, exegistique ab aratoribus) nisi ut opera tua tuorumque populus romanus pro salute sociorum uteretur. — *Ubi muli?* Magistratus euntes in provinciam, mulis, tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale sociis imperarent. Hoc autem *vasarium* appellabatur. Vid. lib. IV, cap. 9; Livium, lib. XLII, cap. 1.

3. Hæc, usque ad *data*, Ernest. aliunde huc immigrasse somniat. J. V. L.

4. *Ubi præfecti*. Tribunos militum, præfectos, legatos, quæstores, secum in provinciam, ad usum rei militaris ducebat prætor. Hæc illius erat cohors. — *Dignus isto negotio*. Dignus qui classi præesset. — *Quid civitates*. An illæ ex suis civibus hominem dare non poterant, qui dignus esset isto negotio. Quinque erant in Sicilia civitates quæ semper in fide manserant. Lib. III, cap. 6. — *Ubi Segestana?* Cur Segestanum civem classi non præfecisti? — *Cognatione populi romani*, etc. Hoc ad Segestam tantum pertinet. Vid. lib. IV, cap. 33.

nomen attingunt. O dii immortales! quid? si[5] harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis, Syracusanus Cleomenes jussus est imperare, non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officiique sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus uteremur? Atque hæc omnia ad memoriam[6] vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo. Itaque ille vir clarissimus, summusque imperator, M. Marcellus, cujus virtute captæ, misericordia conservatæ sunt Syracusæ, habitare[7] in ea parte urbis, quæ insula est, Syracusanum neminem voluit. Hodie, inquam, Syracusanum in ea parte habitare non licet: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur eum non fidelissimis hominibus noluit: simul[8] quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, iis claustra loci committenda non existimavit.

Vide, quid intersit[9] inter tuam libidinem, majorumque auctoritatem; inter amorem furoremque tuum, et illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum litoris Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti: illi habitare in eo loco Syracu-

5. *Quid? si harum.* Quid de Verre existimandum erit, si nonne palam est nullam ab illo habitam fuisse rationem *dignitatis?* Indignum est enim classi populi romani siculum hominem præesse.—*Æquitatis.* Nam si homini siculo, certe Segestano potius, aut Centuripino, quam Syracusano, mandandus honos fuit, quia eæ civitates, quæ in amicitia fideque populi romani perpetuo manserunt, omnino præferendæ sunt iis quæ armis victæ fuerunt. — *Officii.* Nam referri gratiam decebat his ipsis civitatibus, quibus in omni bello, quod in Sicilia gestum est, sociis populus romanus usus est.

6. Al. e codd. « Atque hæc ego ad memoriam ». J. V. L.

7. *Habitare.... neminem voluit.* Cur? quia qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem urbem futuram intelligebat.

8. *Simul.* Et ob hanc alteram rationem, quia portus ibi est. — *Ex alto.* Subaud. *mari.*

9. *Vide quid intersit.* Acrior fit ex comparatione reprehensio. Et multa in Verrin. ejusmodi loca reperias.

sanum, quo naves accedere possent, noluerunt; tu classi et navibus Syracusanum præesse voluisti : quibus illi urbis suæ partem ademerunt, iis tu nostri imperii [10] partem dedisti; et, quorum sociorum opera [11] Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse jussisti.

XXXIII. Egreditur Centuripina [1] quadriremi Cleomenes e portu; sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina : præclara classis in speciem, sed inops et infirma, propter dimissionem [2] propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est : ipse autem, qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectum nautis paullisper dedit. Stetit soleatus [3] prætor populi romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque romani permulti sæpe viderunt.

10. *Nostri imperii partem*. Nam pars imperii sunt classes; pars altera sunt terrestres copiæ. His duobus totum stat imperium.

11. *Opera*. Quia Marcellum in expugnandis Syracusis adjuverunt.—*Nobis dicto audientes sunt*. Victi nobis parent. — *Syracusanis*. Oratorie, pro Cleomeni Syracusano.

XXXIII. 1. *Egreditur Centuripina*. MS habet : *egreditur in Centuripina*. Advertes exemplum egregium descriptionis ab adjunctis rei, a circumstantiis loci, temporis, personarum. Vid. infra, cap. 35.

2. *Propter dimissionem*. Supra cap. 24 et 25.— *Tamdiu*. Acerbe in prætorem. — *In imperio suo*. In provincia in qua erat cum imperio.

3. *Stetit soleatus prætor*. Hunc locum mire extollit Quintilianus l. VIII, cap. 3 : « An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut quum illa in Verrem legit, non solum ipsum os intueri videatur, et locum et habitum, sed quædam etiam de iis quæ dicta non sunt, sibi ipse adstruat. Ego certe mihi cernere videor et vultum, et oculos et deformes utriusque blanditias, et eorum qui aderant, tacitam aversationem ac timidam verecundiam ». —*Soleatus*. Soleæ crepidæ sunt muliebres, quibus plantarum tantum infima teguntur, ceteris prope nudis et teretibus habenis vinctis. Gerebantur æstate, at viros, præsertim belli duces atque imperatores minus decere existimabantur. Vid. Gellium, lib. XIII, cap. 20. De *pallio purpureo*, supra, cap. 13.

Posteaquam paullum provecta classis est, et Pachynum quinto die denique appulsa est, nautæ, fame coacti, radices palmarum agrestium, quarum erat in his locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant, et his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem, qui alterum se Verrem quum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio, putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat.

XXXIV. Ecce autem repente, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Odysseæ[1]; nam ita is locus nominatur: nostra autem classis erat in portu Pachyni. Cleomenes autem, quod erat[2] terrestre præsidium non re, sed nomine, sperabat, iis militibus, quos ex eo loco deduxisset, explere se numerum nautarum et remigum posse. Reperta est eadem istius hominis[3] avarissimi ratio in præsidiis, quæ in classibus : nam erant perpauci reliqui, ceterique dimissi. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras[4] imperavit; et simul, ut se ceteri sequerentur, signum dari jussit. Hæc Centuripina navis erat incredibili celeritate velis; nam scire, isto prætore,

XXXIV. 1. *Odysseæ*. Hujus portus et loci nemo veterum facit mentionem, præter Tullium. Cluverius Sic. Antiq. I, 14, existimat Græcis Ὀδυσσείας λιμένα dictum esse, portum Odysseæ sc. κρήνης, quæ fuerit prope Ulysseum promontorium, quod hodie dicatur *capo di Castelluccio*. Huic, ait, ad occidentem adjacere portum, navium capacissimum, qui dicatur *porto di Castelluccio*. Apparet idem fuisse ac *Edissæ portum*, ut in vett. edd. est. Quum autem sileant de portus illius situ omnes, quos quidem adiimus, auctores antiqui, nihil certi pronuntiandum esse credimus. Conf. tamen ind. geographic. Fazell. de rebus siculis decad. prior. I, 8, et V, 1.

2. *Quod erat*. MSS habet *ibi*; in libris vulgatis deest.—*Non re, sed nomine*. Quasi correctio, cum ignominia Verris; quia quum præsidium milites significet re, non nomine; ipse effecerat, ut præsidium illud esset nomine, non re.

3. *Istius hominis*. Verris.

4. *Præcidi anchoras*. Id est, anchoralia, seu funes quibus anchoræ retinebantur. Porro hæc verba *præcidi anchoras*, probe depingunt festina-

sanum, quo naves accedere possent, noluerunt; tu classi et navibus Syracusanum præesse voluisti : quibus illi urbis suæ partem ademerunt, iis tu nostri imperii[10] partem dedisti; et, quorum sociorum opera[11] Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse jussisti.

XXXIII. Egreditur Centuripina[1] quadriremi Cleomenes e portu; sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina : præclara classis in speciem, sed inops et infirma, propter dimissionem[2] propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est : ipse autem, qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectum nautis paullisper dedit. Stetit soleatus[3] prætor populi romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque romani permulti sæpe viderunt.

10. *Nostri imperii partem*. Nam pars imperii sunt classes; pars altera sunt terrestres copiæ. His duobus totum stat imperium.

11. *Opera*. Quia Marcellum in expugnandis Syracusis adjuverunt.—*Nobis dicto audientes sunt*. Victi nobis parent. — *Syracusanis*. Oratorie, pro Cleomeni Syracusano.

XXXIII. 1. *Egreditur Centuripina*. MS habet : *egreditur in Centuripina*. Advertes exemplum egregium descriptionis ab adjunctis rei, a circumstantiis loci, temporis, personarum. Vid. infra, cap. 35.

2. *Propter dimissionem*. Supra cap. 24 et 25.— *Tamdiu*. Acerbe in prætorem. — *In imperio suo*. In provincia in qua erat cum imperio.

3. *Stetit soleatus prætor*. Hunc locum mire extollit Quintilianus l. VIII, cap. 3 : « An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut quum illa in Verrem legit, non solum ipsum os intueri videatur, et locum et habitum, sed quædam etiam de iis quæ dicta non sunt, sibi ipse adstruat. Ego certe mihi cernere videor et vultum, et oculos et deformes utriusque blanditias, et eorum qui aderant, tacitam aversationem ac timidam verecundiam ». —*Soleatus*. Soleæ crepidæ sunt muliebres, quibus plantarum tantum infima teguntur, ceteris prope nudis et teretibus habenis vinctis. Gerebantur æstate, at viros, præsertim belli duces atque imperatores minus decere existimabantur. Vid. Gellium, lib. XIII, cap. 20. De *pallio purpureo*, supra, cap. 13.

Posteaquam paullum provecta classis est, et Pachynum quinto die denique appulsa est, nautæ, fame coacti, radices palmarum agrestium, quarum erat in his locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant, et his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem, qui alterum se Verrem quum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio, putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat.

XXXIV. Ecce autem repente, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Odysseæ[1]; nam ita is locus nominatur: nostra autem classis erat in portu Pachyni. Cleomenes autem, quod erat[2] terrestre præsidium non re, sed nomine, sperabat, iis militibus, quos ex eo loco deduxisset, explere se numerum nautarum et remigum posse. Reperta est eadem istius hominis[3] avarissimi ratio in præsidiis, quæ in classibus : nam erant perpauci reliqui, ceterique dimissi. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras[4] imperavit; et simul, ut se ceteri sequerentur, signum dari jussit. Hæc Centuripina navis erat incredibili celeritate velis; nam scire, isto prætore,

XXXIV. 1. *Odysseæ*. Hujus portus et loci nemo veterum facit mentionem, præter Tullium. Cluverius Sic. Antiq. I, 14, existimat Græcis Ὀδυσσείας λιμένα dictum esse, portum Odysseæ sc. κρήνης, quæ fuerit prope Ulysseum promontorium, quod hodie dicatur *capo di Castelluccio*. Huic, ait, ad occidentem adjacere portum, navium capacissimum, qui dicatur *porto di Castelluccio*. Apparet idem fuisse ac *Edissæ portum*, ut in vett. edd. est. Quum autem sileant de portus illius situ omnes, quos quidem adiimus, auctores antiqui, nihil certi pronuntiandum esse credimus. Conf. tamen ind. geographic. Fazell. de rebus siculis decad. prior. I, 8, et V, 1.

2. *Quod erat*. MSS habet *ibi*; in libris vulgatis deest.—*Non re, sed nomine*. Quasi correctio, cum ignominia Verris; quia quum præsidium milites significet re, non nomine; ipse effecerat, ut præsidium illud esset nomine, non re.

3. *Istius hominis*. Verris.

4. *Præcidi anchoras*. Id est, anchoralia, seu funes quibus anchoræ retinebantur. Porro hæc verba *præcidi anchoras*, probe depingunt festina-

nemo poterat[5], quid quæque navis remis facere posset : etsi in hac quadriremi, propter honorem et gratiam Cleomenis, minime multi remiges et milites deerant. Evolarat jam e conspectu fere fugiens quadriremis, quum etiam tunc ceteræ naves suo in loco moliebantur[6].

Erat animus in reliquis[7] : quamquam erant pauci, quoquo modo sese res habebat, pugnare tamen se velle clamabant; et, quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant. Quod si Cleomenes non tanto ante fugisset, aliqua tamen ad resistendum ratio[8] fuisset. Erat enim sola illa navis[9] constrata, et ita magna, ut propugnaculo ceteris posset esse : quæ, si in prædonum pugna versaretur, urbis instar[10] habere inter illos piraticos myoparones videretur. Sed tunc inopes[11], relicti a duce

tionem hominis in fugam ruentis.

5. *Scire..... nemo poterat.* Quia Verres pretio remiges dimiserat.

6. *Moliebantur.* Tarde et cum magna difficultate se, propter remigum paucitatem movebant; nam *moliri* proprie dicimur in re difficili et laboriosa, quasi molem movere.

7. *In reliquis.* Subaudi militibus, et remigibus qui remanserant in navibus. — *Quoquo modo.* Quomodocumque *sese res habebat*, lege, habeat, uti legit Gesn. in Thes. fab. V. *Modus*, hoc est, quicumque exitus pugnæ futurus sit. — *Potissimum*, i. e. potius quam fame, ultimo supplicio mortalium.

8. *Ratio.* Modus; aliquo modo resisti potuisset.

9. *Illa navis.* Cleomenis. *Constrata.* A verbo consternere, id est, contegere. Naves enim tegere solebant antiqui catastromate, ne facile in eas hostes insilire possent, et ad tutius pugnantium munimentum. *Constratæ* naves græcis erant κατάφρακτοι, et opponebantur *apertis*, quæ græce ἄφρακτοι appellabantur; ex duobus hisce navium generibus classes ut plurimum constabant.

10. *Urbis instar.* Sic Æn. V, 119, Gyæ navis esse dicitur «urbis opus». Sic M. Antonii naves comparatæ ad pugnam Actiacam *castellorum et urbium specie* ferebantur. Flor. IV, 11. Porro vox *instar* de mensura et æquiparatione intelligenda hoc loco est, non vero de similitudine, et significat navem Cleomenis tantam fuisse, ut videretur, piratarum naviculis comparata, ad urbis magnitudinem accedere. — *Myoparo.* Navigii genus ob levitatem ad pugnam aptum et inter piratica navigia recensitum. Vide vocis hujus originem apud Scaliger. ad Festum.

11. *Inopes.* Sine ope, auxilio omnino destituti.

præfectoque classis, eumdem necessario cursum tenere cœperunt.

Elorum versus [12], ut ipse Cleomenes, ita ceteri navigabant : neque hi tamen tam prædonum fugiebant impetum, quam imperatorem sequebantur. Tum, ut quisque in fuga postremus, ita periculo [13] princeps erat : postremam enim quamque navem piratæ primam adoriebantur. Ita prima Haluntinorum navis capitur, cui præerat Haluntinus, homo nobilis, Philarchus; quem ab illis prædonibus Locrenses postea publice redemerunt : ex quo vos priore actione jurato rem omnem causamque cognostis. Deinde Apolloniensis navis capitur, et ejus præfectus Anthropinus occiditur.

XXXV. Hæc dum aguntur, interea Cleomenes jam ad Elori litus pervenerat; jam sese in terram e navi ejecerat [1], quadriremem que in salo fluctuantem reliquerat. Reliqui præfecti navium, quum in terram imperator exisset, quum ipsi neque repugnare, neque mari effugere ullo modo possent, appulsis ad Elorum navibus, Cleomenem persequuti sunt. Tunc prædonum dux Heracleo, repente, præter spem, non sua virtute, sed istius avaritia nequitiaque victor, classem pulcherrimam populi romani, in litus expulsam et ejectam, quum primum advesperasceret, inflammari incendique jussit.

O tempus miserum atque acerbum provinciæ Siciliæ! o casum illum multis innocentibus calamitosum

12. *Elorum versus.* Oppidum in eo litore situm inter Syracusas et Pachynum. Scribitur autem ab aliis, cum adspiratione, *Helorus*, et *Helorum*. Olim legebatur *Pelorum*, quod omnino falsum ostenderat Ant. Augustinus. Vidit etiam Græv. et tamen vulgatam lectionem mutare non ausus fuit.

13. *In periculo princeps.* Primus, proximus.

XXXV. 1. *Sese in terram... ejecerat.* Summum Cleomenis significat timorem. Novum hunc imperatorem irridendi causa eo verbo utitur.

atque funestum! o istius nequitiam ac turpitudinem singularem! Una atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpissimi flamma, ac classis populi romani prædonum incendio conflagrabat. Affertur nocte intempesta gravis hujusce mali nuntius Syracusas : curritur ad prætorium[2], quo istum e convivio illo præclaro reduxerant paullo ante mulieres cum cantu atque symphonia. Cleomenes, quamquam nox erat, tamen in publico esse non audet; includit se domi : neque aderat uxor[3], quæ consolari hominem in malis posset. Hujus autem præclari imperatoris ita erat severa domi disciplina, ut in re tanta, in tam gravi nuntio nemo admitteretur; nemo esset, qui auderet aut dormientem excitare, aut interpellare vigilantem. Jam vero, re ab omnibus cognita, concursabat urbe tota maxima multitudo : non enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum adventum significabat ignis e specula sublatus[4], aut tumulo; sed flamma ex ipso incendio navium, et calamitatem acceptam, et periculum reliquum nuntiabat.

XXXVI. Quum prætor quæreretur, et constaret ei neminem nuntiasse, fit ad domum ejus cum clamore concursus atque impetus. Tum iste excitatus[1] audit rem omnem ex Timarchide : sagum sumit[2]. Lucebat

2. *Curritur ad prætorium.* Domum regiam, quæ regis Hieronis fuerat, qua prætores uti solebant.

3. *Neque aderat uxor.* Amare in Cleomenem. Vid. supra, cap. 31.

4. *Specula.* Locus est editus, sive mons, sive turris ille sit, unde longe prospicere et speculari solent qui ei rei sunt destinati, et unde sublata face, de hostium adventu commonent. De constituta apud Veteres ratione significandi per ignes sublatos, legant studiosi Polyb. Ex. L. X, 38.

XXXVI. 1. *Excitatus.* E somno.— *Ex Timarchide.* Liberto suo et accenso, cujus opera Verres familiarius utebatur. In eum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. De Timarchide, lib. II, cap. 28 et 54.

2. *Sagum.* Erat vestis militaris, quæ vestibus aliis superinduebatur. Ea non tam gregarii milites, quam ordinum duces utebantur. Ejusdem erat formæ cum paludamento; quare promiscue sæpe sumuntur.

jam fere : procedit in medium[3], vini, somni, stupri plenus. Excipitur ab omnibus ejusmodi clamore, ut ei Lampsaceni periculi similitudo[4] versaretur ante oculos : hoc etiam majus hoc videbatur, quod in odio simili multitudo[5] hominum hæc erat maxima. Tum istius acta[6] commemorabatur, tum flagitiosa illa convivia; tum appellabantur a multitudine mulieres[7] nominatim ; tum quærebatur ex ipso palam, tot dies continuos, per quos numquam visus esset, ubi fuisset, quid egisset; tum imperator ab isto præpositus Cleomenes flagitabatur; neque quidquam propius est factum, quam ut illud Uticense exemplum de Hadriano[8] transferretur Syracusas, ut duo sepulcra duorum prætorum improborum, duabusque in provinciis constituerentur. Verum habita est a multitudine ratio temporis[9], habita est tumultus, habita etiam dignitatis existimationisque communis, quod is est conventus Syracusis civium romanorum, ut non modo

3. *Procedit.* Amara hypotyposis.

4. *Lampsaceni.* Verres Dolabellæ legatus, Philodami hospitis sui filiam rapere voluerat; quod indigne ferentes Lampsaceni commoti sunt, et in ea domo, in qua diversabatur, Verrem vivum ussissent, ni cives romani omni prece et opera veniam ejus impetravissent. Cf. Verr. I, 27.

5. *Multitudo...* id est, Syracusana.

6. *Tum istius acta.* Revocabantur in memoriam quæ Verres in illo Syracusano litore libidinose egerat. Olim erat *revocabantur*, ita ut *acta* de ejus facinoribus explicaretur, non jam de illo amœno litore de quo supra 31. Correxit *Henri de Mesmes.*

7. *Mulieres.* Quæ Verris conviviis adhibebantur. Vid. supra cap. 31.

8. *De Hadriano.* Hadrianus in Africa prætor quum esset anno Urbis 669, propter crudelitatem et avaritiam suam Uticæ, in prætorio suo, vivus exustus est. Liv. epit. 86; Val. Max. lib. IX, cap. 10, tom. II, pag. 177 edit. nost.

9. *Ratio temporis.* Id est, periculi a prædonibus impendentis. —*Tumultus.* Subaud. ratio. Id est, terroris quem prædonum adventus et victoria attulerant. Miraris sane multitudinem illam, quæ vulgo temeraria est et præceps, vel medio in æstu iræ, quæ consilium nullum adhibet, tam multa tam sapienter considerantem. Revera nihil esset illa prudentia mirabilius, si a Syracusanorum natura, non autem ab oratoris ingenio proficisceretur. Indulget Tullius civibus suis, qui Syracusis negotiabantur, et quos propter probitatem et gravitatem dignissimos esse ait non modo illa provincia, sed etiam republica.

illa provincia, verum etiam hac republica dignissimus existimetur.

Confirmant ipsi se[10], quum is etiam tum semisomnis stuperet; arma capiunt; totum forum atque Insulam, quæ est urbis magna pars, complent. Unam illam solam noctem prædones ad Elorum commorati, quum fumantes etiam nostras naves reliquissent, accedere incipiunt ad Syracusas. Qui videlicet sæpe audissent, nihil esse pulchrius, quam Syracusarum mœnia ac portus, statuerant, sese, si ea Verre prætore non vidissent, numquam esse visuros.

XXXVII. Ac primo ad illa æstiva prætoris accedunt, ipsam illam ad partem litoris, ubi iste per eos dies, tabernaculis positis, castra luxuriæ collocarat : quem posteaquam inanem locum offenderunt, et prætorem commovisse ex eo loco castra[1] senserunt, statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare cœperunt. Quum in portum dico, judices (explanandum est enim diligentius, eorum causa, qui locum ignorant), in urbem dico, atque in urbis intimam partem venisse piratas : non enim portu illud oppidum clauditur[2], sed urbe portus ipse cingitur et concluditur; non ut alluantur a mari mœnia extrema, sed ipse influat[3] in urbis sinum portus.

10. *Confirmant ipsi se.* Id est, incolæ animum suum erigunt.

XXXVII. 1. *Castra.* Ironia est; quasi propter militiam illam muliebrem prædones ab aditu territi fuissent.

2. *Clauditur.* Grævius multus est in explananda hujus vocis vi ac potestate. « Homines, ait, et loca dicuntur *claudi*, illi quum pervenerunt, hæc quum sita sunt ad litora maris aut alia invia, quo non licet ulterius progredi ». Sic autem explicat Ernest. « portus non defendit urbem ab aditu hostium, ut vulgo, quum est totus ante urbem; sed ipse cingitur ædificiis urbis undique, et extra urbem nihil est, nisi introitus portus ». Non recte intellexere descriptionem hanc interpretes. Vide de hoc portu testem oculatum *Dorville* ad Charit. p. 598. — *Mœnia extrema*, est urbs extrema : nam mœnia sunt ædificia urbis, unde pro ipsa urbe dicuntur. Conf. etiam indic. latin.

3. *Sed ipse influat*, etc. Lambinus, « sed ut infl. » J. V. L.

Hic, te prætore, Heracleo archipirata cum quatuor myoparonibus parvis ad arbitrium suum navigavit. Pro, dii immortales! piraticus myoparo, quum imperium populi romani, nomen ac fasces essent Syracusis, usque ad forum, et ad omnes urbis crepidines[4] accessit: quo neque Carthaginiensium gloriosissimæ classes, quum mari plurimum poterant, multis bellis sæpe conatæ, umquam adspirare[5] potuerunt; neque populi romani invicta ante te[6] prætorem gloria illa navalis, umquam, tot Punicis Siciliensibusque bellis[7], penetrare potuit: qui locus ejusmodi est, ut ante Syracusani in mœnibus suis, in urbe, in foro[8] hostem armatum ac victorem, quam in portu ullam hostium navem viderent. Hic, te prætore, prædonum naviculæ[9] pervagatæ sunt, quo Atheniensium classis

4. *Crepidines.* Sunt aggeres saxo quadrato ad fluminis, aut cujusvis aquæ ripam ædificati, quibus fluctus coercentur et in alveo continentur. Gall. *un quai.* Crepidines sunt ita dictæ, quod fluctus illas alluentes assidue crepitare videntur.

5. *Umquam aspirare.* Illud non omnino verum est; nam Diodorus lib. XIV, docet Himilconem Carthaginiensium ducem cum classe ducentarum et octo navium, et multo pluribus onerariis magnum Syracusarum in portum penetrasse. Vid. Roll. Histor. tom. I. Thucydides, lib. VI et VII, narrat anno decimo nono belli Peloponnesiaci ante Christum 413, Nicia duce, classem Atheniensium, in portum Syracusarum ingressam, victam penitusque confectam fuisse. Notandæ sunt autem circumstantiæ quatuor, quas orator ad exaggerandam, hinc difficultatem in portum subeundi, illinc Verris ignaviam, congerit: 1° classes illæ erant gloriosissimæ; 2° mari plurimum poterant; 3° sæpe illud tentaverant; 4° numquam tamen illo non dico penetrare, sed ne aspirare quidem potuerunt.

6. *Invicta ante te.* Hæc ad tempus duntaxat a Cicerone dicuntur. Non enim navalia bella Romanos semper ita prospere gessisse docent historici, docet P. Claudius consul, qui classem quum haberet centum et viginti navium ad ipsam Siciliam, ad Drepani portum superatus a Pœnis, et servatis vix triginta navibus, Lilybæum fugit.

7. *Tot Punicis.* Romani bellum cum Pœnis diutissime et acerrime in Sicilia de Siciliæ possessione gesserunt. Diu cum ipsis etiam Siculis bellarunt. Testes Polybius, Livius, et alii. — *Penetrare.* Nam ante M. Marcelli victoriam, et captas ab eo Syracusas, urbs illa perpetua Romanorum hostis fuit.

8. *In foro.* Quia portus in ipsa urbis est ædificatione. Notabis emphasim in hoc verbo.

9. *Prædonum naviculæ.* Sic supra:

sola, post hominum memoriam, ccc navibus, vi ac multitudine invasit : quæ in eo ipso portu, loci ipsius portusque natura, victa atque superata est. Hic primum opes illius civitatis victæ, comminutæ, depressæque sunt : in hoc portu[10], Atheniensium nobilitatis, imperii, gloriæ naufragium factum existimatur[11].

XXXVIII. Eone pirata penetravit, quo simul atque adisset, non modo a latere, sed etiam a tergo[1] magnam partem urbis relinqueret? Insulam totam prætervectus est; quæ est urbs[2] Syracusis suo nomine, ac mœnibus : quo in loco majores, ut ante dixi, Syracusanum quemquam habitare vetuerunt; quod, qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. At quemadmodum est pervagatus? radices palmarum agrestium, quas in nostris navibus invenerant, jaciebant[3], ut omnes istius improbitatem, et calamitatem Siciliæ possent cognoscere. Siculosne milites, aratorumne liberos, quorum patres tantum labore suo frumenti exarabant, ut populo romano totique Italiæ suppeditare possent[4];

Piraticus myoparo. Imminutio est; qua figura sæpe hic iterata eo amplius augetur Verris ignavia.

10. *In hoc portu.* Ibi quidem Athenarum potentia ita fracta est, ut annis octo post rebus suis nondum ex illa clade restitutis, eosdem Athenienses apud Ægon flumen adortus, insigni prælio navali vicerit Lysander Lacedæmonius, atque urbe occupata, veterem formam Atheniensis reipublicæ sustulerit, ac novam, constitutis triginta tyrannis, instituerit. Xenoph. Hist. Græc. lib. XI.

11. *Existimatur.* Confer nobilem locum apud Senecam de consolat. ad Marciam, c. 17, ubi Lipsius plura hujus orationis loca contulit. J. V. L.

XXXVIII. 1. *A tergo.* Mare lambens insulæ latera in mediam urbem sese insinuat et portum efficit. Qui igitur in eum portum penetrant, insulam a tergo relinquunt, quæ est urbis magna pars et proprium suum habet nomen et sua mœnia.

2. Al. « quæ est urbis magna pars S. » Ernest. omnia hæc spuria judicat. J. V. L.

3. *Jaciebant.* Per ludibrium, militibusque nostris inediæ exprobrandæ gratia.

4. *Suppeditare possent.* Hotom. et

eosne, in insula Cereris natos, ubi primum fruges inventæ esse dicuntur, eo cibo esse usos, a quo majores eorum ceteros quoque, frugibus inventis, removerunt? Te prætore, Siculi milites palmarum stirpibus, prædones Siculo frumento alebantur. O spectaculum miserum atque acerbum! ludibrio esse Urbis gloriam, et populi romani nomen, hominum conventu [5] atque multitudine; piratico myoparone, in portu Syracusano, de classe populi romani triumphum agere piratam; quum prætoris nequissimi inertissimique oculos prædonum remi respergerent?

Posteaquam e portu piratæ non metu aliquo affecti, sed satietate exierant, tum cœperunt quærere homines causam illius tantæ calamitatis : dicere omnes, et palam disputare [6], minime esse mirandum, si, militibus remigibusque dimissis, reliquis egestate et fame perditis, prætore tot dies cum mulierculis perpotante, tanta ignominia [7] et calamitas esset accepta. Hæc autem [8] istius vituperatio atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui a suis civitatibus illis navibus præpositi fuerant : qui ex illo numero reliqui [9] Syra-

Grævius habent *posset*, quia verbum « suppeditare » in neutra significatione accipiunt; ut posset frumentum sufficere, satis esse populo. Quod quamvis multis confirment exemplis, rectum quoque est vulgatum, nec sine libris mutandum est quidquam.

5. *Hominum conventu.* In tanta civitate, tam frequenti.—*Piratico myoparone.* Verba plena invidia et indignatione. Habent emphasim, quia quum myoparonis et classis mentio fit, duo una conferuntur extrema, infimum et supremum; habent antithesim : myoparo et classis, pirata et populus romanus. — *Cum prætoris.* Magna est emphasis oratoria. Nude significant, prætoris in conspectu.

6. *Disputare* Disserere, declamare. Subjicitur causa istius calamitatis, Verris scilicet libido.

7. *Tanta ignominia.* Classis incendium et piratarum deambulatio in medio portu.

8. *Hæc autem.* Advertes oratoris artificium. Adducitur navarchorum testimonium, non tam rei confirmandæ gratia, quod minime necesse erat, quia res erat clara; quam ut ex illorum mentione transitus præparetur ad quartum crimen.

9. *Reliqui.* Ceteris aut certo pretio

cusas, classe amissa, refugerant. Dicebant, quos ex sua quisque navi missos sciret esse. Res erat clara: neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius avaritia[9] tenebatur.

XXXIX. Homo certior fit[1], agi nihil in foro et conventu tota die, nisi hoc quæri a navarchis, quemadmodum classis esset amissa; illos respondere, et docere unumquemque, missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore et fuga. Quod posteaquam iste cognovit, hanc rationem habere cœpit: causam sibi dicendam[2] esse statuerat jam ante, quam hoc usu veniret, ita ut ipsum priore actione dicere audistis; videbat, illis navarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse: consilium capit primo stultum, verumtamen clemens.

Cleomenem et navarchos ad se vocari jubet: veniunt: accusat eos, quod hujusmodi[3] de se sermones habuerint; rogat, ut id facere desistant, et in sua quisque navi dicat se tantum habuisse nautarum, quantum oportuerit, neque quemquam esse dimissum. Illi

dimissis, aut fuga dissipatis, aut prædonum ferro obtruncatis, aut fame denique consumptis.—*Missos*. Pecunia dimissos. — *Tenebatur*. Demonstrabatur.

10. *Avaritia*. Quod hujus vitio remiges erant dimissi, et ceteri fame interierant. Olim *audacia*.

XXXIX. 1. *Homo certior fit*. Quartum Verris crimen, *crudelitas*, ad quod sensim præparantur animi judicum, hoc pacto: Verres navarchos ad se vocat; rogat, testimonium ab eis extorquere conatur, quod invidiosis sermonibus opponat, qui de sua libidine et avaritia habebantur. Sed ut illud sibi nullo adjumento futurum videt, statuit in eos amissæ classis invidiam rejicere, atque eos proditionis nomine arcessitos, necare; infra cap. 53. Mire tractatur hic locus per varios affectus commiserationis in navarchos, in parentes, etc. et per illustriores quasque figuras, quæ suis locis sese satis indicabunt.

2. *Causam sibi dicendam*. Se accusatum iri judicaverat. — *Usu veniret*. Id est, contingeret. *Usus venit*, vel *usu venit*, dicebant veteres Latini pro *accidit*. Exempla congessimus in indice.

3. *Hujusmodi de se sermones habuerint*. Quales referuntur cap. superiore.

enimvero[4] se ostendunt, quod vellet, esse facturos. Iste non procrastinat; advocat amicos[5] statim; quærit ex his singillatim, quot quisque nautas habuerit. Respondit unusquisque, ut erat præceptum. Iste in tabulas refert; obsignat signis amicorum providens homo, ut contra hoc crimen, si quando opus esset, hac videlicet testificatione[6] uteretur. Derisum credo[7] esse hominem amentem a suis consiliariis, et admonitum, hasce ei tabulas nihil profuturas; etiam plus ex nimia prætoris[8] diligentia suspicionis in eo crimine futurum. Jam iste erat hac stultitia multis in rebus usus, ut publice quoque[9], quæ vellet, in civitatum literis et tolli, et referri juberet: quæ omnia nunc intelligit sibi nihil prodesse, posteaquam certis[10] literis, testibus, auctoritatibusque convincitur.

XL. Ubi hoc videt, tabulas[1] sibi nullo adjumento

4. *Enimvero.* Significationem habet prompti et parati animi.

5. *Advocat amicos.* Qui navarchorum testificationis testes essent, eamque suis annulis de more obsignarent. Vid. pro Quintio, cap. 6. — *Quærit ex his.* Navarchis nimirum.

6. *Testificatione.* Testificatio, seu testatio, ut eam vocat Quintil. lib. V, cap. 7, appellantur tabulæ quæ de quocumque negotio conficiuntur; quæ ad probationem valeant. Ad testationem conficiendam, non, ut nunc, personæ publicæ, quales sunt tabularii, sed in vicem eorum qui tunc non erant, privati advocabantur testes septem, qui eam suis annulis obsignarent, ut ne a falsariis postea adulterari posset.

7. *Derisum credo.* Quia statim consilium mutavit, et aliam defensionis rationem instituit. — *A suis consiliariis*, id est, ab illis amicis quos Verres ad testificationem obsignandam advocaverat, et quorum consilio antea uti solebat. Nam illud de testificatione consilium non ei dederant; ipse illud Verres sua sponte ceperat.

8. *Ex nimia prætoris diligentia.* Hæc non sunt otiosa. Nam eorum, qui in summo imperio sunt, acta omnia publica sunt, neque privata ulla testificatione jurari possunt. Hæc igitur nimia diligentia Verris defensioni magis nocebat, quam eam juvabat; quia suspicioni dabat locum.

9. *Ut publice quoque.* Id est, ut non solum falsas illas testificationes privatas confingeret; verum etiam publicas illas civitatum literas corrumperet, et quæ vellet in eis tolli juberet.

10. *Certis literis.* Id est, tabulis non iis quales sunt quæ a Verre produci possunt; sed sinceris, incorruptis.

XL. 1. *Tabulas.* Tabulæ in quibus scriptæ erant navarchorum confessio et testificatio. Libri omnes habebant *illorum confessionem, testificationem suam*, sed primo alterutrum abundat,

futuras, init consilium, non improbi prætoris (nam id quidem esset ferendum), sed importuni atque amentis tyranni: statuit, si hoc crimen extenuare vellet (nam omnino tolli posse non arbitrabatur), navarchos omnes, testes sui sceleris, vita esse privandos. Occurrebat illa ratio: Quid Cleomene[2] fiet? Poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse jussi; missum facere eum, cui imperium potestatemque permisi? poterone eos afficere supplicio, qui Cleomenem sequuti sunt; ignoscere Cleomeni, qui secum fugere, et se consequi jussit? poterone in eos esse vehemens, qui naves inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas[3]; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem, et minus exinanitam? Pereat Cleomenes[4] una. Ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextræ complexusque? ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo litore? Fieri

sive *illorum confessionem*, sive *tabulas*; secundo latini sermonis ratio non fert *testificationem suam*; dicendum erat testificationem illorum, id est, navarchorum a quibus data erat testificatio illa de Verris actis. Unde patet quatuor illas voces in marginibus inscriptas fuisse, et jamdudum eruditi, præcipue Victorius in animadversionibus in Ciceronem, conquesti sunt non Ciceronem solum, sed plerosque veteres multis laciniis onerari. Defendit tamen Ernest. servavit Schütz.

2. *Quid Cleomene*. Ellipsis est præpositionis *de*. Sequitur elegans per prosopopœiam de Cleomene deliberatio, in qua mire describitur pugna rationis et affectuum.

3. *Apertas*. Non constratas, atque ideo telis patentes hostium. Supra cap. 34.

4. *Pereat Cleomenes*. Subaud. inquiet aliquis, prolepsis. — *Ubi fides?* Subjectio. Si perit una Cleomenes, inquit Verres, non servabo fidem quam Cleomenis uxori dedi. — *Exsecratio* hic est jusjurandum omnium sanctissimum, capitis devotione sancitum. Notabis allegoriam sumptam de re militari, in qua sunt fides exercituum, jusjurandum, dextræ, contubernia. — *Ubi dextræ?* Simul implicatæ in fidei testimonium. — *Contubernium* proprie dicebatur in castris tentorium, in quo decem milites habitabant. Est etiam contubernium societas victus, et aliter hic accipitur de Verre, cui ejusmodi societas erat cum Cleomenis uxore. Supra cap. 31. Hoc sensu dixit Sen. epist. VI: « Magnos viros non schola, sed contubernium facit ». Addit autem Cicero « muliebris militiæ », ad castrorum illorum irrisionem, de quibus cap. 31.

nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat : dicit ei, se statuisse animadvertere in omnes navarchos ; ita sui periculi rationes ferre ac postulare. Tibi uni parcam, et totius istius culpæ crimen, vituperationemque inconstantiæ[5] potius suscipiam, quam aut in te sim crudelis, aut tot tam graves testes vivos incolumesque esse patiar. Agit gratias Cleomenes, approbat consilium ; dicit, ita fieri oportere : admonet tamen illud, quod istum fugerat, in Phalargum, Centuripinum navarchum, non posse animadverti, propterea quod secum fuisset una in Centuripina quadriremi. Quid ergo ? iste homo ex ejusmodi civitate, adolescens nobilissimus, testis relinquetur ? In præsentia, inquit Cleomenes, quoniam ita necesse est ; sed post aliquid videbimus, ne iste nobis obstare possit.

XLI. Hæc posteaquam acta et constituta sunt, procedit iste repente e prætorio[1], inflammatus scelere, furore, crudelitate : in forum venit ; navarchos vocari jubet. Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibusque injici catenas[2] imperat. Implorare illi fidem populi romani, et, quare id faceret, rogare. Tunc iste hoc causæ dicit, quod classem prædonibus prodidissent. Fit clamor et admiratio populi, tantam esse in homine im-

5. *Inconstantiæ*. Hoc verbo significatur hic vitium illud, quo jus dispar in re pari redditur; quod in prætore minime ferendum est, qui juris æquabilem rationem tenere debet. — *Tam graves testes*. Subaud. avaritiæ meæ et nequitiæ.

XLI. 1. *E prætorio*. *Prætorium* hic est domus prætoria, in qua, re cum Cleomene deliberata, consilium de navarchis necandis Verres inierat. Nam alias *prætorium* pro eo loco sumitur, in quo jus reddebatur.

2. *Injici catenas*. Collo et cervicibus, ut posterius dicet. — *Implorare illi fidem*. Quia quamvis socii sint et fœderati, tamen a Verre pro hostibus ac prædonibus habentur. — *Populi romani*. Libri manuscripti quatuor habent *prætoris*. Recepit Ernest. Harles.

futuras, init consilium, non improbi prætoris (nam id quidem esset ferendum), sed importuni atque amentis tyranni : statuit, si hoc crimen extenuare vellet (nam omnino tolli posse non arbitrabatur), navarchos omnes, testes sui sceleris, vita esse privandos. Occurrebat illa ratio : Quid Cleomene[2] fiet? Poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse jussi; missum facere eum, cui imperium potestatemque permisi? poterone eos afficere supplicio, qui Cleomenem sequuti sunt; ignoscere Cleomeni, qui secum fugere, et se consequi jussit? poterone in eos esse vehemens, qui naves inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas[3]; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem, et minus exinanitam? Pereat Cleomenes[4] una. Ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextræ complexusque? ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo litore? Fieri

sive *illorum confessionem*, sive *tabulas;* secundo latini sermonis ratio non fert *testificationem suam;* dicendum erat testificationem illorum, id est, navarchorum a quibus data erat testificatio illa de Verris actis. Unde patet quatuor illas voces in marginibus inscriptas fuisse, et jamdudum eruditi, præcipue Victorius in animadversionibus in Ciceronem, conquesti sunt non Ciceronem solum, sed plerosque veteres multis laciniis onerari. Defendit tamen Ernest. servavit Schütz.

2. *Quid Cleomene.* Ellipsis est præpositionis *de*. Sequitur elegans per prosopopœiam de Cleomene deliberatio, in qua mire describitur pugna rationis et affectuum.

3. *Apertas.* Non constratas, atque ideo telis patentes hostium. Supra cap. 34.

4. *Pereat Cleomenes.* Subaud. inquiet aliquis, prolepsis. — *Ubi fides?* Subjectio. Si perit una Cleomenes, inquit Verres, non servabo fidem quam Cleomenis uxori dedi. — *Exsecratio* hic est jusjurandum omnium sanctissimum, capitis devotione sancitum. Notabis allegoriam sumptam de re militari, in qua sunt fides exercituum, jusjurandum, dextræ, contubernia. — *Ubi dextræ?* Simul implicatæ in fidei testimonium. — *Contubernium* proprie dicebatur in castris tentorium, in quo decem milites habitabant. Est etiam contubernium societas victus, et aliter hic accipitur de Verre, cui ejusmodi societas erat cum Cleomenis uxore. Supra cap. 31. Hoc sensu dixit Sen. epist. VI : « Magnos viros non schola, sed contubernium facit ». Addit autem Cicero « muliebris militiæ », ad castrorum illorum irrisionem, de quibus cap. 31.

nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat : dicit ei, se statuisse animadvertere in omnes navarchos ; ita sui periculi rationes ferre ac postulare. Tibi uni parcam, et totius istius culpæ crimen, vituperationemque inconstantiæ[5] potius suscipiam, quam aut in te sim crudelis, aut tot tam graves testes vivos incolumesque esse patiar. Agit gratias Cleomenes, approbat consilium; dicit, ita fieri oportere : admonet tamen illud, quod istum fugerat, in Phalargum, Centuripinum navarchum, non posse animadverti, propterea quod secum fuisset una in Centuripina quadriremi. Quid ergo? iste homo ex ejusmodi civitate, adolescens nobilissimus, testis relinquetur? In præsentia, inquit Cleomenes, quoniam ita necesse est ; sed post aliquid videbimus, ne iste nobis obstare possit.

XLI. Hæc posteaquam acta et constituta sunt, procedit iste repente e prætorio[1], inflammatus scelere, furore, crudelitate : in forum venit ; navarchos vocari jubet. Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibusque injici catenas[2] imperat. Implorare illi fidem populi romani, et, quare id faceret, rogare. Tunc iste hoc causæ dicit, quod classem prædonibus prodidissent. Fit clamor et admiratio populi, tantam esse in homine im-

5. *Inconstantiæ.* Hoc verbo significatur hic vitium illud, quo jus dispar in re pari redditur; quod in prætore minime ferendum est, qui juris æquabilem rationem tenere debet. — *Tam graves testes.* Subaud. avaritiæ meæ et nequitiæ.

XLI. 1. *E prætorio. Prætorium* hic est domus prætoria, in qua, re cum Cleomene deliberata, consilium de navarchis necandis Verres inierat. Nam alias *prætorium* pro eo loco sumitur, in quo jus reddebatur.

2. *Injici catenas.* Collo et cervicibus, ut posterius dicet. — *Implorare illi fidem.* Quia quamvis socii sint et fœderati, tamen a Verre pro hostibus ac prædonibus habentur. — *Populi romani.* Libri manuscripti quatuor habent *prætoris.* Recepit Ernest. Harles.

pudentiam atque audaciam, ut aliis causam calamitatis attribueret, quæ omnis propter avaritiam ipsius accidisset; aut, quum ipse prædonum socius[3] putaretur, aliis proditionis crimen inferret; deinde, hoc quintodecimo die crimen esse natum, postquam classis esset amissa. Quum hæc fierent, quærebatur, ubi esset Cleomenes; non quo illum ipsum, cujusmodi[4] esset, quisquam supplicio, propter illud incommodum, dignum putaret. Nam quid Cleomenes facere potuit (non enim possum quemquam insimulare falso)? quid, inquam, magnopere Cleomenes[5] facere potuit, istius avaritia navibus exinanitis? Atque eum vident[6] sedere ad latus prætoris, et ad aurem familiariter, ut solitus erat, insusurrare. Tum vero omnibus indignissimum visum est, homines honestissimos, electos ex suis civitatibus[7], in ferrum atque in vincula conjectos; Cleomenem, propter flagitiorum ac turpitudinis societatem, familiarissimum esse prætoris. Apponitur his[8] tamen accusator Nævius Turpio quidam, qui, C. Sacerdote prætore, injuriarum damnatus est[9], homo bene appositus ad istius audaciam: quem iste in decumis[10], in

3. *Prædonum socius*. Quasi cum prædonibus collusisset, et classem ipse prodidisset militibus, remigibus, penitusque commeatu vacuam.

4. *Cujusmodi esset*. Cujuscumque modi esset; qualiscumque esset, sive nocens, sive innocens.

5. *Magnopere Cleomenes*. Abest vox *magnopere* in multis codicibus quos recenset Burmannus in not. p. 811, iisque est Barberinus addendus.

6. *Atque eum vident*. Quum quæreretur ubi esset, ecce eum vident.

7. *Electos ex suis civitatibus*. Qui navibus imperarent.

8. *Apponitur his tamen*. Apponere accusatorem est subornare aliquem, qui falso accuset. — De *Nævio Turpione*, lib. III, cap. 39. — *Injuriarum damnatus*. Damnationem sequebatur infamia, infames autem repelluntur a ferendo testimonio, et ab accusando; ex jurisconsultis.

9. Verba, *qui... est*, translata videntur Ernestio ex Verr. II, 8. J.V.L.

10. *In decumis*. In aratoribus territandis, ut se ab istius calumniis pecunia liberarent; ut de Petrinis narratur, lib. III, cap. 39. Petra Siciliæ oppidum, cujus incolæ Petrini. — *In rebus capitalibus*. Quum Dioni Halesino hereditatem ademit, Lib. II, cap. 8.

rebus capitalibus, in omni calumnia, præcursorem habere solebat et emissarium.

XLII. Veniunt Syracusas parentes propinquique miserorum adolescentium, hoc repentino calamitatis suæ commoti nuntio; vinctos adspiciunt catenis liberos suos, quum istius avaritiæ pœnam collo et cervicibus suis sustinerent; adsunt, defendunt, proclamant[1]; fidem tuam, quæ nusquam erat, nec umquam fuit, implorant. Patèr aderat Dexio Tyndaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus, cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaras: eum quum illa auctoritate, et miseria videres præditum[2], non te ejus lacrymæ, non senectus, non hospitii jus atque nomen a scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro? qui Sthenium Thermitanum[3], hospitem suum, cujus domum per hospitium exhausit et exinanivit, absentem in reos retulerit, causa indicta, capite damnarit; ab eo nunc hospitiorum jura atque officia quæramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera atque immani bellua? Te patris lacrymæ de innocentis filii periculo non movebant? quum patrem domi[4] reliquisses, filium tecum haberes; te ne-

XLII. 1. *Proclamant.* Vociferantur se nimirum paratos esse judicio suos liberos, et propinquos defendere. — *Cujus tu domi fueras.* Suband. diversatus. — *Quem hospitem appellaras.* Hospitale jus tantæ erat necessitudinis, ut sanguinis etiam nexui præferretur. Ejus meminit hic Tullius, ut in Sthenio, lib. II, et aliis, ut ista commemoratione tanto majus odium in Verrem, a quo jus illud violatum est, inflammetur.

2. *Præditum.* Schütz. edidit e conjectura, « eum quum, illa ætate, miseria videres perditum ». Ernest. verecunde conjecerat probante Wittenb. « illa auctoritate præditum, ætate et miseria perditum ». Lambin. cum Guliel. « quum illa auctoritate, miseria videres perditum ».

3. *Qui Sthenium Thermitanum.* Ejus historiam vide lib. II, cap. 34. — *Quæramus.* H. e. requiramus, more Græcorum, qui ζητεῖν eodem sensu usurpant.

4. *Patrem domi.* Vivebat adhuc Ver-

que præsens filius de liberorum caritate, neque absens pater de indulgentia patria commonebat?

Catenas habebat hospes tuus Aristeus, Dexionis filius. Quid ita[5]? — Prodiderat classem. — Quod ob præmium? — Deseruerat exercitum. — Quid Cleomenes? — Ignavus fuerat. — At eum tu ob virtutem corona aurea donaras. — Dimiserat nautas. — Tu ab omnibus mercedem missionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitensis Eubulida, homo domi suæ clarus et nobilis : qui, quia Cleomenem in defendendo filio læserat[6], nudus pæne est destitutus. Quid erat[7] autem, quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. — At causa cogit. — Moriere, si appellaris : — nunquam enim iste est cuiquam mediocriter minatus. — At remiges non erant. —

ris pater, quum in Siciliam prætor profectus est.

5. *Quid ita?* Verba Ciceronis. — *Prodiderat classem.* Verris verba. Nam hic est dialogismus. — *Quod.* Id est, cujus facti *ob præmium*, ob pœnam. — *Quid Cleomenes?* An non fecit quod Aristeus? Nonne et ipse perdidit classem, deseruit exercitum? Cur ergo simili in causa catenas ille habet, hic vero liber est? Huic Ciceronis objectioni Verres quum nihil sani habeat quod respondeat, vertit se alio. Aristeo ignaviæ crimen imponit (cave enim ad Cleomenem cum Garatonio referas hæc verba *ignavus fuerat*); quod orator dissolvit argumento a repugnantibus. Verres hac solutione perculsus illuc amens redit. Nautarum dimissionem Aristeo vertit in crimen, quod Cicero statim in ipsum retorquet.

6. *Læserat.* Quum fugæ culpam in eum conferret. — *Destitutus.* Id est, constitutus. — *In foro.* Ad virgarum nimirum pœnam.

7. *Quid erat?* Verba Ciceronis. Eubulida cæditur virgis, quia fugæ culpam in Cleomenem contulit. Verus quis et hujus et navarchorum ceterorum defensioni locus alius patebat? Nullus certe; quandoquidem constat, quod illi fecerunt, id omne jussu et exemplo Cleomenis eos fecisse. Hoc nihil ad voluntatem meam, inquit Verres. Etenim Cleomenem nominari veto, nedum accusari velim. — *At causa.* Id est, defensionis nostræ ratio *cogit*, ut eum nominemus, aiunt navarchi. — *Moriere*, ait prætor, si Cleomenem nominaveris. — *Numquam enim iste.* Verba Ciceronis ad judices, quos videt minarum illius atrocitate commotos. Sic est Verres, inquit, numquam, etc. — *At remiges.* Verba navarchorum. — *Non erant.* In navibus. — *Prætorem.* Verba Verris. — *Æmulum.* Cleomenem, id est, qui potestate atque im-

Prætorem tu accusas? frange cervicem.—Si neque prætorem, neque prætoris æmulum appellare licebit, quum in his duobus tota causa sit; quid futurum est?

XLIII. Dicit etiam causam Heraclius Segestanus, homo domi suæ summo loco natus. Audite, ut vestra humanitas postulat, judices: audietis enim de magnis incommodis injuriisque sociorum. Hunc scitote fuisse Heraclium in ea causa[1], qui propter gravem morbum oculorum tum non navigarit, et jussu ejus, qui potestatem habuit, cum commeatu Syracusis remanserit. Iste certe neque prodidit classem, neque metu perterritus fugit, neque exercitum deseruit: etenim tunc esset hoc animadversum[2], quum classis Syracusis proficiscebatur. Is tamen in eadem causa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus, in quem ne falso quidem causa conferri criminis potuit.

Fuit in illis navarchis Heracliensis quidam Furius (nam habent illi nonnulla hujuscemodi latina[3] nomina), homo, quamdiu vixit, domi suæ [non solum[4]], post

perio Verrem referret et imitaretur.

XLIII. 1. *In ea causa.* In eadem causa, qua ceteri navarchi, id est, iisdem criminibus appetitum, quamvis propter, etc. — *Jussu ejus.* Id est, Cleomenis.

2. *Tunc esset hoc animadversum.* Ordo et sensus: Scitote Heraclium, quum ceteri navigarent, Syracusis remansisse, impetrata domi manendi potestate. Qua de remansione non est quod quisquam dubitet. Si enim in aliqua navi fuisset, tunc esset hoc facile animadversum ab omnibus, quum classis proficisceretur, Heraclium una cum ceteris navarchis proficisci. Sed, ut dixi, remansit Syracusis. Iste igitur certe neque prodidit classem, etc. Is tamen in eadem causa fuit cum ceteris navarchis, quasi esset, etc. —*Ne falso quidem.* Quid enim criminis in eum, qui abfuit, conferri possit?

3. Glossam hæc sapiunt, ut Ern. viderat: Sch. exsulare jussit. J. V. L.

4. *Non solum.* Verba hæc duo non Ciceroniana prorsus, nempe locum hunc depravant, qui splendidum quiddam ac magnificum habet. Vide quam omnia sint plana, si scribas: homo, quamdiu vixit, domi suæ (id est, in civitate sua), post mortem tota Sicilia clarus et nobilis. Mors enim sua eum nobilitavit, non modo quia Verrem præsenti jam morte libere accusavit, sed etiam quia suæ causæ et sociorum defensionem scripsit in carcere, quæ scelus crudelitatemque Verris universæ Siciliæ passim lecta patefecit. Quam

mortem tota Sicilia clarus et nobilis : in quo homine tantum animi fuit, non solum ut istum libere læderet; nam id quidem, quoniam moriendum videbat, sine periculo se facere intelligebat : verum, morte proposita, quum lacrymans in carcere mater noctes diesque assideret, defensionem causæ suæ scripsit; quam nunc nemo est in Sicilia quin habeat, quin legat, quin tui sceleris et crudelitatis ex illa oratione commonefiat. In qua docet, quot a civitate sua nautas acceperit; quot et quanti[5] quemque dimiserit, quot secum habuerit : item de ceteris navibus dicit. Quæ quum apud te diceret, virgis oculi verberabantur. Ille, morte proposita, facile dolorem corporis patiebatur; clamabat, id quod scriptum reliquit : « Facinus esse indignum, plus impudicissimæ mulieris[6] apud te de Cleomenis salute, quam de sua vita lacrymas matris valere ». Deinde etiam illud video[7] esse dictum, quod, si recte vos[8] populus romanus cognovit, non falso ille jam in ipsa morte de vobis prædicavit : « Non posse Verrem, testes interficiendo, crimina sua exstinguere[9]; graviorem apud sapientes judices se fore ab inferis testem, quam si vivus in judicium produceretur; tum, avaritiæ solum, si viveret; nunc, quum ita esset necatus, sceleris, audaciæ, crudelitatis testem fore ». Jam

mire nostris oculis miserorum imagines repræsentat Cicero, ac nulli imitanda arte variat! Non jam patrem et senem audimus qui miserationem movere studeat; verum adest vir mori certus, nulli jam rei parcens, qui Verrem dignis conviciis lacessit : neque se unum, verum etiam ceteros calamitatis socios in illis commentariis defendit, qui nescio quid magnum ac liberum spirant; ita ut orator, in hac omni parte, totam eloquentiæ suæ vim ad complorandos navarchos consumere videatur.

5. *Quanti*. Quo pretio a Verre definito ac constituto.—*Dimiserit*. Jussu Verris.

6. *Mulieris*. Nicen illam intellige, Cleomenis uxorem. Supra cap. 31.

7. *Video*. Reperio.— *Esse dictum*. In apologia Furii.

8. *Si recte vos*. Judices alloquitur.

9. *Exstinguere*. Memoriam scelerum suorum abolere.

illa præclara[10]: « Non testium modo catervas, quum tua res ageretur, sed a diis manibus innocentium Pœnas[11], sceleratorumque Furias in tuum judicium esse venturas; sese ideo leviorem casum suum fingere, quod jam ante aciem securium tuarum, Sestiique[12], tui carnificis, vultum et manum vidisset, quum in conventu civium romanorum jussu tuo securi cives romani ferirentur ». Ne multa, judices; libertate, quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio[13] miserrimæ servitutis abusus est.

XLIV. Condemnat omnes de consilii sententia : tamen neque iste in tanta re, tot hominum[1] totque civium causa, P. Vettium ad se arcessit, quæstorem suum, cujus consilio uteretur; neque P. Cervium, talem virum, legatum, qui, quia legatus isto prætore in Sicilia fuit, primus ab isto judex rejectus est; sed de latronum, hoc est, de comitum suorum[2] sententia condemnat omnes. Hic cuncti Siculi, fidelissimi atque antiquissimi socii, plurimis affecti beneficiis a majoribus nostris, graviter commoventur, et de suis periculis fortunisque omnibus pertimescunt. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque[3] esse conversam! con-

10. *Jam illa præclara*. Quæ in eadem apologia consequebantur. — *Quum tua res ageretur*. Quum te judicio persequerentur.

11. *Innocentium Pœnas*. Quæ ulciscuntur innocentes, contra jus interfectos. — *Furias sceleratorum*. Quæ sceleratos agitant ac persequuntur.— Lamb. male ingeniosus est in vexandis his verbis, quæ optima sunt. J. V. L.

12. *Sestiique, tui carnificis*. Observandum, unum de lictoribus carnificis munus præcipue obiisse; nam in sequenti pagina hunc appellat lictorem.

13. *In acerbissimo supplicio*. Virgarum, quibus oculi ejus, quum hoc diceret, verberabantur. — *Servitutis*. Servorum. — *Abuti*. Est totum consumere, ita ut nihil supersit.

XLIV. 1. *Hominum*. Siculorum.— *Causa*. Subaud. *in*.—*Vettium*. Cujus sororem in matrimonio Verres habebat. — *Quia legatus*. Atque ideo omnia ejus scelera cognoscere potuit.

2. *De comitum suorum*. Ex eadem cohorte, ex qua in decumarum litibus recuperatores dabat.

3. *Inhumanitatem*. Grævius credit

demnari tot homines uno tempore, nullo crimine! defensionem suorum furtorum prætorem improbum ex indignissima morte innocentium quærere! Nihil addi jam videtur, judices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemque posse, et recte nihil videtur[4]: nam si cum aliorum improbitate certet, longe omnes multumque superabit. Sed secum ipse certat[5]: id agit, ut semper superius suum facinus novo scelere vincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum esse a Cleomene, quod in ejus quadriremi[6] Cleomenes vectus esset: tamen, quia pertimuerat adolescens, quod eamdem suam causam videbat esse, quam illorum, qui innocentes peribant, ad hominem accedit Timarchides; a securi negat ei esse periculum; virgis ne cæderetur, monet ut caveat. Ne multa, ipsum dicere adolescentem audistis, se ob hunc virgarum metum pecuniam Timarchidi numerasse.

Levia sunt[7] hæc in hoc reo crimina. Metum virgarum navarchus nobilissimæ civitatis pretio redemit; humanum: alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit;

legendum esse, *inmanitatem;* quia, inquit, clementiæ opponitur crudelitas, et mansuetudini immanitas. Cavendum *inhumanitatem* dici de illo, qui omnem humanitatem exuit, et nullius hominis rationem habet.

4. *Et recte nihil videtur*. Lambinus delet vocem *nihil* et retinet *videtur*. Memmius putat hoc totum *nihil videtur* delendum, ut ex adnotatione natum. Uncis, ut spurium, inclusit Ernest. Schütz. tria verba delevit.

5. *Sed secum ipse certat.* F. Ursin. rectius putat, ut est in antiquo, *sed quum secum ipse certat.* —*Secum certare* usus est Tullius longe aliter in luculenta epistola IX, 14, ad Dolabellam: « Quid est, quod ego te horter, ut dignitati et gloriæ servias? Proponam tibi claros viros?..... Neminem habeo clariorem quam te ipsum; *te imitere oportet, tecum ipse certes* ».

6. *Quod in ejus quadriremi.* Ei enim Phalargus navi præpositus a sua civitate fuerat; summum tamen in ea imperium Cleomenes obtinebat.

7. *Levia sunt.* Correctio et communicatio, quibus transit orator ad descriptionem suppliciorum — *Navarchus nobilissimæ.* Legit Lambinus ex conjectura Memmii: « homo nobilissimus suæ civitatis». — *Obsoletis.* Id est, vulgaribus, usitatis. — *Hu-*

usitatum est. Non vult populus romanus obsoletis criminibus accusari Verrem; nova postulat, inaudita desiderat; non de prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno[8] fieri judicium arbitratur.

XLV. Includuntur in carcerem condemnati; supplicium constituitur in illos; sumitur de miseris parentibus[1] navarchorum[2]; prohibentur adire ad filios; prohibentur liberis suis cibum vestitumque ferre. Patres hi, quos videtis, jacebant in limine, matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberum exclusæ: quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum[3] ore[4] excipere sibi liceret. Aderat[5] janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque sociorum et civium, lictor Sestius; cui ex omni gemitu[6] doloreque certa merces comparabatur. Ut adeas[7], tantum dabis; ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum. Nemo recusabat. Quid? ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cum sensu doloris

nanum. Id est, naturale. Populus romanus non vult Verri aliquid objici quod humana fragilitas aut exemplum possit excusare. Eodem sensu dixit Tacitus, « Humanum est odisse quos læseris ».

8. *De crudelissimo tyranno*. Quales olim in hac insula regnarunt. His animi præparantur ad ea quæ sequuntur.

XLV. 1. *Sumitur de miseris parentibus*. Vehemens amplificatio; supplicium in liberos constituitur. Sumitur de parentibus, quibus acerbissimi supplicii loco est prohibitio filios suos in carcere inclusos invisendi.

2. Memmius, Lambin. Ernest. *navarchorum* e glossa natum putant. J. V. L.

3. *Extremum spiritum*. Hoc dictum ex more veterum, apud quos qui sanguine proximus erat, morientis extremum spiritum osculo excipiebat. Quod ab usque Homeri temporibus usitatum fuit. Ad hunc morem respicit Virgilius Æneid. IV, 684.

4. *Ore* libris fere omnibus ignoratur; dat Quintilian. IX, 4; Servius ad Æneid. IV, 685. J. V. L.

5. *Aderat*. Votis earum obstabat. — *Janitor*. Vim addit orationi gradatio, quæ concluditur his vocibus, *lictor Sestius;* quasi omnia hoc uno nomine contineantur.

6. *Ex omni gemitu*. Edit. Venet. et cod. Lamb. *omnium*.

7. *Ut adeas*. Invidiosa prosopopœia. Verba Sestii.

aliquo aut cruciatu spiritus auferatur? Etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur.

O magnum atque intolerandum dolorem! o gravem acerbamque fortunam! non vitam liberum, sed mortis celeritatem[8] pretio redimere cogebantur parentes. Atque ipsi etiam adolescentes cum Sestio de eadem plaga et de uno illo ictu loquebantur; idque postremum parentes suos liberi orabant, ut, levandi cruciatus sui gratia, lictori pecunia daretur. Multi[9] et graves dolores inventi parentibus et propinquis; multi: verumtamen mors sit extrema. Non erit. Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? reperietur. Nam, illorum liberi quum erunt securi percussi ac necati, corpora feris objicientur. Hoc si luctuosum[10] est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem.

Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclii[11] navarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse. Hoc (ne possis[12] dicere: patres enim veniunt, amissis filiis, irati) vir primarius, homo nobilissimus, dicit; neque de filio dicit. Jam hoc, quis tum fuit Syracusis, quin audierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturæ cum vivis etiam illis esse factas? non palam cum Timarchide

8. *Mortis celeritatem.* Sine diuturno cruciatu et sensu doloris.

9. *Multi... multi.* Repetitio ejusdem nominis vim et dolorem auget. Exempla congessit Manutius ad h. l.

10. *Hoc si luctuosum.* Ex philosophorum sententiis nihil erat apud veteres luctuosius, quam corpora mortuorum projici inhumata; quia eorum animæ, nisi longum post tempus, non admittebantur ad locum purgationis, ut in corpora rursus redirent. Vid. Æn. VI, 323, et ibi n. t. III, p. 137 ed. nost.

11. *Heraclii.* Ejusdem qui propter ægros oculos navem ascendere non potuerat et Syracusis *cum commeatu* remanserat.

12. *Ne possis dicere.* Ut non dicas falsa tibi affingi crimina a patribus iratis, quos amissorum filiorum dolor in te irritat; horum testimonio jam non utor. — *Patres.* Verba, seu objectio Verris. — *Enim*, pro *at enim*, *enimvero.* — *Quin audierit.* Sic Reg. cod. vulg. *qui non audierit*, Græv. ita jam e MS Lamb.

loquebantur? non omnes omnium propinqui adhibebantur? non palam vivorum funera locabantur[13]? Quibus rebus omnibus actis atque decisis, producuntur e carcere, et deligantur ad palum.

XLVI. Quis tam fuit illo tempore durus et ferreus, quis tam inhumanus, præter unum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miseria commoveretur? Ecquis fuit, quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, ut fortunam tamen non alienam, periculum autem commune[1] agi[2] arbitraretur? Feriuntur securi: lætaris tu in omnium gemitu, et triumphas; testes avaritiæ tuæ gaudes esse sublatos. Errabas, Verres[3], et vehementer errabas, quum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare; præceps amentia ferebare, qui te existimares avaritiæ vulnera[4] crudelitatis remediis posse sanare. Etenim quamquam illi sunt mortui sceleris tui testes, tamen eorum propinqui neque tibi[5], neque illis desunt; tamen ex illo ipso numero navarchorum aliqui vivunt et adsunt, quos,

13. *Locabantur.* Invidiose. *Locari funus* proprie est cum redemptore aliquo de funeris sumptibus transigere. Hic autem significat *sepeliendi potestatem redimere.*—*Quibus rebus.* Hactenus antecedentia supplicii, jam supplicium ipsum describitur.

XLVI. 1. *Periculum autem commune.* Quippe societatis et fœderum jure semel in navarchis violato, idem postea sociis omnibus accidere posse cogitabant. Sic Cicero pro Dejotaro rege: « Fugitivi dominum accusantis, et dominum absentem, et dominum amicissimum nostræ reipublicæ, quum os videbam, quum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam ».

2. Abest a codd. Guelf. Leid. etc. Ernest. delevit. J. V. L.

3. *Errabas*, *Verres.* Repetitio et apostrophe plena doloris et indignationis.

4. *Avaritiæ vulnera.* Calamitatem illam navalem appellat, quæ propter Verris avaritiam accepta est; quum neque militum, neque remigum satis esset, quia Verres eos accepta pecunia dimiserat.

5. *Neque tibi.* Vivunt adhuc eorum propinqui, qui te non avaritiæ solum accusent, sed etiam crudelitatis, quod innocentes interfici jusseris.

ut mihi videtur, ab illorum innocentium[6] pœna fortuna ad hanc causam reservavit.

Adest Philargus Haluntinus, qui, quia cum Cleomene non fugit, oppressus a prædonibus et captus est : cui calamitas saluti fuit; qui, nisi captus a piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. Dicit is, pro testimonio, de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. Adest Centuripinus Phalargus[7], in amplissima civitate, amplissimo loco natus. Eadem dicit : nulla in re discrepat.

Per deos immortales! judices, quo tandem animo sedetis? aut quemadmodum auditis? Utrum ego desipio, et plus quam satis est, doleo in tanta calamitate miseriaque sociorum? an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus et mœror pari sensu doloris afficit? Ego enim quum Herbitensem[8], quum Heracliensem securi esse percussum dico, versatur mihi ante oculos indignitas calamitatis.

XLVII. Eorumne populorum cives, eorumne agrorum alumnos[1], ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi romanæ, illorum operis ac laboribus, quæritur, qui a parentibus, spe[2] nostri imperii nostræque æquitatis, suscepti educatique sunt, ad C. Verris nefariam immanitatem, et ad ejus securem funestam esse servatos[3]?

6. *Ab illorum innocentium.* Quos noluit fortuna eodem cum illis innocentibus involvi supplicio, ut tuo judicio adessent, et contra te testimonium dicerent.

7. *Centuripinus Phalargus.* Qui pecuniam Timarchidi ob virgarum metum dinumeravit.

8. *Herbitensem.* Eubulidam. — *Heracliensem.* Furium.

XLVII. 1. *Alumnos.* Veteres edit. Cujac. Reg. et Francii lib. habent *colonos.* — *Maxima vis.* Cellam penariam reipubl. nutricem plebis romanæ Siciliam Cato nominabat. Verr. II, 2.

2. *A parentibus, spe.* Id est, sperantibus fore, ut libertatem suam sub imperio nostro retinerent. Nam si tantas liberis suis calamitates providissent, non eos suscepissent; sed recens natos feris exposuissent, ut ne in spem tantorum malorum adolescerent.

3. *Esse servatos.* Subaud. ferendum est, vel aliquod aliud verbum ejus-

Quum mihi Tyndaritani illius venit in mentem, quum Segestani, tum jura simul civitatum atque officia considero. Quas urbes P. Africanus etiam ornandas esse[4] spoliis hostium arbitratus est, eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam viris nobilissimis nefario scelere privavit. En quod Tyndaritani[5] libenter prædicent: « Nos in septemdecim populis[6] Siciliæ non eramus; nos semper, in omnibus Punicis Siciliensibusque bellis, amicitiam fidemque populi romani sequuti sumus; a nobis omnia populo romano semper, et belli adjumenta, et pacis ornamenta ministrata sunt ». Multum vero[7] hæc his jura profuerunt in istius imperio ac potestate.

Vestros quondam nautas[8] contra Carthaginem Scipio duxit; at nunc naves contra prædones pæne inanes Cleomenes ducit. Vobiscum Africanus hostium spolia et præmia laudis[9] communicavit; at nunc per me spoliati, nave a prædonibus abducta, ipsi in hostium

modi. — *Tyndaritani.....Segestani.* Quos Verres securi percussit. Sed in hac orationis forma subaud. recordatio. Sic inf. cap. 55. — *Jura.* Gall. *les priviléges.* — *Atque officia.* Subaud. in nostram rempublicam, quibus officiis ista jura civitates adeptæ sunt.

4. *Ornandas esse.* Vide lib. II, cap. 1, et in sequentibus libris sæpius.

5. *En quod Tyndaritani.* Orationis forma indignationi serviens. Nota in sequentibus prosopopœiam Tyndaritanorum, quæ gravior fit comparatione dissimili animorum erga se Africani et Verris.

6. *In septemdecim populis.* Qui pro Pœnis contra Romanos bellarunt, et a Romanis postea subacti clementiam victoris experti sunt, et agris suis jure belli fisco addictis donati. Lib. III, cap. 6. — *Non eramus.* Editiones P. Stephani, Grævii, Gronovii, Verburgii habent *numeramur.* Si ita esset, quomodo Tyndaritani prædicare de se possent, atque commemorare se in omnibus bellis amicitiam fidemque populi romani sequutos fuisse. Hæc inter se pugnant, et Cicero sibi ipse obloqueretur. — *In omnibus Punicis.* Id est, in bellis omnibus quæ Romani gesserunt, vel cum ipsis Siculis, vel cum Pœnis in Sicilia, aut extra Siciliam.

7. *Multum vero.* Hoc membrum orator ex persona sua quasi per parenthesim inserit; indignatus Tyndaritanos pro suis officiis tam fœde habitos a prætore populi romani fuisse.

8. *Vestros quondam nautas.* Verba esse Verris Tyndaritanorum orationem irridentis suspicatur Hotom. Sed tum deesset quidpiam. Simplicius hæc a Cicerone dici credo.

9. *Præmia laudis.* Victoriæ. — *Ipsi*

ut mihi videtur, ab illorum innocentium[6] pœna fortuna ad hanc causam reservavit.

Adest Philargus Haluntinus, qui, quia cum Cleomene non fugit, oppressus a prædonibus et captus est : cui calamitas saluti fuit; qui, nisi captus a piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. Dicit is, pro testimonio, de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. Adest Centuripinus Phalargus[7], in amplissima civitate, amplissimo loco natus. Eadem dicit : nulla in re discrepat.

Per deos immortales! judices, quo tandem animo sedetis? aut quemadmodum auditis? Utrum ego desipio, et plus quam satis est, doleo in tanta calamitate miseriaque sociorum? an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus et mœror pari sensu doloris afficit? Ego enim quum Herbitensem[8], quum Heracliensem securi esse percussum dico, versatur mihi ante oculos indignitas calamitatis.

XLVII. Eorumne populorum cives, eorumne agrorum alumnos[1], ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi romanæ, illorum operis ac laboribus, quæritur, qui a parentibus, spe[2] nostri imperii nostræque æquitatis, suscepti educatique sunt, ad C. Verris nefariam immanitatem, et ad ejus securem funestam esse servatos[3]?

6. *Ab illorum innocentium*. Quos noluit fortuna eodem cum illis innocentibus involvi supplicio, ut tuo judicio adessent, et contra te testimonium dicerent.

7. *Centuripinus Phalargus*. Qui pecuniam Timarchidi ob virgarum metum dinumeravit.

8. *Herbitensem*. Eubulidam. — *Heracliensem*. Furium.

XLVII. 1. *Alumnos*. Veteres edit. Cujac. Reg. et Francii lib. habent *colonos*. — *Maxima vis*. Cellam penariam reipubl. nutricem plebis romanæ Siciliam Cato nominabat. Verr. II, 2.

2. *A parentibus, spe*. Id est, sperantibus fore, ut libertatem suam sub imperio nostro retinerent. Nam si tantas liberis suis calamitates providissent, non eos suscepissent; sed recens natos feris exposuissent, ut ne in spem tantorum malorum adolescerent.

3. *Esse servatos*. Subaud. ferendum est, vel aliquod aliud verbum ejus-

Quum mihi Tyndaritani illius venit in mentem, quum Segestani, tum jura simul civitatum atque officia considero. Quas urbes P. Africanus etiam ornandas esse[4] spoliis hostium arbitratus est, eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam viris nobilissimis nefario scelere privavit. En quod Tyndaritani[5] libenter prædicent: « Nos in septemdecim populis[6] Siciliæ non eramus; nos semper, in omnibus Punicis Siciliensibusque bellis, amicitiam fidemque populi romani sequuti sumus; a nobis omnia populo romano semper, et belli adjumenta, et pacis ornamenta ministrata sunt ». Multum vero[7] hæc his jura profuerunt in istius imperio ac potestate.

Vestros quondam nautas[8] contra Carthaginem Scipio duxit; at nunc naves contra prædones pæne inanes Cleomenes ducit. Vobiscum Africanus hostium spolia et præmia laudis[9] communicavit; at nunc per me spoliati, nave a prædonibus abducta, ipsi in hostium

modi. — *Tyndaritani..... Segestani.* Quos Verres securi percussit. Sed in hac orationis forma subaud. recordatio. Sic inf. cap. 55. — *Jura.* Gall. *les priviléges.* — *Atque officia.* Subaud. in nostram rempublicam, quibus officiis ista jura civitates adeptæ sunt.

4. *Ornandas esse.* Vide lib. II, cap. 1, et in sequentibus libris sæpius.

5. *En quod Tyndaritani.* Orationis forma indignationi serviens. Nota in sequentibus prosopopœiam Tyndaritanorum, quæ gravior fit comparatione dissimili animorum erga se Africani et Verris.

6. *In septemdecim populis.* Qui pro Pœnis contra Romanos bellarunt, et a Romanis postea subacti clementiam victoris experti sunt, et agris suis jure belli fisco addictis donati. Lib. III, cap. 6. — *Non eramus.* Editiones P. Stephani, Grævii, Gronovii, Verburgii habent *numeramur.* Si ita esset, quomodo Tyndaritani prædicare de se possent, atque commemorare se in omnibus bellis amicitiam fidemque populi romani sequutos fuisse. Hæc inter se pugnant, et Cicero sibi ipse obloqueretur. — *In omnibus Punicis.* Id est, in bellis omnibus quæ Romani gesserunt, vel cum ipsis Siculis, vel cum Pœnis in Sicilia, aut extra Siciliam.

7. *Multum vero.* Hoc membrum orator ex persona sua quasi per parenthesim inserit; indignatus Tyndaritanos pro suis officiis tam fœde habitos a prætore populi romani fuisse.

8. *Vestros quondam nautas.* Verba esse Verris Tyndaritanorum orationem irridentis suspicatur Hotom. Sed tum deesset quidpiam. Simplicius hæc a Cicerone dici credo.

9. *Præmia laudis.* Victoriæ. — *Ipsi*

numero locoque ducemini. Quid vero? illa Segestanorum non solum literis tradita, neque commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata et comprobata cognatio[10], quos tandem fructus hujusce necessitudinis in istius imperio tulit? Nempe hoc fuit jure, judices, ut ex sinu patris nobilissimus adolescens, et e complexu matris ereptus innocens filius, istius carnifici Sestio[11] dederetur. Cui civitati majores nostri maximos agros atque optimos concesserunt; quam immunem[12] esse voluerunt; hæc tanta apud te[13] cognationis, fidelitatis, vetustatis auctoritate, ne hoc quidem juris obtinuit, ut unius honestissimi atque innocentissimi civis mortem et sanguinem deprecaretur.

XLVIII. Quo confugient socii[1]? quem implorabunt? qua spe denique, ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Ad senatum devenient[2], qui de

in hostium numero. Id est, ultimo supplicio, quo solent hostes, afficiemini.—*Usurpata*. Id est, renovata.

10. *Cognatio*. Propter suam eamdem cum Romanis, ab Ænea ductam originem. Supra lib. IV, cap. 33. — *In istius*. Scilicet Verris. — *Hoc fuit jure*. Id est, ea conditione.

11. *Sestio*. Cicero non abhorruit de Sestio mentionem facere, ignavo Verris janitore carceris, ex infimis satellitibus prætoris; sciebat nempe clarissimus orator servos dominorum suorum indolem et ingenium induere, aliosque disci posse ab aliis. Inest enim tyrannis nativa quædam indignitas, abjectio singularis, quæ vel ipsos carnifices depravare possit. *Laharpe, Cours de Littér*. vol. III.

12. *Quam immunem esse*. Immunes et liberæ civitates dicuntur, quæ reipublicæ pensitant neque decumas, neque aliud quid. Quinque erant ejusmodi in Sicilia. Vide supra lib. III, cap. 6.

13. *Hæc tanta apud te*. Hæc civitas, quæ propter cognationis et fidei vetustatem, tanta apud te esse debuerat auctoritate, ne hoc quidem juris *apud te* obtinuit.

XLVIII. 1. *Quo confugient socii?* Lamentatio epilogis maxime accommodata, ex afflicta miseraque fortuna misericordiam captans. Hanc orationis formam attigisse videtur orator ex veterum observatione. Nam lib. III de Oratore, cap. 56, recitat ipse illud Gracchi: « Quo me miser conferam? quo vertam, etc. » Quod etiam ita videtur imitatus in peroratione pro Murena, ut majore etiam copia locum exornaverit: « Si hunc, inquit, vestris sententiis affixeritis, quo se miser vertet? » Confer etiam elegantissimum Racinii locum in Phæd. act. IV, sc. 6.

2. Alii, « venient ». J. V. L.

Verre supplicium sumat? non est usitatum, non senatorium[3]. Ad populum romanum confugient? facilis est causa[4] populi : legem enim se sociorum causa jussisse, et vos ei legi custodes ac vindices præposuisse dicet. Hic locus est igitur unus, quo perfugiant; hic portus[5], hæc arx, hæc ara sociorum : quo quidem nunc non ita confugiunt, ut antea in suis repetendis rebus solebant; non argentum, non aurum, non vestem, non mancipia repetunt; non ornamenta, quæ ex urbibus fanisque erepta sunt : metuunt[6] homines imperiti, ne jam hæc populus romanus concedat, et jam fieri velit. Patimur enim jam multos annos et si-

3. *Non senatorium*. Non pertinet ad senatores, reos nocentes punire. Audit senatus sociorum querelas; crimina vero judicibus committuntur, qui reorum causas cognoscunt. Non in curia, sed in foro, ubi judicia exercentur; neque ex senatusconsulto, sed ex populi lege. Senatorum autem officium erat ex lege XII Tabb. « causas populi tenere », id est, interprete Cicerone, de Legg. III, cap. 45, omnem nosse rempublicam, quid illa haberet militum, quid valeret ærario, quos socios haberet, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque esset lege, conditione, fœdere, etc. Ex his vides non sine causa dixisse Ciceronem supra, cap. 41 : « Multa esse huic ordini munera, multos labores ».

4. *Facilis est causa*. Id est, excusatio. Facile populus excusabit se, quominus eorum cognoscat. Vestrum enim judices, hoc munus esse dicet, quum vos legi repetundarum, quam ipse jussit, præposuerit. Populus nullis de criminibus, nisi de perduellione, judicabat. Ceterarum quæstionum, lege certa, judicia constituerat. Porro legem de repetundis totam esse sociorum causa constitutam jam docuit Divinatio, cap. 5. — *Jussisse*. Auctoritas erat in senatu, potestas in populo; hic itaque in rebus decernendis consulebatur hac formula, « velitis, jubeatis Quirites ». Hinc notæ sunt locutiones illæ veteribus familiares, quibus « jubere regem », bellum, legemve pro decernere, statuere; contra autem « vetare » populus dicebatur.

5. *Hic portus*. Apta metaphora : in portu securitas; in arce præsidium; in ara religio, ad salutem reperiuntur : quæ tria lex habet in se, et præstat hominibus, dummodo illi adjuvent, qui legibus præpositi sunt vindices et custodes.

6. *Metuunt*. Quia vident impune hæc fieri (acerbe in legum custodes, quorum negligentia magistratuum rom. rapacitatem aluit) et furandi consuetudinem jam esse pervulgatam magistratuum nostrorum, metuunt ne id lege aliqua populi romani concessum jam sit. Nec sine causa id metuunt. Sciunt enim nos pati jam multos annos tales fures, et prædones provinciarum, « et silere, quum, etc. »

numero locoque ducemini. Quid vero? illa Segestanorum non solum literis tradita, neque commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata et comprobata cognatio[10], quos tandem fructus hujusce necessitudinis in istius imperio tulit? Nempe hoc fuit jure, judices, ut ex sinu patris nobilissimus adolescens, et e complexu matris ereptus innocens filius, istius carnifici Sestio[11] dederetur. Cui civitati majores nostri maximos agros atque optimos concesserunt; quam immunem[12] esse voluerunt; hæc tanta apud te[13] cognationis, fidelitatis, vetustatis auctoritate, ne hoc quidem juris obtinuit, ut unius honestissimi atque innocentissimi civis mortem et sanguinem deprecaretur.

XLVIII. Quo confugient socii[1]? quem implorabunt? qua spe denique, ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Ad senatum devenient[2], qui de

in hostium numero. Id est, ultimo supplicio, quo solent hostes, afficiemini.—*Usurpata.* Id est, renovata.

10. *Cognatio.* Propter suam eamdem cum Romanis, ab Ænea ductam originem. Supra lib. IV, cap. 33. — *In istius.* Scilicet Verris. — *Hoc fuit jure.* Id est, ea conditione.

11. *Sestio.* Cicero non abhorruit de Sestio mentionem facere, ignavo Verris jànitore carceris, ex infimis satellitibus prætoris; sciebat nempe clarissimus orator servos dominorum suorum indolem et ingenium induere, aliosque disci posse ab aliis. Inest enim tyrannis nativa quædam indignitas, abjectio singularis, quæ vel ipsos carnifices depravare possit. *Laharpe, Cours de Littér.* vol. III.

12. *Quam immunem esse.* Immunes et liberæ civitates dicuntur, quæ reipublicæ pensitant neque decumas, neque aliud quid. Quinque erant ejusmodi in Sicilia. Vide supra lib. III, cap. 6.

13. *Hæc tanta apud te.* Hæc civitas, quæ propter cognationis et fidei vetustatem, tanta apud te esse debuerat auctoritate, ne hoc quidem juris *apud te* obtinuit.

XLVIII. 1. *Quo confugient socii?* Lamentatio epilogis maxime accommodata, ex afflicta miseraque fortuna misericordiam captans. Hanc orationis formam attigisse videtur orator ex veterum observatione. Nam lib. III de Oratore, cap. 56, recitat ipse illud Gracchi : « Quo me miser conferam? quo vertam, etc. » Quod etiam ita videtur imitatus in peroratione pro Murena, ut majore etiam copia locum exornaverit : « Si hunc, inquit, vestris sententiis affixeritis, quo se miser vertet? » Confer etiam elegantissimum Racinii locum in Phæd. act. IV, sc. 6.

2. Alii, « venient ». J. V. L.

Verre supplicium sumat? non est usitatum, non senatorium[3]. Ad populum romanum confugient? facilis est causa[4] populi : legem enim se sociorum causa jussisse, et vos ei legi custodes ac vindices præposuisse dicet. Hic locus est igitur unus, quo perfugiant; hic portus[5], hæc arx, hæc ara sociorum : quo quidem nunc non ita confugiunt, ut antea in suis repetendis rebus solebant; non argentum, non aurum, non vestem, non mancipia repetunt; non ornamenta, quæ ex urbibus fanisque erepta sunt : metuunt[6] homines imperiti, ne jam hæc populus romanus concedat, et jam fieri velit. Patimur enim jam multos annos et si-

3. *Non senatorium.* Non pertinet ad senatores, reos nocentes punire. Audit senatus sociorum querelas; crimina vero judicibus committuntur, qui reorum causas cognoscunt. Non in curia, sed in foro, ubi judicia exercentur; neque ex senatusconsulto, sed ex populi lege. Senatorum autem officium erat ex lege XII Tabb. « caussas populi tenere », id est, interprete Cicerone, de Legg. III, cap. 45, omnem nosse rempublicam, quid illa haberet militum, quid valeret ærario, quos socios haberet, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque esset lege, conditione, fœdere, etc. Ex his vides non sine causa dixisse Ciceronem supra, cap. 41 : « Multa esse huic ordini munera, multos labores ».

4. *Facilis est causa.* Id est, excusatio. Facile populus excusabit se, quominus eorum cognoscat. Vestrum enim judices, hoc munus esse dicet, quum vos legi repetundarum, quam ipse jussit, præposuerit. Populus nullis de criminibus, nisi de perduellione, judicabat. Ceterarum quæstionum, lege certa, judicia constituerat. Porro legem de repetundis totam esse sociorum causa constitutam jam docuit Divinatio, cap. 5. — *Jussisse.* Auctoritas erat in senatu, potestas in populo; hic itaque in rebus decernendis consulebatur hac formula, « velitis, jubeatis Quirites ». Hinc notæ sunt locutiones illæ veteribus familiares, quibus « jubere regem », bellum, legemve pro decernere, statuere; contra autem « vetare » populus dicebatur.

5. *Hic portus.* Apta metaphora : in portu securitas; in arce præsidium; in ara religio, ad salutem reperiuntur : quæ tria lex habet in se, et præstat hominibus, dummodo illi adjuvent, qui legibus præpositi sunt vindices et custodes.

6. *Metuunt.* Quia vident impune hæc fieri (acerbe in legum custodes, quorum negligentia magistratuum rom. rapacitatem aluit) et furandi consuetudinem jam esse pervulgatam magistratuum nostrorum, metuunt ne id lege aliqua populi romani concessum jam sit. Nec sine causa id metuunt. Sciunt enim nos pati jam multos annos tales fures, et prædones provinciarum, « et silere, quum, etc. »

lemus, quum videamus, ad paucos homines omnes omnium nationum pecunias pervenisse: quod eo magis ferre æquo animo atque concedere videmur, quia nemo istorum[7] dissimulat; nemo laborat, ut obscura sua cupiditas esse videatur. In urbe nostra pulcherrima atque ornatissima quod signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus victis capta atque apportata sit? At istorum villæ, sociorum fidelissimorum et plurimis, et pulcherrimis spoliis ornatæ refertæque sunt. Ubi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quibus nunc omnes egent, quum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totam denique Asiam, Achaiam, Græciam, Siciliam, jam in paucis villis inclusas esse videatis? Sed hæc, ut dico, omnia jam socii vestri relinquunt et negligunt, judices. Ne publice a populo romano spoliarentur[8], officiis ac fide providerunt: paucorum cupiditati tum, quum obsistere non poterant, tamen sufficere aliquo modo poterant. Nunc vero jam adempta est non modo resistendi, verum etiam suppeditandi facultas. Itaque res suas negligunt; pecunias, quo nomine judicium hoc appellatur, non repetunt; relinquunt et negligunt. Hoc[9] jam ornatu ad vos confugiunt: adspicite, adspicite, judices, squalorem sordesque sociorum.

XLIX. Sthenius hic[1] Thermitanus cum hoc capillo

7. *Nemo istorum.* Qui cum imperio, aut potestate in provincias mittuntur. — *Ut obscura sua cupiditas.* Ita sine ulla non modo religione, verum etiam dissimulatione in omni genere furandi ac prædandi versantur.

8. *Spoliarentur.* Olim pro hostibus habiti. — *Sufficere...poterant.* Integris adhuc suis opibus ab avaritia nostrorum magistratuum. — *Aliquo modo.* Nam quantæcumque erant opes eorum integræ, major erat adhuc nostrorum cupiditas.

9. *Hoc jam*, etc. Gestum intendit, hæc dicens, in Siculos qui judicio aderant. Mos enim in epilogis, vel movendæ misericordiæ, vel indignationis excitandæ causa, reos producere sordidatos, qui supplices ad judicum pedes se abjicerent.

XLIX. 1. *Sthenius hic.* De eo fuse narratur lib. II, cap. 34. — *Sese ipsum.*

atque veste, domo sua tota expilata, mentionem tuorum furtorum non facit; sese ipsum abs te repetit, nihil amplius : totum enim tua libidine et scelere ex sua patria (in qua multis virtutibus et beneficiis floruit [2] princeps) sustulisti. Dexio hic, quem videtis, non quæ publice Tyndari, non quæ privatim sibi eripuisti, sed unicum miser abs te filium optimum atque innocentissimum flagitat; non ex litibus [3] æstimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. Hic tam grandis natu Eubulida [4] hoc tantum, exacta ætate, laboris itinerisque suscepit, non ut aliquid ex suis bonis recuperaret, sed ut, quibus oculis cruentas cervices filii sui viderat, iisdem te condemnatum videret.

Si per L. Metellum [5] licitum esset, judices, matres illorum, uxores, sororesque veniebant : quarum una, quum ego ad Heracliam noctu accederem, cum omnibus matronis ejus civitatis, et cum multis facibus mihi obviam venit, et ita, me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans, mihi ad pedes misera jacuit, quasi ego excitare filium ejus ab inferis possem. Faciebant hoc idem

Petit a te ut sese ipsum sibi, id est, patriæ suæ restituas, e qua illum bonis a te spoliatum, ejecisti tua injustitia. — *Tua libidine.* Hoc dicit propter Callidamam Agathini filiam, Dorothei uxorem. Lib. II, cap. 36. — *Scelere.* Ibidem cap. 38. — *Beneficiis.* In suos cives collatis.

2. *Floruit.* Olim legebatur *fuit*, multo minus exquisitum ac elegans.

3. *Non ex litibus*, etc. Non petit ut sibi damna, quæ per te in re sua familiari passus est, ex tuis bonis restituantur lege de repetundis; sed ex tua damnatione, illud ferre cupit ut possit aliquot filii manibus solatia tribuere.

4. *Eubulida.* Supra cap. 42. — *Tantum laboris.* Tam longum iter, tam laboriosum huc ex Sicilia. — *Sed ut, quibus oculis.* In hanc sententiam vere ethnicam dixit P. Syrus, « læso doloris remedium inimici dolor ».

5. *Si per L. Metellum.* Is in Sicilia Verri successit, et testes inde Romam contra Verrem venire prohibuit. — *Veniebant.* Jamjam certo venturæ erant.

in ceteris civitatibus grandes natu matres, et item parvuli liberi miserorum [6] : quorum utrorumque ætas laborem et industriam meam, fidem et misericordiam vestram requirebat.

Itaque ad me, judices, præter ceteras [7] hanc querimoniam Sicilia detulit. Lacrymis ego ad hoc, non gloria inductus accessi : ne falsa damnatio, ne carcer, ne catenæ, ne verbera, ne secures, ne cruciatus sociorum, ne sanguis innocentium, ne denique etiam exsanguium corpora mortuorum, ne mœror parentum ac propinquorum, magistratibus nostris quæstui posset esse. Hunc ego si metum Siciliæ, damnatione istius, per vestram fidem et severitatem dejecero, judices, satis officio meo, satis illorum voluntati, qui a me hoc petiverunt, factum esse arbitrabor.

L. Quapropter [1] si quem forte inveneris, qui hoc navale crimen conetur defendere, is ita defendat: illa communia [2], quæ ad causam nihil pertinent, prætermittat; me culpam fortunæ assignare, calamitatem crimini dare; me amissionem classis objicere, quum multi viri fortes in communi [3] incertoque periculo

6. *Liberi miserorum.* Subaud. navarchorum quos tu interfici jusseras. — *Laborem.* In conquirendis Verris criminibus. —*Industriam.* In iis apud vos exponendis.

7. *Præter ceteras.* Nempe de libidinibus, de avaritia, etc. — *Hanc querimoniam.* De Verris crudelitate et de suppliciis ab eo in miseros illos et innocentes navarchos constitutis. — *Lacrymis.* Subaud. Siculorum. — *Ad hoc.* Ad hanc causam de crudelitate tractandam. — *Non gloria.* Id est, gloriæ studio. — *Ne falsa damnatio.* Notanda brevis et vivida repetitio. — *Exsanguium.* Voce ista non eget sensus, sed magnam vim affert orationi. — *Corpora mortuorum.* Quorum ad sepulturam merces extorquebatur.

L. 1. *Quapropter.* Occurrit defensioni quam ex omni parte ademit. — *Si quem forte.* Acerba dubitatio. Crimen Verris de classe amissa ita manifestis probatum est argumentis, ut nemo fortasse, ne ipse quidem Hortensius, jam ausurus sit illud defendere.

2. *Illa communia.* Id est, quæ causis omnibus commodari possunt. — — *Me culpam.* Quæ fortunæ est, Verri assignare.

3. *In communi.* Sic pro Milone :

belli, et terra, et mari sæpe offenderint. Nullam tibi objicio fortunam : nihil est, quod ceterorum res minus commode gestas proferas; nihil est, quod multorum naufragia fortunæ colligas. Ego naves inanes fuisse dico : remiges nautasque dimissos; reliquos stirpibus vixisse palmarum; præfuisse classi populi romani Siculum, perpetuo sociis[4] atque amicis, Syracusanum; te illo tempore ipso, superioribusque diebus omnibus, in litore cum mulierculis perpotasse dico : harum rerum omnium auctores testesque produco.

Num tibi insultare in calamitate, num intercludere perfugium fortunæ, num casus bellicos exprobrare aut objicere videor? tametsi[5] solent hi fortunam sibi objici nolle, qui se fortunæ commiserunt, qui in ejus periculis sunt ac varietate versati. Istius quidem calamitatis tuæ fortuna particeps non fuit. Homines enim in præliis, non in conviviis, belli fortunam tentare, ac periclitari solent : in illa autem calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem possumus dicere. Quod si fortunam objici tibi non oportet, cur tu fortunæ illorum innocentium[6] veniam ac locum non dedisti?

« adde casus, adde incertos exitus pugnarum, mortemque communem. » — *Offenderint.* Impegerint, cladem acceperint.

4. *Perpetuo sociis.* Qui perpetuo socii fuerunt, scilicet Centuripini, Segestani. Vetus liber, « præfectum sociis ». — *Syracusanum.* Id est, ex urbe quæ semper hostis fuit Romanis. Supra cap. 32. — *Te illo tempore.* Interea dum classi præerat Cleomenes. — *Superioribusque diebus.* Sexaginta æstivis. Supra cap. 31.

5. *Tametsi.* Sensus est: Non objicio tibi fortunam; tametsi velle deberes ut objicerem, nempe te illi commisisse videreris. Nam qui sunt ii qui sibi fortunam objici nolunt? ii sane qui se fortunæ commiserunt. Sed tu non ei te commisisti; amissæ classis culpa minime debet fortunæ assignari; istius calamitatis, quæ tota ex te est, fortuna particeps non fuit; homines enim, etc.

6. *Illorum innocentium.* Cur navarchos, qui se in fugam contulerunt,

Etiam illud præcidas licet, te, quod supplicium more majorum sumpseris, securique percusseris, idcirco a me in crimen et invidiam vocari. Non in supplicio[7] crimen meum vertitur; non ego securi nego quemquam feriri debere; non ego metum ex re militari, non severitatem imperii, non pœnam flagitii tolli dico oportere: fateor non modo in socios, sed etiam in cives militesque nostros, persæpe esse severe ac vehementer vindicatum. Quare hæc quoque prætermittas licet.

LI. Ego culpam non in navarchis, sed in te fuisse demonstro; te pretio milites remigesque dimisisse arguo: hoc navarchi reliqui dicunt; hoc Netinorum fœderata civitas publice dicit; hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennenses, hoc Agyrinenses, Tyndaritani publice[1] dicunt; tuus denique testis, tuus imperator, tuus hospes Cleomenes hoc dicit, sese in terram esse egressum, uti Pachyno, e terrestri præsidio, milites colligeret, quos in navibus collocaret: quod certe non fecisset, si suum numerum naves haberent: ea est enim ratio instructarum ornatarumque navium, ut non modo plures, sed ne singuli[2] quidem possint accedere. Dico præterea, illos ipsos reliquos[3] nautas fame, atque inopia rerum omnium

quasi classis proditores securi percuti jussisti? Ea fortunæ defensio, quam pro te valere vis apud judices, pro illorum salute etiam apud te valere debuit.

7. *Non in supplicio.* Non ego te accuso, quasi contra leges feceris, quod aliquem securi percusseris. — *Non ego securi.* Ubi ergo lex Porcia, quæ secures a civium cervicibus removebat? Porcia lex et Sempronia, cives quidem in Urbe, at non milites in castris, a virgis et securibus vindicabant. Testis hic locus; testis Seneca de Ira, lib. I, cap. 16, et alii.

LI. 1. *Publice.* Id est, per legatos suos missos auctoritate publica. — *Terrestri præsidio.* Supra cap. 34.

2. *Sed ne singuli.* Ne unus quidem ultra hunc numerum qui in illis navibus est.

3. *Reliquos.* Qui, ceteris dimissis, remanserunt in navibus. — *Aut omnes.* Aut nulli culpam fugæ assignari

confectos fuisse, ac perditos. Dico, aut omnes extra culpam fuisse; aut, si uni attribuenda culpa sit, in eo maximam fuisse, qui optimam navem, plurimos nautas haberet, summum imperium obtineret; aut, si omnes in culpa fuerint, non oportuisse Cleomenem constitui spectatorem illorum mortis atque cruciatus. Dico etiam, in illo supplicio mercedem lacrymarum, mercedem vulneris atque plagæ, mercedem funeris ac sepulturæ constitui nefas fuisse.

Quapropter si mihi respondere voles, hæc dicito: classem instructam atque ornatam fuisse, nullum propugnatorem abfuisse, nullum vacuum transtrum fuisse, remigi rem frumentariam esse suppeditatam, mentiri navarchos, mentiri tot et tam graves civitates, mentiri etiam Siciliam totam; proditum te esse a Cleomene, qui se dixerit exisse in terram, ut Pachyno deduceret milites; animum illis, non copias defuisse; Cleomenem acerrime pugnantem ab his relictum esse atque desertum; nummum ob sepulturam datum nemini: quæ si dices, tenebere[4]; sin alia dices, quæ a me dicta sunt, non refutabis.

LII. Hic tu etiam[1] dicere audebis: « Est in judicibus ille familiaris meus, est paternus amicus ille? » Non, ut quisque maxime est, quicum tibi aliquid sit[2], ita tui hujuscemodi criminis maxime eum pudet?

debere. — *In eo maximam.* Cleomenem significat. — *Optimam navem.* Quadriremem Centuripinam. Supra cap. 32. — *Spectatorem illorum mortis.* Supra cap. 41. Adde: sed ipsum ante alios supplicio afficiendum fuisse. — *Mercedem lacrymarum.* Supra cap. 45. — *Vulneris atque plagæ.* Id est, ut uno ictu securis mors afferretur.

4. *Tenebere.* Tam multorum testimoniis tu ipse mendacii convinceris.

LII. 1. *Hic tu etiam.* Modus admirationis, non sine reprehensione quadam, ut supra: « Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinæ laudationis ». Hic tu, id est, tot criminibus tam atrocibus tam palam convictus.

2. *Quicum tibi aliquid sit.* Non negotii, sed consuetudinis et amicitiæ. Hoc dicit orator: scelerum Verris pu-

Paternus amicus[3] est! Ipse pater si judicaret, per deos immortales! quid facere posset, quum tibi hæc diceret? « Tu in provincia[4] populi romani prætor, quum tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis, ex fœdere quam deberent navem, per triennium remisisti[5]; tibi apud eosdem privata navis oneraria maxima publice est ædificata. Tu a civitatibus pecunias classis nomine[6] coegisti; tu pretio remiges dimisisti. Tu, quum navis esset a quæstore et ab legato capta prædonum, archipiratam ab omnium oculis removisti; tu, qui cives romani esse dicerentur, qui a multis cognoscerentur, securi ferire potuisti; tu tuam domum piratas abducere, in judicium archipiratam domo producere ausus es! Tu in provincia tam splendida, apud socios fidelissimos, cives romanos honestissimos, in metu periculoque provinciæ, dies continuos complures[7] in litore conviviisque jacuisti; te per eos dies nemo domi tuæ convenire, nemo in foro videre potuit; tu sociorum atque amicorum ad ea convivia matresfamilias adhibuisti; tu inter ejusmodi mulieres prætextatum tuum filium, nepotem meum, collocavisti, ut ætati maxime lubricæ[8], atque incertæ, exempla nequitiæ parentis

det omnes, ita, ut quemque tanto magis pudeat, quanto is Verri sit conjunctior.

3. *Paternus amicus est.* Verris verborum repetitio cum indignatione.

4. *Tu in provincia.* Elegans prosopopœia, qua rursum omnia Verris flagitia colligit orator, ut adversarii criminibus inculcatis, jam inflammatus amplificatione præmissa judex concitetur ad fortiter judicandum.

5. *Remisisti.* Vide sup. cap. 17. — *Privata navis.* Tibi et ad tuos usus privatos. Ibidem. — *Publice.* Id est, sumptu publico civitatis.

6. *Classis nomine.* Supra cap. 23 et 24. — *A quæstore.* Q. Tadio. — *Legato.* P. Cæsetio. — *Potuisti.* Sustinuisti; ea fuisti feritate.

7. *Dies..... complures.* Sexaginta. Cap. 31. — *Jacuisti.* Notabis vim et efficaciam hujus verbi.

8. *Lubricæ.* Minime stabili; quæ paullo momento impellitur; sua sponte, propter inopiam consilii, in vitium flectitur.

vita præberet; tu prætor in provincia cum tunica pallioque purpureo visus es; tu propter amorem, libidinemque tuam, imperium navium legato[9] populi romani ademisti, Syracusano tradidisti; tui milites in provincia Sicilia[10] frugibus frumentoque caruere; tua luxuria[11] atque avaritia classis populi romani a prædonibus capta et incensa est. Post Syracusas conditas, quem in portum numquam hostis accesserat, in eo, te prætore, primum piratæ navigaverunt. Neque hæc tot tantaque dedecora dissimulatione tua, neque oblivione hominum ac taciturnitate tegere voluisti; sed etiam navium præfectos, sine ulla causa, de complexu parentum suorum, hospitum tuorum, ad mortem cruciatumque rapuisti; neque in parentum luctu atque lacrymis, te mei nominis[12] commemoratio mitigavit: tibi hominum innocentium sanguis non modo voluptati, sed etiam quæstui fuit». Hæc si tibi tuus parens diceret, posses ab eo veniam petere? posses, ut tibi ignosceret, postulare?

LIII. Satis est[1] factum Siculis, satis officio ac necessitudini, judices, satis promisso muneri ac recepto.

9. *Legato pop. rom.* Hujus loci testimonio, legatum potius quam quæstorem, præesse classi debuisse cognoscitur, quum tamen quæstorem simul cum legato præfuisse, supra demonstratum sit.

10. *In Sicilia.* Emphasis, quasi dicas, in eo loco ubi primum fruges inventæ esse dicuntur (cap. 38), *in Sicilia* quæ populo romano, totique Italiæ frumentum suppeditat. Ibid.

11. *Tua luxuria.* Qui, neglecta classe, convivia cum mulierculis faciebas. — *Tua avaritia.* Qui pretio nautas et milites dimisisti. — *Incensa est.* Cap. 34. — *Navigaverunt.* Cap. 37.

12. *Mei nominis.* Quod miseri parentes usurpabant, ut te hac commemoratione commoverent. — *Quæstui fuit.* Cap. 45.

LIII. 1. *Satis est.* Hactenus fuit refutatio de re bellica. Nunc sequitur narratio, quam pollicitus est orator, supra cap. 28, de suppliciis quibus cives romanos Verres affecit. Jam peracta Siculorum causa est; ad eam partem transit orator, cui atrocissimum Verris scelus seposuit. Postquam tam graviter ea juvenum Siculorum nece affectus est animus, vix credi potest oratori superesse verba quibus novum dolorem enuntiet. Verum et ipse elo-

Reliqua est ea causa, judices, quæ non jam[2] recepta, sed innata; neque delata ad me, sed in animo sensuque meo penitus affixa atque insita est: quæ non ad sociorum salutem, sed ad civium romanorum, hoc est, ad uniuscujusque[3] nostrum vitam et sanguinem pertinet. In qua[4] nolite a me, quasi dubium sit aliquid, argumenta, judices, exspectare: omnia, quæ dicam de supplicio civium romanorum, sic erunt clara et illustria, ut ad ea probanda totam Siciliam testem adhibere possim. Furor enim[5] quidam, sceleris et audaciæ comes, istius effrenatum animum importunamque naturam tanta oppressit amentia, ut numquam dubitaret in conventu palam supplicia[6], quæ in convictos maleficii servos constituta sunt, ea

quentia eo altius assurgere videtur, quo longius Verres in scelera grassatur. Quanta autem indignatione illud esset prosequendum facinus, manifeste intelligitur, si memoria repetitur quanto cultu romani civis nomen universus fere orbis veneraretur. Sacer erat et inviolatus titulus, quem non impune quisquam violavisset; ita ut sæpius longinqua bella susceperit respublica, ut illatam romano civi injuriam ulcisceretur.

2. *Quæ non jam recepta.* Similem habes figuram orationis pro Milone, cap. 3. Paullo etiam splendidiorem ac pleniorem: « est enim hæc, judices, non scripta, sed nata lex ». — *Neque delata* per Siculos, quum ceteras suas ad me querelas detulerunt.

3. *Ad uniuscujusque.* Nam, ut ait Horatius, « nostra res agitur, quum proximus ardet »! Si Verri impune sit quod cives romanos occiderit, nullius vita deinceps tuta esse poterit. Hic locus est ab honesto; in cujus querimonia sustinenda, si se non modo vires, verum etiam vita deficiat, id sibi præclarum et jucundum fore jam dixit. Supra cap. 28.

4. *In qua.* Per præteritionem præparat materiam narrationi.

5. *Furor enim.* Propositio narrationis, a causis efficientibus Verris audaciæ. — *Sceleris et audaciæ comes.* Ut in Oreste et Alcmæone matricidis. Inde illa in oratione pro Amerino, cap. 24: « Nolite putare... sua quemque fraus, et suus terror maxime vexat ». — *Importunus* proprie locus est portu carens, atque ideo navibus et navigantibus infestus. Hinc translate sumitur pro effero, inhumano.

6. *Supplicia.* Nempe virgæ et cruces eæ in foro apud triumviros capitales ad columnam Mæniam in istos expromebantur, dum interea præco alta voce maleficium, quod virgis coerceretur, significabat. Hinc Horat. Epod. IV, de Mena: « Sectus flagellis hic triumviralibus Præconis ad fasti-

in cives romanos expromere. Virgis quam[7] multos ceciderit, quid ego commemorem? Tantum brevissime dico, judices: nullum fuit omnino, isto prætore, in hoc genere discrimen. Itaque jam consuetudine ad corpora civium romanorum, etiam sine istius nutu, ferebatur manus ipsa lictoris.

LIV. Num potes hoc negare, Verres, in foro Lilybæi, maximo conventu, C. Servilium, civem romanum, in conventu Panormitano veterem negotiatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram virgis et verberibus abjectum? Aude hoc primum negare, si potes. Nemo Lilybæi fuit, quin viderit; nemo in Sicilia, quin audierit. Plagis confectum dico a lictoribus tuis civem romanum ante oculos tuos concidisse. Ob quam causam[1]? dii immortales! tametsi injuriam facio communi causæ[2], et juri civitatis: quasi enim possit esse ulla causa, cur hoc cuiquam civi romano jure accidat, ita quæro, quæ in Servilio causa fuerit. Ignoscite in hoc uno, judices; in ceteris enim non magnopere causas requiram. Loquutus erat liberius de istius improbitate atque nequitia. Quod isti simul ac renuntiatum est, hominem jubet Lilybæum vadimonium Venerio servo[3] promittere: promittit. Lily-

dium ». Triumviri capitales iidem et treviri dicebantur. Inde notus jocus Ciceronis in epistola quadam ad Trebatium.

7. *Virgis quam multos*. Narrationis prima pars. — *Discrimen*. Subaudi inter servos et cives romanos. — *Jam consuetudine*. Hyperbole, qua suppliciorum istius crebritas mire ostenditur.

LIV. 1. Cod. reg. « ad quam ob causam? » Inde Græv. post Lambin. restitui voluit, « at quam ob causam? » Concinnius. J.V.L.

2. *Communi causæ*. Nullum enim, præter perduellionem crimen est, propter quod virgis cædi civis romanus, aut neci dari possit. Hoc jus est civitatis, Porcia lege et Sempronia constitutum. Infra cap. 62.

3. *Venerio servo*. Vide supra lib. III, cap. 62. Eorum opera in ejusmodi negotiis vulgo Verres utebatur. — *Vadimonium promittere*. Vide Excursum de judiciis privatis ad calcem primi voluminis, Orat. part. secund. pag. 570 edit. nost.

bæum venitur. Cogere eum cœpit, quum ageret nemo [4], nemo postularet, H-S duobus millibus [5] sponsionem facere cum lictore suo, « ni furtis quæstum faceret » [6]. Recuperatores de cohorte sua dicit daturum. Servilius et recusare, et deprecari, ne iniquis judicibus, nullo adversario, judicium capitis in se constitueretur. Hæc quum maxime loqueretur, sex lictores eum circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi; cædunt acerrime virgis; denique proximus lictor [7] (de quo sæpe jam dixi) Sestius, converso bacillo [8], oculos misero tundere vehementissime cœpit. Itaque illi quum sanguis os oculosque complesset, concidit; quum illi nihilo minus jacenti latera tunderentur, ut aliquando spondere se diceret. Sic ille affectus, illinc

4. *Quum ageret nemo*. Contra Servilium; quum nemo Servilii esset adversarius.

5. *H-S duobus millibus*. Gallice, 210 fr.

6. *Ni furtis*. Præcisa locutio, pro, « ni dixisset Verrem furtis quæstum facere ». Porro sensus est: Servilio crimen hoc Verres affingebat, quasi dixisset ille, « Verrem furtis suis ditescere ». Id a se dictum fuisse negabat Servilius; nemo eum accusabat. Tamen apponit Servilio adversarium prætor lictorem suum quocum sponsionem facere cogitur Servilius in hanc formulam: Spondeo, aiebat lictor, me duo sestertium millia daturum, ni planum fecero dictum a Servilio fuisse « Verrem furtis quæstum facere ». Qua sponsione provocatus Servilius restipulari cogebatur iis verbis: Spondeo itidem me duo millia sestertium daturum, si plane fecerit adversarius a me dictum fuisse « Verrem furtis quæstum facere ». Ejusmodi sponsionum erat hic exitus: si judicatum esset id, verbi gratia, a Servilio dictum fuisse, duo sestertium millia quibus sponsionem fecerat, Servilius primo amittere debebat; deinde pati sententiam judicis. De recuperatoribus diximus ad Divinationem, cap. 17. Gall. *des commissaires*. De cohorte Verris lib. III, cap. 28.

7. *Proximus lictor*. Prætori in provincia sex lictores præferebant fasces cum securibus, eumque ambulantem antecedebant, servato cooptationis ordine. Itaque qui plus annorum in eo munere obeundo contriverat, præcedentibus collegis ibat ultimus, atque idcirco prætori proximus; quo nomine, seu titulo etiam a suis distinguebatur. Gall. *le premier licteur*. Meminit Val. Max. II, 2, 4, tom. I, pag. 107 edit. nost.

8. *Converso bacillo*. Convertere bacillum, seu virgam, est illam minima parte manu tenere, ut alia firmiori parte percutiatur.

tum pro mortuo sublatus, brevi postea est mortuus: iste autem homo Venerius[9], et affluens omni lepore et venustate, de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem posuit. Sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna vota cupiditatum suarum.

LV. Nam quid ego[1] de ceteris civium romanorum suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquar? Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis [quæ lautumiæ[2] vocantur], in istius imperio domicilium[3] civium romanorum fuit: ut quisque istius animum aut oculos offenderat, in lautumias statim conjiciebatur. Indignum hoc video videri omnibus[4], judices; et id jam priore actione, quum hæc testes dicerent, intellexi. Retineri[5] enim putatis oportere jura libertatis non modo hic, ubi tribuni plebis sunt, ubi ceteri magistratus, ubi plenum forum judiciorum, ubi senatus auctoritas, ubi existimatio populi romani et frequentia; sed, ubicumque terrarum et gentium violatum jus civium romanorum sit, statuitis id pertinere ad communem causam libertatis et dignitatis.

9. *Homo Venerius*. Qui Venerem præcipue coleret; sic etiam Verrem appellat per irrisionem. Vid. lib. II, c. 9.

LV. 1. *Nam quid ego*, pro, quidnam ego. Narrationis secunda pars.

2. *Lautumiæ*. Vide supra cap. 27. — *Dionysio*. Dionysii, Siciliæ tyranni, duo fuerunt: is qui hic memoratur, primus est. De eo vide Val. Max. lib. IX, cap. 13, 4, tom. II, pag. 197 editionis nostræ. Natus Syracusis ex plebeio et humili genere, regnum primo Syracusarum, universæ deinde Siciliæ adeptus est. Polyb. lib. XV, cap. 33; Plin. lib. VI, cap. 53; Rollin. Hist. Antiq. tom. V.

3. *Domicilium*. Quum in eo carcere et ita diu, et ita multi essent cives romani, ut ibi prorsus habitare viderentur. Sed hic emphasis est in verbo *domicilium*.

4. *Omnibus*. Pronomen, *vobis*, aut reponendum, aut subintelligendum est.

5. *Retineri*. Conservari. — *Non modo hic*, id est, Romæ, ubi tribuni plebis sunt, qui civium jura libertatemque defendant, ad quorum tutelam creati sunt anno Urbis 260, Liv. lib. II, cap. 33, quum jam, capta et oppressa plebs, patrum superbiam diutius ferre non posset. — *Plenum*...

In externorum hominum, et maleficorum sceleratorumque, in prædonum hostiumque custodias tu tantum numerum civium romanorum includere ausus es? numquamne tibi judicii, numquam concionis[6], numquam hujus tantæ frequentiæ[7], quæ nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur, venit in mentem? numquam tibi populi romani absentis dignitas, numquam species ipsa hujuscemodi multitudinis, in oculis animoque versata est? numquam te in horum conspectum[8] rediturum, numquam in forum populi romani venturum, numquam sub legum et judiciorum potestatem casurum esse putasti?

LVI. At quæ erat ista libido crudelitatis exercendæ? quæ tot scelerum suscipiendorum causa? nulla, judices, præter prædandi[1] novam singularemque rationem. Nam ut illi[2], quos a poetis accepimus, sinus quosdam obsedisse maritimos, aut aliqua promontoria, aut prærupta saxa tenuisse dicuntur, ut eos,

judiciorum, id est, tribunalium ad quæ judicia exercentur assidue. Nam singulæ quæstiones de sicariis, de falsis, de repetundis, etc. ut suum quæque habebant *prætorem*, seu *præsidem*, huic vel illi quæstioni exercendæ sorte destinatum, sic et suum quæque in foro habebant tribunal. — *Ubi existimatio*. Ubi quivis a violanda libertate, non solum tribunorum plebis potestate, legum metu, senatus auctoritate, sed etiam conservandæ apud frequentem populum romanum existimationis suæ studio, prohibetur.

6. *Concionis*. Cœtus populi, ad quem tribuni de civitatis et libertatis jure abs te violato quererentur, et populum rogarent ut centuriatis comitiis perduellionis tibi litem intenderet.

7. *Hujus . . . frequentiæ*. Quæ consessus coronat judicum. — *Absentis*, quem non videbas præsentem, quum tu Siciliam vexares.

8. *In horum conspectum*. Hæc dicens; gestu indicat populum, qui ad judicium, audiendi studio, convenerat.

LVI. 1. *Præter prædandi*. Nam romani cives illi mercatores erant, quibus in carcerem conjectis, merces eorum in prætoriam domum deferebantur.

2. *Nam ut illi*. Intelligit Læstrygones, qui Capuæ portum obsidebant. De quibus Homerus, Odyss. lib. X. Non auget mediocriter invidiam illa Verris cum feris illis piratis, quos poetæ finxerunt, cum Dionysio, Phalaride, etc. comparatio. Verbum *interficere*, quod est in omnibus libris, hic ineptum Lambino videtur; mallet *intercipere*. Nos nihil mutare ausi sumus.

qui essent appulsi navigiis, interficere possent; sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. Quæcumque navis ex Asia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ[3] Alexandria venerat, statim certis indicibus[4] et custodibus tenebatur; vectores omnes[5] in lautumias conjiciebantur; onera atque merces in prætoriam domum deferebantur. Versabatur in Sicilia longo intervallo[6] non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos et crudeles tyrannos), sed quoddam novum monstrum ex vetere[7] illa immanitate, quæ in iisdem locis versata esse dicitur. Non enim[8] Charybdim tam infestam, neque Scyllam nautis, quam istum in eodem freto fuisse arbitror: hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus[9] et majoribus canibus succinxe-

3. *Quæ ex Syria, quæ... quæ.* Libri duo hic manuscripti nusquam habent *quæ*.

4. *Certis indicibus.* Statim capiebatur indicio illorum hominum, quorum oculos nihil fugiebat, et quos Verres in præruptis saxis collocarat, ut venientem quamcumque navem diligenter custodirent, seu observarent.

5. *Vectores omnes.* Tam eum qui vehit, quam illum qui vehitur, *vectorem* appellari notum est.

6. *Longo intervallo.* Subaud. post eos tyrannos qui jam nominandi sunt.

7. *Ex vetere.* Ex monstris immanibus illis, Dionysio et Phalaride antiquioribus, Scylla et Charybdi conflatum, quæ monstra veteres olim poetæ finxerunt, in iisdem locis fuisse versata.

8. *Non enim Charybdim tam infestam*, etc. Correctio, quamquam quid dico? Parva sunt etiam ista, si cum istius immanitate comparentur. — *Charybdim* describit Cluver. in Siciliæ Antiq. pag. 64. De Scylla loquitur pag. 61.

9. *Multo se pluribus.* Virgilius, Æneid. lib. III, vers. 420. Revera autem Scylla saxum est; eminus humanam figuram, sed fluctuum collisione latratus canum, luporumque ululatus referens. Porro Verres suos et ipse habebat *canes*, qui tribunal ejus lambebant, multo plures quam Scylla ipsa. Hic observabis quam apte tum a veteri rerum memoria, tum a fabulis ipsis exempla repetat orator, quibus exaggeratur improbitas adversarii. Itaque lib. I de Oratore, c. 52, ubi declarat quam multarum rerum scientiam necesse sit ut comprehendat orator futurus, hæc præcipit : « Legendi sunt poetæ, cognoscenda historia ». Nam, ut ipse ait Partit. cap. 13, « fabula nonnumquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commovet. Sed cavendum ne abutaris ».

rat. Cyclops alter, multo importunior: hic enim totam insulam obtinebat; ille Ætnam solam, et eam Siciliæ partem tenuisse dicitur.

At quæ causa [10] tum subjiciebatur ab ipso, judices, hujus tam nefariæ crudelitatis? eadem, quæ nunc in defensione commemorabitur. Quicumque accesserant ad Siciliam paullo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atque a Dianio fugere dicebat. Illi ad deprecandum periculum proferebant, alii purpuram Tyriam; thus alii, atque odores, vestemque linteam; gemmas alii, et margaritas; vina nonnulli græca, venalesque Asiaticos : ut intelligeretur ex mercibus, quibus ex locis navigarent. Non providerant, eas ipsas sibi causas esse periculi, quibus adjumentis se ad salutem uti arbitrabantur. Iste enim hæc eos ex piratarum societate adeptos esse dicebat; ipsos in lautumias abduci imperabat; naves eorum atque onera diligenter asservanda curabat.

LVII. His institutis quum completus jam mercatorum carcer esset, tum illa fiebant, quæ L. Suetium, equitem romanum, lectissimum virum, dicere audistis, quæ ceteros audietis. Cervices in carcere frangebantur indignissime civium romanorum, ut jam illa vox et illa imploratio, CIVIS ROMANUS SUM, quæ sæpe multis [1], in ultimis terris, opem inter barbaros et salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem et supplicium maturius ferret. Quid est, Verres? quid

10. *At quæ causa.* Occupat orator quæ Hortensius dicturus est ad Verrinæ crudelitatis defensionem, et diluit. De Sertorio diximus supra cap. 28. — *Dianium* fuit Hispaniæ Tarraconensis oppidum, quod Sertorius tenebat. Cf. Strab. lib. III, pag. 220 edit. Oxon.

LVII. 1. *Quæ sæpe multis.* Profecit sane B. Paulo imploratio, ut de eo testantur Acta Apostolorum, VI, 22. Itaque minime mirum est civitatem romanam ab exteris nationibus ita ambitiose appetitam fuisse, ut imperante Claudio etiam emi cœperit. Viluit tamen postea, puto quia nimis pervulgata est.

ad hæc cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere istis defensoribus tuis audes? Cedo mihi, quæso, ex ipsius sinu[2] literas Syracusanorum, quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur; cedo rationem carceris, quæ diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. LITERÆ SYRACUSANORUM.

Videtis cives romanos gregatim conjectos in lautumias; videtis indignissimo in loco coacervatam multitudinem vestrorum civium. Quærite nunc vestigia[3], quibus exitus illorum ex illo loco compareant: nulla sunt. Omnesne mortui[4]? Si ita posset defendere, tamen fides huic defensioni non haberetur. Sed scriptum exstat in iisdem literis, quod iste homo barbarus ac dissolutus neque attendere umquam, neque intelligere potuit : ἐδικαιώθησαν[5], inquit, ut Siculi loquuntur, hoc est, supplicio affecti ac necati sunt.

LVIII. Si quis rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in civem romanum

2. *Ex ipsius sinu*. Id est, quas ipse magno æstimat; quarum exemplum in sinu, id est, studiose custodit, quasi multum sibi profuturæ sint in judicio. Eas literas Syracusani ad senatum miserant, quibus de Verris integritate et abstinentia testificarentur. Simul etiam in his literis de eorum suppliciis qui in lautomiis necati fuerant, rationem reddebant. Harum exemplar habuisse Verres existimandus est.

3. *Vestigia*. Alludit orator ad fabulam leonis senio confecti et vulpis, de qua Horatius, epist. I, 1, 73.

4. *Mortui*. *Morbo exstincti* sunt in carcere.— *In iisdem literis*. In ratione, seu tabulis carceris. —*Barbarus*. Scilicet indoctus; literarum omnino rudis.

5. Ἐδικαιώθησαν. Ex verbi hujus interpretatione spem Verri præcidit orator, quam iste habebat in tabulis Syracusanorum. Defendebat se Verres ex eo, quod in ratione carceris scriptum erat, ἐδικαιώθησαν, quod interpretabatur, *supplicio affecti sunt*. Ac proinde inquiebat, e carcere dimissi, nec per me necati sunt. At homo parum subtilis et græcæ linguæ ac siculæ dialecti rudis errabat in significatione verbi, quasi idem esset, ac ἐδικαιώθησαν, quum forma rariori sit a verbo δικαιόω, supplicio afficio. Vid. ind. græc. locut. Itaque tota Verris defensio hac interpretatione evertitur.

ejusmodi, nonne publice vindicaremus? non bello persequeremur? possemus hanc injuriam, ignominiamque nominis romani inultam impunitamque dimittere? Quot bella majores[1] nostros, et quanta suscepisse arbitramini, quod cives romani injuria affecti, quod navicularii retenti, quod mercatores spoliati dicerentur? At ego retentos non queror; spoliatos ferendum puto: navibus, mancipiis, mercibus ademptis, in vincula conjectos esse mercatores, et in vinculis cives romanos necatos esse arguo.

Si hæc apud Scythas dicerem, non hic in tanta multitudine civium romanorum, non apud senatores[2] lectissimos civitatis, non in foro populi romani, de tot et tam acerbis suppliciis civium romanorum: tamen animos etiam barbarorum hominum permoverem. Tanta enim hujus imperii amplitudo[3], tanta nominis romani dignitas est apud omnes nationes, ut ista in nostros homines crudelitas nemini concessa videatur. Num ergo tibi ullam salutem, ullum perfugium putem, quum te implicatum[4] severitate judicum, circumretitum frequentia populi romani esse videam? Si mehercules, id quod fieri non posse intelligo, ex his laqueis[5] te exueris, ac te aliqua via ac

LVIII. 1. *Quot bella majores.* Idem pro lege Manilia commemorat: « Majores vestri, sæpe mercatoribus, aut naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt ». — *Retenti* et *spoliati.* Ad augendam Verris culpam concessionem addit: « retentos non queror, etc. »

2. *Apud senatores.* Nam hoc tempore solus ordo senatorius lege Cornelia L. Sullæ dictatoris judicabat. — *Lectissimos.* Solitum judicum epitheton, quasi dicas *probatissimos.* Nam sorte dabat prætor judices ex ea decuria, cujus vices judicandi redierant; accusatori et reo licebat rejicere quos vellent; rejectorum in locum alii sorte trahebantur.

3. *Amplitudo.* Est potentiæ, aut majestatis, et aliquarum copiarum magna abundantia. De Inventione, lib. II.

4. *Quum te implicatum.* Translatio sumpta de venatione. — *Frequentia* populi circumstantis, et jura libertatis violatæ ulcisci cupientis.

5. *Ex his laqueis.* Ex hoc judicio de pecuniis repetundis constituto. — *Aliqua via.* Scilicet judicia corrum-

ratione explicaris; in illas tibi majores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me, superiore ex loco[6], confici et concidi necesse est. Cui si etiam id, quod defendit[7], velim concedere : tamen illa ipsa defensio non minus esse ei perniciosa, quam mea vera accusatio debeat.

Quid enim defendit? ex Hispania fugientes se excepisse, et supplicio affecisse dicit. Quis tibi id permisit? quo id jure fecisti? quis idem fecit? qui tibi id facere licuit? Forum plenum et basilicas[8] istorum hominum videmus, et animo æquo videmus. Civilis enim dissensionis[9], et sive amentiæ, sive fati, seu calamitatis, non est iste molestus exitus, in quo reliquos saltem cives incolumes licet conservare. Verres ille, vetus proditor[10] consulis, translator quæsturæ, aver-

pendo pecunia, artificio, consilio, etc. Vid. infra cap. 68. — *Plagas*. Plagæ sunt majora retia. Hic significatur perduellionis judicium apud populum, quod orator Verri minatur, ob cives indemnatos supplicio affectos. *Plagas* dixit, ut in allegoria persisteret; jam enim dixerat *laqueis te exueris : explicaris;* subjungit ex eodem genere, *incidendum*, *confici*, *concidi*, quasi de fera loquatur, quæ jam e laqueis elapsa, majores plagas effugere non possit.

6. *Superiore ex loco*. Significat rostra, e quibus agere cum populo et concionem habere nemini, nisi magistratui licebat, aut ei cui magistratus hoc permisisset, seu cui concionem dedisset; at Cicero erat ædilis designatus.

7. *Quod defendit*. Quod ad suam defensionem adducit, nempe cives illos, quos necavit, Sertorianos milites fuisse.

8. *Et basilicas*. Quæ sunt circa forum ædificia exercendis judiciis, et negotiatorum conventibus destinata. — *Istorum hominum*, qui, quum pro Marianis partibus, et Sertorio pugnaverint, clementia tamen senatus, populique romani, reditum in patriam impetraverunt.

9. *Civilis enim dissensionis*. Prudenter belli nomen evitat, quo levior eorum culpa videatur, quibus incolumitatem recte donatam esse defendit; quæ ratio Verris defensionem infirmat. — *Reliquos cives*, quos nempe armorum non absumpsit furor.

10. *Vetus proditor*. Anno Urbis conditæ 669 Carbo, qui Galliam Cisalpinam obtinebat provinciam, a quæstore suo Verre proditus est. Vid. supra lib. I, cap. 13. — *Consulis*. Carbonis. — *Translator*, qui quæstor Carbonis, partes ejus deseruit et ad Sullanos transiit. — *Aversor*. Pecuniam sibi a senatu creditam furatus est et abstulit. — *Suscepit*, sibi arrogavit. — *In suffragiis*. Non vero in magistratibus.

sor pecuniæ publicæ, tantum sibi auctoritatis in republica suscepit, ut, quibus hominibus per senatum, per populum romanum, per omnes magistratus, in foro, in suffragiis, in hac urbe, in republica versari liceret, iis omnibus mortem acerbam crudelemque proponeret, si fortuna eos ad aliquam partem Siciliæ detulisset. Ad Cn. Pompeium, clarissimum virum et fortissimum, permulti, occiso Perpenna[11], ex illo Sertoriano numero militum confugerunt: quem non ille summo cum studio salvum incolumemque servavit? cui civi supplici non illa dextera invicta et fidem porrexit, et spem salutis ostendit? Itane vero? quibus fuit portus apud eum, contra quem[12] arma tulerant, iis apud te, cujus nullum in republica umquam monumentum fuit, mors, et cruciatus erat constitutus? Vide, quam commodam defensionem excogitaris.

LIX. Malo, malo mehercule, id, quod tu defendis[1], his judicibus populoque romano, quam id, quod ego insimulo, probari. Malo, inquam, te isti[2] generi hominum, quam mercatoribus et naviculariis inimicum atque infestum putari. Meum enim crimen ava-

Nam suffragium dare quidem in comitiis, ad creandos magistratus poterant, at ipsi creari non poterant: proscriptorum enim filios lege lata victor Sulla petendorum magistratuum potestate privaverat.

11. *Occiso Perpenna.* Sertoriani belli duce, qui et ipsum Sertorium fraude occiderat. Supra cap. 28. — *Dextera* est fidei insigne; fidem dexteram porrigere dicitur, quum in fidei signum supplici porrigitur. Vid. supra cap. 40.

12. *Contra quem.* Contra Sertorium pugnavit. Pompeius ab anno 676, missus extra ordinem cum imperio per senatum in Hispanias, quum Q. Metellus impar adversus Sertorium videretur. Sigon. in fastis.— *Monumentum,* id est, animi signum; insigne factum pro republica. — *Quam commodam.* Ironia.

LIX. 1. *Quod tu defendis.* Sertorianos fuisse. Supra cap. 56. — *Quod insimulo,* mercatores fuisse. Ibidem.

2. *Isti generi.* Quos a senatoribus judicibus amari non posse, quia contra nobiles steterant, intelligebat orator. — *Crimen*, id est, accusatio. — *Novæ proscriptionis*, quasi Sullana contentus non sis proscriptione. De his conf. Flor. lib. III, pag. 265 edit. nost.

ritiæ te nimiæ coarguit : tua defensio furoris cujusdam, et immanitatis, et inauditæ crudelitatis, et pæne novæ proscriptionis.

Sed non licet[3] me isto tanto bono, judices, uti; non licet. Adsunt enim Puteoli toti : frequentissimi venerunt ad hoc judicium mercatores, homines locupletes atque honesti, qui partim socios suos, partim libertos ab isto spoliatos, in vincula conjectos, partim in vinculis necatos, partim securi percussos esse dicent. Hic vide, quam me sis usurus æquo. Quum ego P. Granium testem produxero, qui suos libertos a te securi percussos esse dicat, qui a te navem suam mercesque repetat : refellito, si poteris; meum testem deseram, tibi favebo; te, inquam, adjuvabo : ostendito, illos cum Sertorio fuisse, a Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. Nihil est, quod te malim probare : nullum enim facinus, quod majore supplicio dignum sit, reperiri, neque proferri potest. Reducam iterum equitem romanum, L. Flavium, si voles : quoniam priore actione, ut patroni tui dictitant, nova quadam sapientia[4]; ut omnes intelligunt, conscientia tua, atque auctoritate meorum testium, testem nullum interrogasti[5]. Interrogetur Flavius, si voles, qui-

3. *Sed non licet.* Transitio ad testimonium Puteolanorum. Cuperem, inquit, defensionem istam, quæ te liberat avaritia, ita ut oneret crimine inauditæ crudelitatis, probari judicibus populoque romano; sed non licet mihi isto tanto bono frui, quia testimonio Puteolanorum et Granii probatur, eos, quos necasti, non Sertorianos, ut dicis, sed mercatores fuisse. — *Puteoli toti.* Tota urbs Puteoli, id est, cuncti Puteolani.

4. *Nova quadam sapientia.* Similis figura initio libri IV : «Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi latrocinium ». — *Conscientia tua.* Quum scires quidquid in te, si interrogarentur, dicerent, id ita verum esse, ut refelli nullo modo posset. — *Auctoritate.* Subaud. deterritus. — *Meorum testium.* Ejusmodi scilicet virorum, ut eos mentiri posse nemo diceret.

5. *Testem nullum interrogasti.* Mos erat ut quos accusator testes produxerat, ii ab reo interrogarentur. Verres autem, vel testium auctoritate commo-

sor pecuniæ publicæ, tantum sibi auctoritatis in republica suscepit, ut, quibus hominibus per senatum, per populum romanum, per omnes magistratus, in foro, in suffragiis, in hac urbe, in republica versari liceret, iis omnibus mortem acerbam crudelemque proponeret, si fortuna eos ad aliquam partem Siciliæ detulisset. Ad Cn. Pompeium, clarissimum virum et fortissimum, permulti, occiso Perpenna[11], ex illo Sertoriano numero militum confugerunt : quem non ille summo cum studio salvum incolumemque servavit? cui civi supplici non illa dextera invicta et fidem porrexit, et spem salutis ostendit? Itane vero? quibus fuit portus apud eum, contra quem[12] arma tulerant, iis apud te, cujus nullum in republica umquam monumentum fuit, mors, et cruciatus erat constitutus? Vide, quam commodam defensionem excogitaris.

LIX. Malo, malo mehercule, id, quod tu defendis[1], his judicibus populoque romano, quam id, quod ego insimulo, probari. Malo, inquam, te isti[2] generi hominum, quam mercatoribus et naviculariis inimicum atque infestum putari. Meum enim crimen ava-

Nam suffragium dare quidem in comitiis, ad creandos magistratus poterant, at ipsi creari non poterant : proscriptorum enim filios lege lata victor Sulla petendorum magistratuum potestate privaverat.

11. *Occiso Perpenna.* Sertoriani belli duce, qui et ipsum Sertorium fraude occiderat. Supra cap. 28. — *Dextera* est fidei insigne; fidem dextera porrigere dicitur, quum in fidei signum supplici porrigitur. Vid. supra cap. 40.

12. *Contra quem.* Contra Sertorium pugnavit. Pompeius ab anno 676, missus extra ordinem cum imperio per senatum in Hispanias, quum Q. Metellus impar adversus Sertorium videretur. Sigon. in fastis. — *Monumentum,* id est, animi signum; insigne factum pro republica. — *Quam commodam.* Ironia.

LIX. 1. *Quod tu defendis.* Sertorianos fuisse. Supra cap. 56. — *Quod insimulo,* mercatores fuisse. Ibidem.

2. *Isti generi.* Quos a senatoribus judicibus amari non posse, quia contra nobiles steterant, intelligebat orator. — *Crimen,* id est, accusatio. — *Novæ proscriptionis,* quasi Sullana contentus non sis proscriptione. De his conf. Flor. lib. III, pag. 265 edit. nost.

ritiæ te nimiæ coarguit : tua defensio furoris cujusdam, et immanitatis, et inauditæ crudelitatis, et pæne novæ proscriptionis.

Sed non licet[3] me isto tanto bono, judices, uti; non licet. Adsunt enim Puteoli toti : frequentissimi venerunt ad hoc judicium mercatores, homines locupletes atque honesti, qui partim socios suos, partim libertos ab isto spoliatos, in vincula conjectos, partim in vinculis necatos, partim securi percussos esse dicent. Hic vide, quam me sis usurus æquo. Quum ego P. Granium testem produxero, qui suos libertos a te securi percussos esse dicat, qui a te navem suam mercesque repetat : refellito, si poteris; meum testem deseram, tibi favebo; te, inquam, adjuvabo : ostendito, illos cum Sertorio fuisse, a Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. Nihil est, quod te malim probare : nullum enim facinus, quod majore supplicio dignum sit, reperiri, neque proferri potest. Reducam iterum equitem romanum, L. Flavium, si voles : quoniam priore actione, ut patroni tui dictitant, nova quadam sapientia[4]; ut omnes intelligunt, conscientia tua, atque auctoritate meorum testium, testem nullum interrogasti[5]. Interrogetur Flavius, si voles, qui-

3. *Sed non licet.* Transitio ad testimonium Puteolanorum. Cuperem, inquit, defensionem istam, quæ te liberat avaritia, ita ut oneret crimine inauditæ crudelitatis, probari judicibus populoque romano; sed non licet mihi isto tanto bono frui, quia testimonio Puteolanorum et Granii probatur, eos, quos necasti, non Sertorianos, ut dicis, sed mercatores fuisse. — *Puteoli toti.* Tota urbs Puteoli, id est, cuncti Puteolani.

4. *Nova quadam sapientia.* Similis figura initio libri IV : «Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi latrocinium ». — *Conscientia tua.* Quum scires quidquid in te, si interrogarentur, dicerent, id ita verum esse, ut refelli nullo modo posset. — *Auctoritate.* Subaud. deterritus. — *Meorum testium.* Ejusmodi scilicet virorum, ut eos mentiri posse nemo diceret.

5. *Testem nullum interrogasti.* Mos erat ut quos accusator testes produxerat, ii ab reo interrogarentur. Verres autem, vel testium auctoritate commo-

nam fuerit[6] L. Herennius, is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit; qui quum amplius centum cives romanos haberet ex conventu Syracusano, qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lacrymantes, ac te implorantes, defenderent, tamen a te, inspectantibus omnibus Syracusanis, securi percussus est. Hunc quoque testem meum refelli, et illum Herennium Sertorianum fuisse abs te demontrari et probari volo[7].

LX. Quid de illa multitudine dicemus eorum, qui, capitibus involutis, in piratarum captivorumque numero producebantur, ut securi ferirentur? Quæ ista nova diligentia? quam ob causam abs te[1] excogitata? An te L. Flavii ceterorumque de L. Herennio vociferatio commovebat? an M. Annii, gravissimi atque honestissimi viri, summa auctoritas paullo te diligentiorem timidioremque fecerat? qui nuper pro testimonio, non advenam nescio quem, nec alienum, sed eum

tus, vel conscientia sua deterritus, nullum interrogavit. Vid. de re eadem, lib. III, cap. 16.

6. *Quinam fuerit.* Sertorianusne miles, an mercator. — *Argentariam facere.* Gall. *faire la banque.* Sic supra cap. 18, dixit, *navicularium facere.* Insignis est hic locus Tullii ad ea confirmanda, quæ de negotiatoribus vir ille maximus verissime docuit. Leptis erat in Africa, unde directa Melitam et Pachynum, nec longa navigatio; proinde Syracusis esse frequens Herennius poterat, et multos in Africa ipsa ex illis civibus romanis jam ante cognosse.

7. *Herennium Sertorianum fuisse... probari volo.* Ironia. Id enim minime probari posse non ignorat.

LX. 1. *Abs te excogitata.* Verres non in eo reprehenditur, quod, quasi novi et antehac inauditi moris auctor, obnubi miserorum illorum capita voluerit; arguitur tantum istius inconstantia, quod, quum primos capitibus apertis neci dedisset, repente mutaverit rationem; et, ut ne pro civibus romanis agnoscerentur, diligentiam, gall. *une précaution*, adhibuerit novam quidem quod ad se, sed quod ad Romanos usitatam ut capitibus involutis producerentur ad supplicium. Mos enim erat olim ut capita velarentur, seu violenta, seu voluntaria morte morituris. Narrat Livius, lib. IV, cap. 12, quum fame laboraretur, multos Romæ *capitibus involutis* se in Tiberim præcipitavisse. Cæsar et Pompeius, quum occiderentur, toga caput suum similiter involvere.

civem[2] romanum, qui omnibus in illo conventu notus, qui Syracusis natus esset, a te securi percussum esse dixit.

Post hanc illorum vociferationem, post hanc communem famam atque querimoniam, non mitior in supplicio, sed diligentior esse cœpit. Capitibus involutis cives romanos ad necem producere instituit : quos tamen idcirco necabat palam, quod homines in conventu, id quod antea diximus[3], nimium diligenter prædonum numerum requirebant. Hæccine plebi romanæ, te prætore, est constituta conditio? hæc negotii gerendi spes[4]? hoc capitis vitæque discrimen? Parumne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiam hæ formidines ab nostris magistratibus, atque in nostris provinciis impendebunt? Ad eamne rem fuit hæc suburbana, ac fidelis provincia Sicilia, plena optimorum sociorum, honestissimorumque civium, quæ cives romanos omnes suis ipsa sedibus libentissime semper accepit, ut, qui usque ex ultima Syria[5] atque Ægypto navigarent, qui apud barbaros, propter togæ nomen[6], in honore aliquo fuissent, qui ex prædonum insidiis, qui ex tempestatum periculis profugissent, in Sicilia securi feri-

2. *Sed eum civem*. Eumdem L. Herennium intellige.

3. *Quod antea diximus*. Vid. supra cap. 28.

4. *Hæc negotii gerendi spes?* An in hanc spem mercaturam faciunt, an capitis vitæque discrimen terra marique subeunt, ut domum reversi post tot labores, expilentur a nostris magistratibus et securi feriantur?

5. *Ex ultima Syria*. Gall. *du fond de la Syrie*.

6. *Propter togæ nomen*. Metonymia. Causa pro effectu. Id est, propter nomen Romanorum, quorum propria vestis erat toga, uti Græcorum proprium fuit pallium. Hinc Virg. Æn. I, 286, vocat Romanos, rerum dominos, « gentemque togatam ». Cives romanos togam in provinciis gestare leges jubebant; qui non gestabant, civitatis jus imminuebant, ut ex oratione pro Postumio intelligitur. At quibus aqua et igne interdicebatur, iis togæ jus adimebatur, quemadmodum Plinius in lib. IV epistolarum testatur.

nam fuerit[6] L. Herennius, is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit; qui quum amplius centum cives romanos haberet ex conventu Syracusano, qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lacrymantes, ac te implorantes, defenderent, tamen a te, inspectantibus omnibus Syracusanis, securi percussus est. Hunc quoque testem meum refelli, et illum Herennium Sertorianum fuisse abs te demontrari et probari volo[7].

LX. Quid de illa multitudine dicemus eorum, qui, capitibus involutis, in piratarum captivorumque numero producebantur, ut securi ferirentur? Quæ ista nova diligentia? quam ob causam abs te[1] excogitata? An te L. Flavii ceterorumque de L. Herennio vociferatio commovebat? an M. Annii, gravissimi atque honestissimi viri, summa auctoritas paullo te diligentiorem timidioremque fecerat? qui nuper pro testimonio, non advenam nescio quem, nec alienum, sed eum

tus, vel conscientia sua deterritus, nullum interrogavit. Vid. de re eadem, lib. III, cap. 16.

6. *Quinam fuerit.* Sertorianusne miles, an mercator. — *Argentariam facere.* Gall. *faire la banque.* Sic supra cap. 18, dixit, *navicularium facere.* Insignis est hic locus Tullii ad ea confirmanda, quæ de negotiatoribus vir ille maximus verissime docuit. Leptis erat in Africa, unde directa Melitam et Pachynum, nec longa navigatio; proinde Syracusis esse frequens Herennius poterat, et multos in Africa ipsa ex illis civibus romanis jam ante cognosse.

7. *Herennium Sertorianum fuisse... probari volo.* Ironia. Id enim minime probari posse non ignorat.

LX. 1. *Abs te excogitata.* Verres non in eo reprehenditur, quod, quasi novi et antehac inauditi moris auctor, obnubi miserorum illorum capita voluerit; arguitur tantum istius inconstantia, quod, quum primos capitibus apertis neci dedisset, repente mutaverit rationem; et, ut ne pro civibus romanis agnoscerentur, diligentiam, gall. *une précaution*, adhibuerit novam quidem quod ad se, sed quod ad Romanos usitatam ut capitibus involutis producerentur ad supplicium. Mos enim erat olim ut capita velarentur, seu violenta, seu voluntaria morte morituris. Narrat Livius, lib. IV, cap. 12, quum fame laboraretur, multos Romæ *capitibus involutis* se in Tiberim præcipitavisse. Cæsar et Pompeius, quum occiderentur, toga caput suum similiter involvere.

civem[2] romanum, qui omnibus in illo conventu notus, qui Syracusis natus esset, a te securi percussum esse dixit.

Post hanc illorum vociferationem, post hanc communem famam atque querimoniam, non mitior in supplicio, sed diligentior esse cœpit. Capitibus involutis cives romanos ad necem producere instituit : quos tamen idcirco necabat palam, quod homines in conventu, id quod antea diximus[3], nimium diligenter prædonum numerum requirebant. Hæccine plebi romanæ, te prætore, est constituta conditio? hæc negotii gerendi spes[4]? hoc capitis vitæque discrimen? Parumne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiam hæ formidines ab nostris magistratibus, atque in nostris provinciis impendebunt? Ad eamne rem fuit hæc suburbana, ac fidelis provincia Sicilia, plena optimorum sociorum, honestissimorumque civium, quæ cives romanos omnes suis ipsa sedibus libentissime semper accepit, ut, qui usque ex ultima Syria[5] atque Ægypto navigarent, qui apud barbaros, propter togæ nomen[6], in honore aliquo fuissent, qui ex prædonum insidiis, qui ex tempestatum periculis profugissent, in Sicilia securi feri-

2. *Sed eum civem*. Eumdem L. Herennium intellige.

3. *Quod antea diximus*. Vid. supra cap. 28.

4. *Hæc negotii gerendi spes?* An in hanc spem mercaturam faciunt, an capitis vitæque discrimen terra marique subeunt, ut domum reversi post tot labores, expilentur a nostris magistratibus et securi feriantur?

5. *Ex ultima Syria*. Gall. *du fond de la Syrie*.

6. *Propter togæ nomen*. Metonymia. Causa pro effectu. Id est, propter nomen Romanorum, quorum propria vestis erat toga, uti Græcorum proprium fuit pallium. Hinc Virg. Æn. I, 286, vocat Romanos, rerum dominos, « gentemque togatam ». Cives romanos togam in provinciis gestare leges jubebant; qui non gestabant, civitatis jus imminuebant, ut ex oratione pro Postumio intelligitur. At quibus aqua et igne interdicebatur, iis togæ jus adimebatur, quemadmodum Plinius in lib. IV epistolarum testatur.

rentur, quum se jam domum venisse arbitrarentur?

LXI. Nam quid ego[1] de P. Gavio, Cosano municipe, dicam, judices? aut qua vi vocis, qua gravitate verborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me non deficit[2]: ut cetera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo suppetant, magis elaborandum est. Quod crimen ejusmodi est, ut, quum primum ad me delatum est, usurum me illo non putarem. Tametsi enim verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. Coactus lacrymis omnium civium romanorum, qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum, hominum honestissimorum, omniumque Rheginorum, multorumque equitum romanorum, qui casu tum Messanæ fuerunt, testimoniis[3], dedi tantum priore actione testium, res ut nemini dubia esse posset. Quid nunc agam? quum jam tot horas de uno genere[4], ac de istius nefaria crudelitate dicam; quum prope omnem vim verborum[5] ejusmodi, quæ scelere istius digna sunt, aliis in rebus consumpserim, neque

LXI. 1. *Nam quid ego.* Gavii suppliciorum narratio. Locus totus legendus in quo totas suas eloquentia vires explicat. Orditur orator pathetica dubitatione, qua mire præparantur animi judicum ad criminis atrocitatem. Porro *nam* hoc loco est interrogativum, et jungitur pronomini sequenti per anastrophen, pro quidnam, ut in Virgilio, Georg. lib. IV, v. 445, *Nam quis te*, pro quisnam te. Sed hic potest etiam transitioni unice inservire, ut sæpissime.— *Cosano municipe.* Ex Cosa Etruriæ oppido, municipio romano, unde incolæ *Cosani*. Virgilius, « Quique urbem liquere Cosas ». Fuit colonia Romanorum. Vid. Vell. Paterc. I, et Plin. III, 5. — *Municipe.* Hanc vocem explicavimus pro Rosc. Amerin. c. 6.

2. *Dolor me non deficit.* Hoc ex artis præcepto: « si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi ». Sensus est: Dolore quidem afficior maximo; sed cetera tanto dolori explicando necessaria deficiunt.

3. *Testimoniis.* Hæc vox non hoc loco, sed supra post *honestissimorum* collocatur in Ven. Naug. Man. Herv. et Car. Steph. edd.

4. *De uno genere.* De suppliciis. Sed vide quo artificio, dum aurium satietati videtur occurrere, et dum se tantæ accusationi sustinendæ imparem fingit, criminis istius atrocitatem adaugeat.

5. *Quum prope omnem vim verborum.* Quæ ad inflammandos judicum animos requiritur.

hoc providerim, ut varietate criminum vos attentos tenerem, quemadmodum de tanta re dicam? Opinor, unus modus, atque una ratio est. Rem in medio ponam; quæ tantum habet ipsa gravitatis, ut neque mea, quæ nulla est[6], neque cujusquam, ad inflammandos vestros animos, eloquentia requiratur.

Gavius hic, quem dico[7], Cosanus, quum illo in numero ab isto in vincula conjectus esset, et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset, Messanamque venisset; qui prope jam Italiam et mœnia Rheginorum[8] videret, et ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis, et odore aliquo legum recreatus, revixisset; loqui Messanæ cœpit, et queri, se civem romanum in vincula esse conjectum; sibi recta iter esse Romam; Verri se præsto advenienti[9] futurum.

LXII. Non intelligebat miser, nihil interesse, utrum hæc Messanæ, an apud ipsum in[1] prætorio loqueretur. Nam, ut ante vos docui, hanc sibi iste urbem delegerat, quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius; eoque ipso die casu Messanam venit Verres.

6. *Ut neque mea, quæ nulla est, neque cujusquam, ad inflammandos vestros animos, eloquentia requiratur.* Et ad hunc locum et ad alia loca ejusmodi multa in Cicerone, animo attendant velim, qui Ciceronem ut nimium sui jactatorem temere reprehendunt. Res quidem a se gestas non mediocriter sæpius prædicat, et non quidem sine causa, at ingenii dotes et eloquentiam suam nusquam jactat, sed eam potius deprimit. Vid. Quintil. de hoc argumento fuse disserentem, lib. XI, cap. 1, pag. 673, ed. Capp.

7. *Gavius hic quem dico.* Hactenus prolusio, seu preparatio animorum. Jam incipit narratio.

8. *Rheginorum.* Cives romani erant. Lib. IV, cap. 11. Itaque Gavius, quum eorum mœnia videret, se jam Romæ esse arbitrabatur.

9. *Verri se præsto advenienti.* Ad eum accusandum majestatis, propter civitatis jus violatum, et ad ulciscendum injurias suas apud judices ope et auxilio legum.

LXII. 1. *In prætorio.* Hic domus intelligitur, in qua diversari prætores solent. — *Ut ante vos docui.* Ea fusius explicata vid. lib. IV, cap. 8.

rentur, quum se jam domum venisse arbitrarentur?

LXI. Nam quid ego[1] de P. Gavio, Cosano municipe, dicam, judices? aut qua vi vocis, qua gravitate verborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me non deficit[2]: ut cetera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo suppetant, magis elaborandum est. Quod crimen ejusmodi est, ut, quum primum ad me delatum est, usurum me illo non putarem. Tametsi enim verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. Coactus lacrymis omnium civium romanorum, qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum, hominum honestissimorum, omniumque Rheginorum, multorumque equitum romanorum, qui casu tum Messanæ fuerunt, testimoniis[3], dedi tantum priore actione testium, res ut nemini dubia esse posset. Quid nunc agam? quum jam tot horas de uno genere[4], ac de istius nefaria crudelitate dicam; quum prope omnem vim verborum[5] ejusmodi, quæ scelere istius digna sunt, aliis in rebus consumpserim, neque

LXI. 1. *Nam quid ego.* Gavii suppliciorum narratio. Locus totus legendus in quo totas suas eloquentia vires explicat. Orditur orator pathetica dubitatione, qua mire præparantur animi judicum ad criminis atrocitatem. Porro *nam* hoc loco est interrogativum, et jungitur pronomini sequenti per anastrophen, pro quidnam, ut in Virgilio, Georg. lib. IV, v. 445, *Nam quis te*, pro quisnam te. Sed hic potest etiam transitioni unice inservire, ut sæpissime.—*Cosano municipe.* Ex Cosa Etruriæ oppido, municipio romano, unde incolæ *Cosani*. Vigilius, « Quique urbem liquere Cosas ». Fuit colonia Romanorum. Vid. Vell. Paterc. I, et Plin. III, 5. — *Municipe.* Hanc vocem explicavimus pro Rosc. Amerin. c. 6.

2. *Dolor me non deficit.* Hoc ex artis præcepto : « si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi ». Sensus est : Dolore quidem afficior maximo; sed cetera tanto dolori explicando necessaria deficiunt.

3. *Testimoniis.* Hæc vox non hoc loco, sed supra post *honestissimorum* collocatur in Ven. Naug. Man. Herv. et Car. Steph. edd.

4. *De uno genere.* De suppliciis. Sed vide quo artificio, dum aurium satietati videtur occurrere, et dum se tantæ accusationi sustinendæ imparem fingit, criminis istius atrocitatem adaugeat.

5. *Quum prope omnem vim verborum.* Quæ ad inflammandos judicum animos requiritur.

hoc providerim, ut varietate criminum vos attentos tenerem, quemadmodum de tanta re dicam? Opinor, unus modus, atque una ratio est. Rem in medio ponam; quæ tantum habet ipsa gravitatis, ut neque mea, quæ nulla est[6], neque cujusquam, ad inflammandos vestros animos, eloquentia requiratur.

Gavius hic, quem dico[7], Cosanus, quum illo in numero ab isto in vincula conjectus esset, et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset, Messanamque venisset; qui prope jam Italiam et mœnia Rheginorum[8] videret, et ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis, et odore aliquo legum recreatus, revixisset; loqui Messanæ cœpit, et queri, se civem romanum in vincula esse conjectum; sibi recta iter esse Romam; Verri se præsto advenienti[9] futurum.

LXII. Non intelligebat miser, nihil interesse, utrum hæc Messanæ, an apud ipsum in[1] prætorio loqueretur. Nam, ut ante vos docui, hanc sibi iste urbem delegerat, quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius; eoque ipso die casu Messanam venit Verres.

6. *Ut neque mea, quæ nulla est, neque cujusquam, ad inflammandos vestros animos, eloquentia requiratur.* Et ad hunc locum et ad alia loca ejusmodi multa in Cicerone, animo attendant velim, qui Ciceronem ut nimium sui jactatorem temere reprehendunt. Res quidem a se gestas non mediocriter sæpius prædicat, et non quidem sine causa, at ingenii dotes et eloquentiam suam nusquam jactat, sed eam potius deprimit. Vid. Quintil. de hoc argumento fuse disserentem, lib. XI, cap. 1, pag. 673, ed. Capp.

7. *Gavius hic quem dico.* Hactenus prolusio, seu preparatio animorum. Jam incipit narratio.

8. *Rheginorum.* Cives romani erant. Lib. IV, cap. 11. Itaque Gavius, quum eorum mœnia videret, se jam Romæ esse arbitrabatur.

9. *Verri se præsto advenienti.* Ad eum accusandum majestatis, propter civitatis jus violatum, et ad ulciscendum injurias suas apud judices ope et auxilio legum.

LXII. 1. *In prætorio.* Hic domus intelligitur, in qua diversari prætores solent. — *Ut ante vos docui.* Ea fusius explicata vid. lib. IV, cap. 8.

Res ad eum defertur, esse civem romanum, qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur; quem, jam ingredientem navem, et Verri nimis atrociter minitantem, a se retractum esse, et asservatum, ut ipse in eum statueret, quod videretur.

Agit hominibus gratias, et eorum erga se benivolentiam diligentiamque collaudat. Ipse inflammatus scelere[2] et furore, in forum venit. Ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat. Exspectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset[3]; quum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, et virgas expediri jubet. Clamabat ille miser, se civem esse romanum, municipem Cosanum; meruisse se[4] cum L. Pretio, splendidissimo equite romano, qui Panormi negotiaretur, ex quo hæc Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitivorum esse missum; cujus rei neque index, neque vestigium aliquod, neque suspicio cuiquam esset ulla. Deinde jubet undique[5] hominem proripi, vehementissimeque verberari.

Cædebatur virgis in medio foro Messanæ civis romanus, judices; quum interea nullus gemitus, nulla

2. *Inflammatus scelere.* Imaginem huic similem jam habes, supra cap. 41: «Procedit iste repente e prætorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate». — *Eminebat.* Legit Quintilian. lib. IX, cap. 11, *emicabat*, quod ad crudelitatem ostendendam videtur esse accommodatius, et congruere videtur cum duobus verbis, *inflammatus*, *ardebant*. Conf. Quintilian. tom. III, pag. 344 editionis nostræ.

3. *Quidnam acturus esset.* Quum causa nulla esset in illum animadvertendi.

4. *Meruisse se.* Subaud. *stipendia*. Hoc est, fuisse se in iisdem castris cum L. Pretio commilitone.

5. *Undique proripi.* In cod. Reg. non legitur *proripi*, quæ male inculcata hic iterum videtur; nam jam proreptus erat. Sic habet: «Jubet undique hominem vehementissime verberari». *Undique.* Id est, ab omnibus, qui adstabant, lictoribus. Sex autem aderant valentissimi et ad verberandos homines exercitatissimi. Supra cap. 54. — *Cædebatur.* Vid. A. Gell. lib. X, cap. 3.

vox alia istius miseri, inter dolorem, crepitumque plagarum, audiebatur, nisi hæc : CIVIS ROMANUS SUM. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur : sed, quum imploraret sæpius, usurparetque nomen civitatis; crux, crux[6], inquam, infelici et ærumnoso, qui numquam istam[7] potestatem viderat, comparabatur.

LXIII. O nomen dulce libertatis[1]! o jus eximium nostræ civitatis! o lex Porcia, legesque Semproniæ! o graviter desiderata, et aliquando reddita[2] plebi romanæ tribunitia potestas! Huccine tandem[3] omnia reciderunt, ut civis romanus in provincia populi romani, in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio[4] populi romani fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? Quid? quum ignes[5], ardentesque laminæ, ceterique cruciatus admovebantur, si

6. *Crux*. A cruciando; dicta est et *infelix arbor*. Pœnam *crucis* vocat Cicero cap. 64, «crudelissimum teterrimumque supplicium», et vere si infamiam, atrocitatem et diuturnitatem pœnarum attenderis.

7. *Istam potestatem*. Scilicet in crucem adigendi ad nutum atque arbitrium prætoris cives romanos indemnatos.

LXIII. 1. *Libertatis*. Quæ populi romani res est propria. — *Jus nostræ civitatis*. Privilegium nostrorum civium. — *O lex Porcia!* Quæ virgas amovebat a corpore civium romanorum. — *Legesque Semproniæ*. Quæ de civium capite injussu populi romani judicari vetuerunt. Leges Semproniæ dicit, quia plures leges C. Sempronius Gracchus pro libertate civium romanorum tulit anno 630.

2. *Reddita*. Tribunitiam potestatem a Sulla sublatam Pompeius consul hoc ipso anno populo romano restituit, ut jam diximus in Divinat.

3. *Huccine tandem omnia*, etc. Is ne tot rerum ad libertatem populi confirmandam constitutarum finis esse debuit, etc.

4. *Beneficio*. Jus enim eligendorum magistratuum totum erat penes populum. Vid. Horat. epist. 6, vs. 53.

5. *Quid? quum ignes*. Rei dabantur in quæstionem. *Ignes*, pars erant tormentorum, quæ in eos ad exprimendam veritatem adhibebantur; laminis ardentibus ad pedum plantas et latera admotis cruciabantur. Præterea membra eorum equuleo extendebantur; ferreis unguibus arabantur; nervo fustibusve verberabantur; sed, libera civitate, servilia hæc erant supplicia.

te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhibebat[6], ne civium quidem romanorum, qui tum aderant, fletu et gemitu maximo commovebare? In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem romanum esse diceret? Nolui tam vehementer agere hoc prima actione, judices; nolui. Vidistis enim, ut animi multitudinis in istum dolore, et odio, et communis periculi metu, concitarentur. Statui egomet[7] mihi tum modum orationi meæ, et C. Numitorio, equiti romano, primo homini, testi meo; et Glabrionem, id quod sapientissime fecit, facere lætatus sum, ut repente, consilio in medio[8], testem dimitteret. Etenim verebatur, ne populus romanus ab isto eas pœnas vi repetisse videretur, quas veritus esset ne iste legibus et vestro judicio non esset persoluturus.

Nunc, quoniam jam exploratum est omnibus, quo loco causa tua sit, et quid de te futurum sit[9]; sic tecum agam. Gavium istum, quem repentinum[10] speculatorem fuisse dicis, ostendam, in lautumias Syracusis a te esse conjectum : neque id solum ex[11] literis ostendam Syracusanorum, ne possis dicere, me, quia

6. *Inhibebat.* Vox nautica.—*Remis inhibere,* est, remis retrorsum navem propellere. Hic est, removere a crudelitate.

7. *Egomet mihi. Mihi* abundat hic, ut sæpe, et *tibi*, apud bonos auctores.

8. *Consilio in medio.* Quum staret Numitorius in medio judicum cœtu, et jam testimonium diceret, repente prætor, pro suo jure, eum dimisit. Etenim veritus est ne populus tot Verris sceleribus incitatus, suis eum manibus statim discerperet, quasi metuisset ne satis severe judicaretur. Itaque hanc suspicionem a se et a vobis, judices, amovendam existimavit, testemque dimisit, et reum a multitudinis iracundia vindicatum, legibus et judicio reservavit. Vide quot modis orator judices ad severitatem acuat, nunc prece, nunc minis; hic vero, quod jam sæpe, existimationis suæ gratia; nam ædilis jam designatus fuerat.

9. *Quid de te futurum sit.* Id est, necessario te esse condemnandum a judicibus. Et hic etiam spem Verri præripit favoris a judicibus, si qui sint istius familiares, aut paterni amici (cap. 52), dum ostendit planum esse omnibus istum non posse omnino absolvi.

10. *Repentinum.* Si quidem nihil umquam tale auditum de illo fuerat.

11. *Ex literis.* Ex tabulis in quibus

sit aliquis in literis Gavius, hoc fingere, et eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere; sed secundum arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in lautumias conjectum esse dicant. Producam etiam Cosanos, municipes illius ac necessarios, qui te nunc sero[12] doceant, judices non sero, illum P. Gavium, quem tu in crucem egisti, civem romanum et municipem Cosanum, non speculatorem fugitivorum fuisse.

LXIV. Quum hæc omnia, quæ polliceor, cumulate tuis proximis[1] plana fecero; tum istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur[2]: eo contentum me esse dicam. Quid enim nuper[3] tu ipse, quum populi romani clamore atque impetu perturbatus exsiluisti, quid, inquam, loquutus es? Illum, quod moram supplicio quæreret, ideo clamitasse, se esse civem romanum; sed speculatorem fuisse. Jam mei testes veri sunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. et P. Cottii, nobilissimi homines, ex agro Taurominitano? quid Q. Lucceius, qui argentariam Rhegii maximam fecit? quid ceteri? Adhuc enim testes ex eo genere a me sunt dati, non qui novisse Gavium, sed qui se vidisse dicerent, quum is, qui se civem romanum esse clamaret, in crucem ageretur. Hoc tu, Verres, idem dicis; hoc tu confiteris illum clamitasse, se civem esse romanum; apud te nomen civitatis ne tantum quidem valuisse, ut dubitationem aliquam,

eorum nomina, qui in lautumias conjecti sunt, perscripta fuerunt diligenter.

12. *Te nunc sero.* Quum ad vitam revocari Gavius jam non possit. — *Judices non sero.* Quia nondum sententiam tulerunt de te.

LXIV. 1. *Tuis proximis.* Tuis advocatis, et iis qui te quasi propinquum et necessarium suum defendunt, qui tibi assident in subselliis; qui te circum familiarissime versantur.

2. *Quod abs te mihi datur.* Quod confessus es Gavium clamitasse, se civem esse romanum.

3. *Quid enim nuper.* Priore actione.

ut crudelissimi teterrimique supplicii aliquam parvam moram saltem posset afferre.

Hoc teneo, hic hæreo, judices, hoc sum contentus uno; omitto ac negligo cetera; sua confessione induatur[4] ac juguletur necesse est. Qui esset, ignorabas? speculatorem esse suspicabare? non quæro, qua suspicione[5]: tua te accuso oratione. Civem romanum se esse dicebat. Si tu apud Persas aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere: quid aliud clamitares, nisi te civem esse romanum? Et, si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos, nobile et illustre apud omnes nomen tuæ civitatis profuisset; ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, quum civem se romanum esse diceret, apud te prætorem si non effugium, ne moram quidem mortis, mentione atque usurpatione[6] civitatis assequi potuit?

LXV. Homines tenues, obscuro loco nati, navigant: adeunt ad ea loca, quæ numquam antea viderunt, ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus[1] esse possunt. Hac una tamen fiducia civitatis, non modo apud nostros magistratus, qui et legum, et existimationis periculo continentur, neque apud cives solum romanos, qui et sermonis, et juris, et multarum rerum societate juncti sunt, fore se tutos arbitrantur; sed, quocumque venerint, hanc sibi rem præsidio sperant futurum[2]. Tolle hanc spem, tolle hoc præsidium civibus romanis;

4. *Induatur.* Capiatur, irretiatur. Metaphora sumpta de venatione. Sup. cap. 58.

5. *Qua suspicione.* Quibus argumentis id suspicabare.

6. *Usurpatione.* Usurpare idem est ac nominare; hic sibi arrogare significat.

LXV. 1. *Cognitoribus.* Cum hominibus a quibus cognoscantur. — *Civitatis.* Id est, quod cives romani sint.

2. *Futurum.* Vetus lectio; non enim

constitue nihil esse opis in hac voce, CIVIS ROMANUS SUM; posse impune prætorem, aut alium quemlibet, supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se civem romanum esse dicat, quod quis ignoret[3]: jam omnes provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates, jam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus romanis ista defensione præcluseris. Quid? si L. Pretium, equitem romanum, qui tum in Sicilia negotiabatur[4], nominabat; etiamne id magnum fuit, Panormum literas mittere? asservasse hominem? custodiis Mamertinorum tuorum vinctum, clausum[5] habuisse, dum Panormo Pretius veniret? cognosceret hominem[6]; aliquid de summo supplicio remitteres : si ignoraret, tum, si ita tibi videretur, hoc juris in omnes constitueres, ut, qui neque tibi notus esset, neque cognitorem[7] locupletem daret, quamvis civis romanus esset, in crucem tolleretur.

LXVI. Sed quid ego plura de Gavio? quasi tu Gavio tum fueris infestus, ac non nomini, generi, juri ci-

refertur ad substantivum *rem*, neque pro participio ponitur, sed verbum est indefinitum, neque numeris, neque generibus inserviens. Vide A. Gell. lib. I, cap. 7; Voss. de Analog. lib. III, cap. 16; Perizon. ad Sanct. Min. lib. I, cap. 14, p. 106.

3. *Quod quis ignoret*. Subaud. eum. Quod sit nemini notus.

4. *Negotiabatur*. Delent hanc vocem Grævius et Verburg. ea tamen est ad sensum necessaria. In Florentina editione reperitur, et illam retinuit R. Stephanus.

5. *Vinctum, clausum*. Lamb. legit « vinctum clausumque ».

6. *Cognosceret hominem*. Aut subaud. *si*, aut in altero membro dilemmatis delendum. Etenim elegans in primis, et veteribus usitata figura, ut sic duo contraria sine adverb. *si* proponantur. Sensus est : Aut Gavium cognosceret Pretius, aut ignoraret. Si cognosceret hominem, atque eum civem esse testaretur, aliquid de summo supplicio remitteres, si ignoraret, tum, etc.

7. *Cognitorem*. Aliquem cui cognosceretur. — *Locupletem*. Id est, gravem, fide dignum, vel potius divitem, et cujus pecunia civis ille romanus crucis supplicio redimeretur. Quo sensu cum Verris crudelitate avaritiam Cicero conjungit.

vium hostis : non illi, inquam, homini, sed causæ communi libertatis inimicus fuisti. Quid enim attinuit, quum Mamertini, more atque instituto suo, crucem fixissent post urbem, in via Pompeia, te jubere in ea parte figere, quæ ad fretum spectaret; et hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod, omnibus audientibus, dixisti palam, te idcirco illum locum deligere, ut ille, qui se civem romanum esse diceret, ex cruce Italiam cernere, ac domum suam[1] prospicere posset? Itaque illa crux sola, judices, post conditam Messanam illo in loco fixa est. Italiæ conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille, in dolore cruciatuque moriens, perangusto fretu[2] divisa servitutis[3] ac libertatis jura cognosceret; Italia autem alumnum suum servitutis extremo summoque supplicio affixum videret.

Facinus est, vinciri civem romanum; scelus, verberari; prope parricidium, necari : quid dicam[4] in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non fuit his omnibus iste contentus. Spectet[5], inquit, patriam; in conspectu legum libertatisque moriatur. Non tu hoc loco Gavium, non unum hominem, nescio quem, civem romanum; sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti. Jam vero videte hominis audaciam. Nonne eum[6] graviter tulisse arbi-

LXVI. 1. *Domum suam.* Jocus Verris, qui cæcis raptus cupiditatibus dum Gavium irridebat, Italiæ et civium libertati insultabat.

2. *Perangusto fretu.* Messanam inter et fanum Neptuni in Italia, ad duodecim millia passuum numerantur, ex tab. G. *De l'Isle.* Gellius, lib. III, cap. 19, affirmat Ciceronem scripsisse *fretu*, non *freto*, et ita edidit Græv.

3. *Servitutis* qua Sicilia, Verre prætore, opprimebatur.

4. *Quid dicam?* Id est, quo nomine appellem? verba enim deficiunt. Sic lib. IV, cap. 1, exaggerandi causa fingit orator inopem se verborum esse quæ rei vim ac naturam exprimunt.

5. *Spectet.* Mimesis verborum Verris; vim addit novam orationi, quæ non ultra progredi posse videbatur.

6. *Nonne eum.* Invidiosa et plena indignationis dubitatio. — *In comitio.* In foro comitium erat et rostra. Sed distinguuntur hoc loco amplificationis

tramini, quod illam civibus romanis crucem non posset in foro, non in comitio, non in rostris defigere? Quod enim[7] his locis in provincia sua, celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit. Monumentum sceleris audaciæque suæ voluit esse in conspectu Italiæ, vestibulo Siciliæ, prætervectione omnium, qui ultro citroque navigarent.

LXVII. Si hæc non ad cives romanos, non ad aliquos amicos nostræ civitatis, non ad eos, qui populi romani nomen audissent, denique, si non ad homines, verum ad bestias; aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa et ad scopulos hæc conqueri et deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima, tanta et tam indigna rerum atrocitate commoverentur. Nunc vero quum loquar apud senatores[1] populi romani, legum, judiciorumque, et juris auctores, timere non debeo, ne non unus iste[2] civis romanus illa cruce dignus, ceteri omnes simili periculo indignissimi judicentur. Paullo ante, judices, lacrymas in morte misera atque indignissima navarchorum non tenebamus; et recte ac merito sociorum innocentium miseria commovebamur : quid nunc in nostro sanguine tandem facere

gratia. De comitio diximus lib. I, cap. 22; de rostris lib. III, cap. 96.

7. *Quod enim.* Subaud. locum, in neutro; quod etsi est insolens, ejus tamen exempla occurrunt. Sic etiam Varro dixit apud Macrob. III, 4, « sicut locum in quo figerent candelam, candelabrum appellatur ». — *His locis.* Id est, comitio et rostris. — *Regione*, situ.

LXVII. 1. *Apud senatores.* Judices intellige, qui omnes erant senatores. — *Legum... auctores.* Hoc refertur ad totum ordinem, cujus auctoritate leges conditæ, jus et judicia constituta sunt; id enim sine auctoritate patrum fieri non poterat. Liv. lib. I, cap. 17.

2. *Ne non unus iste.* Negantes particulæ acumen addunt, sed interdum sententiam nonnihil obscurant. Timere non debeo, inquit Cicero, ne non unus Verres civis romanus, illa cruce dignus judicetur; id est, civis romanus unus Verres illa cruce dignus judicabitur, ceteri omnes indignissimi. Method. Port. R. de verbis *vereor*, *paveo*, etc. pag. 604. Quod autem a Gavio ad Verrem subito con-

debemus? Nam civium romanorum sanguis conjunctus existimandus est; quoniam id et salutis omnium ratio[3], et veritas postulat. Omnes hoc loco[4] cives romani, et qui adsunt, et qui ubicumque sunt, vestram severitatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt; omnia sua jura, commoda, auxilia, totam denique libertatem in vestris sententiis versari arbitrantur.

A me, tametsi satis habent[5], tamen, si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse, quam postulant. Nam et si qua vis[6] istum de vestra severitate eripuerit, id quod neque metuo, judices, neque ullo modo fieri posse video; sed si in hoc me ratio fefellerit, Siculi causam suam perisse querentur, et mecum pariter moleste ferent: populus quidem romanus brevi, quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit, jus suum, me agente, suis suffragiis ante kal. februarias recuperabit. Ac, si de mea gloria[7] et amplitudine

vertit Tullius orationem, figura est, cujus exemplum non unum dabunt vel isti accusationis libri.

3. *Salutis omnium ratio*. Communis securitas. — *Veritas*. Justitia, æquitas. Lambin. e conjectura, *securitas*.

4. *Hoc loco*. In hac causa Gavii. — *In vestris sententiis*. Si enim hoc in Gavium scelus inultum a vobis semel dimittitur; nemo jam, impunitate proposita, reperietur, qui civium romanorum libertatem violare non audeat.

5. *Satis habent*. Defendi enim, quantum in me fuit, causam civium romanorum; eaque ipsi defensione contenti sunt; reliqua a vobis exspectant. — *Si res aliter acciderit*. Subaud. ac debeat, id est, si Verrem absolveritis. — *Plus habebunt fortasse*. Indicat his verbis orator quod sæpe jam supra significavit apertius, nempe si Verres repetundarum crimine absolvetur, se majestatis apud populum, ob violatam libertatem, eumdem esse postulaturum. Vide supra cap. 58.

6. *Si qua vis*. Intellige largitiones pecuniarum. — *Id quod neque metuo*. Hoc interponit ad vitandam judicum offensionem. — *Moleste ferent*. Quia de illis jam actum erit. — *Dedit*. Scilicet quum ædilem me fecit. Supra cap. 58. — *Me agente*. Me Verrem accusante perduellionis. — *Suis suffragiis*. Nam judicium de perduellione comitiis centuriatis apud populum universum exercebatur, ex lege XII tabularum. Cicero de Leg. lib. III, cap. 5. Perduellio enim crimen erat capitale, et populus solus morte multabat. Polyb. VI, 12. — *Recuperabit*. Verris damnatione.

7. *Ac, si de mea gloria*. Si quæritis

quæritis, judices, non est alienum meis rationibus, istum, mihi ex hoc judicio ereptum, ad illud populi romani judicium reservari. Splendida est illa causa[8]; probabilis mihi, et facilis; populo grata atque jucunda. Denique, si videor hic[9], id quod ego non quæsivi, de uno isto voluisse crescere; isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis[10] mihi crescere licebit.

LXVIII. Sed mehercules, vestra, reique publicæ causa, judices, nolo in hoc delecto consilio tantum flagitium esse commissum : nolo eos judices, quos ego probarim[1] atque delegerim, sic in hac urbe notatos, isto absoluto, ambulare, ut non cera[2], sed cœno obliti esse videantur. Quamobrem te quoque, Hortensi, si qui monendi[3] locus est, ex hoc loco moneo: videas etiam atque etiam, et consideres, quid agas, quo progrediare; quem hominem, et qua ratione defendas. Neque de illo quidquam tibi præ-

quam inde gloriam feram; dicam vobis, judices, non esse alienum meis rationibus, etc.

8. *Illa causa.* De perduellione. — *Probabilis.* Probari facilis. — *Populo grata.* Utpote cujus jura defendit.

9. *Si videor hic.* Subaud. quum urgeo ut severe judicetur.—*Crescere.* Laus enim et gloria pariter ex accusatione improborum. Pro Sex. Roscio : « Si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere ».

10. *De multis.* Amare, nec tamen obscure judicibus, qui se Verris largitione corrumpi sinent, minitatur accusationem ad populum.

LXVIII. 1. *Quos ego probarim.* In rejectione. Quos enim non rejecit, hos probare visus est.

2. *Ut non cera.* Ceratas censorum tabulas significat, e quibus eradebantur eorum nomina, qui senatu movebantur. Hæc erat nota censoria, qua mali senatores, aut equites notari consueverant, et quam judicibus etiam suis, si prave judicaverint, minatur. Imò tanto majorem illis ex hac sua pravitate intentat ignominiam, quo majus erit illorum scelus in absolvendo homine improbissimo, et omnium sententiis damnato; itaque isto absoluto ambulabunt ita, ut non cera nota notati, quod usitatum est in pœnis censoriis, sed quod turpissimum est, cœno cooperti, et obliti esse videantur.

3. *Si qui monendi.* Amara parenthesis in superbiam Hortensii. Illum oblique hortatur ut recta laudabilique ra-

finio, quo minus ingenio mecum, atque omni dicendi facultate contendas. Cetera[4], si qua putas te occultius extra judicium, quæ ad judicium pertinent[5], facere posse; si quid artificio, consilio, potentia, gratia, copiis istius moliri cogitas, magnopere censeo desistas; et illa, quæ tentata jam et cœpta[6] ab isto sunt, a me autem pervestigata et cognita, moneo ut exstinguas[7], et longius progredi ne sinas. Magno tuo periculo peccabitur in hoc judicio; majore, quam putas.

Quod enim te liberatum[8] jam existimationis metu, defunctum honoribus, designatum consulem cogites: mihi crede, ornamenta ista et beneficia populi romani non minore negotio[9] retinentur, quam comparantur. Tulit hæc civitas, quoad potuit, quoad necesse fuit[10], regiam istam vestram dominationem[11] in judiciis et in omni republica; tulit: sed quo die populo romano tribuni plebis restituti sunt, omnia

tione Verrem defendat, nihilque præter ingenium et orationis facultatem ad causam afferat. Sic in Divin. c. 8. Plus enim audebat Hortensius sæpe in judiciis, ut jam dictum est.

4. *Cetera.* Pendet hoc a superiori verbo, *præfinio*. Non metas pono, inquit, eloquentiæ tuæ et iis rationibus in judicio licitis, sed cetera præfinio, quæ sunt extra judicium, quibus non fas uti, quia ad judicium corrumpendum pertinent: qualia sunt, « artificium, consilium » quibus uti soles in obtinenda reorum nocentium absolutione: « potentia, gratia », quibus vales, quum sis consul designatus; « copiæ istius », seu largitiones ex pecunia Siciliensi. Si ex his quinque aliquam vim paras; « si quid moliris, etc. »

5. Ernest. *pertineant*. J. V. L.

6. *Et cœpta.* Vide Act. I, cap. 6.

7. Lambin. conjicit *restinguas*. — *Peccabitur.* A te.

8. *Liberatum.* Quod jam non times ne qua res lædere possit existimationem tuam, quum summum honorem consulatum, cujus causa de existimatione laboramus, obtinueris.

9. *Non minore negotio.* Labore, cura, virtute. Id est, Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

10. *Quoad necesse fuit.* Quamdiu defensoribus suis caruit populus. Usque eo necesse fuit, donec tribunitiam potestatem restituit Pompeius.

11. *Regiam... dominationem.* Invidiose in nobiles aliquot, Catulum, Hortensium, Curionem quos hic insectatur, et in quos illud etiam conjicitur lib. I, cap. 60: « Tantum dicam paucos homines ».

ista[12] vobis (si forte nondum intelligitis) adempta atque erepta sunt. Omnium nunc oculi conjecti[13] sunt, hoc ipso tempore, in unumquemque nostrum, qua fide ego accusem, qua religione hi judicent, qua tu ratione defendas.

De omnibus nobis, si quis tantulum de recta regione deflexerit, non illa tacita existimatio[14], quam antea contemnere solebatis, sed vehemens ac liberum populi romani judicium consequetur. Nulla[15] tibi, Quinte, cum isto cognatio est, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimium in aliquo judicio studium tuum[16] defendere solebas, earum habere in hoc homine nullam potes. Quæ iste in provincia palam dictitabat, quum ea, quæ faciebat, tua se fiducia[17] facere dicebat, ea ne vera putentur, tibi maximè est providendum.

LXIX. Ego mei jam rationem officii[1] confido esse

12. *Omnia ista.* Quæ pro vestra libidine, nullo populi romani metu, in judiciis et in omni republica faciebatis.

13. *Conjecti.* Ut si quis nostrum peccaverit, in eum populus per tribunos suos, uti mox dicetur, animadvertat.

14. *Existimatio.* Opinio. Nobilem, quamquam pessimum teterrimumque, nemo ad populum accusare poterat, tribunis plebis agendi jure ac potestate carentibus; quibus nunc restitutis, vehemens ac liberum populi romani judicium erit.

15. *Nulla tibi, Quinte.* Jam lenius agit cum Hortensio, et blandiori oratione se ad ejus aures insinuat, dum prænomine eum appellat; qua appellationis forma gaudebant molles Veterum auriculæ, ut ait Horat. II, sat. v, 32. Sed mox eum iterum nihilominus punget. — *Necessitudo.* Affinitas.

16. *Nimium..... studium tuum.* Tacita exprobratio in Hortensium, qui amicitia, aut necessitudini plus interdum, quam justitiæ tribuebat. — *In aliquo judicio.* Fortasse Varroniano, de quo in Divinat. cap. 14.

17. *Tua..... fiducia.* Fretum tuo artificio, consilio, potentia. Vid. Act. I, cap. 13.

LXIX. 1. *Rationem officii.* Nove dixit *persolvere rationem officii*, pro, satisfacere officio. — *Iniquissimis.* Obtrectatoribus. — *Paucis horis.* Hyperbol. pro paucis diebus. Dies novem in illa actione consumpti sunt. — *Condemnavi.* Ita nocentissimum eum esse ostendi, ut nemo mortalium condemnandum eum non putaret.

omnibus iniquissimis meis persolutam. Nam istum, paucis horis primæ actionis, omnium mortalium sententiis condemnavi. Reliquum judicium non jam de mea fide, quæ perspecta est, neque de istius vita, quæ damnata est, sed de judicibus, et, vere ut dicam, de te futurum est. At quo tempore futurum est? nam id maxime providendum est: etenim quum omnibus in rebus, tum in republica permagni momenti est ratio atque inclinatio temporum: nempe eo, quum populus romanus aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res judicandas requirit; nempe ea lege[2] de judiciis judicibusque novis promulgata, quam non is promulgavit, cujus nomine proscriptam[3] videtis, sed hic reus; hic, inquam, sua spe, atque opinione, quam de vobis habet, legem illam scribendam promulgandamque curavit.

Itaque quum primo agere cœpimus, lex non erat promulgata: quum iste, vestra severitate permotus, multa signa dederat, quamobrem responsurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat. Posteaquam iste recreari[4] et confirmari visus est, lex statim promulgata est: cui legi quum vestra dignitas vehementer adversetur[5], istius spes falsa, et insignis impu-

2. *Ea lege.* Eo temporis articulo quo suam legem promulgavit Cotta, de judiciis cum equestri ordine et tribunis ærariis communicandis. De ea re vid. Divin. cap. 3, et Act. I, cap. 15.

3. *Proscriptam.* Id est, propositam. Leges antequam ferrentur, subscripto latoris nomine, palam spectandæ, ac legendæ proponi solebant. — *Sed hic reus.* Invidiose in Verrem, quem auctorem (causam dicere noluit, quia illud magis exaggerat) legis Cottæ fuisse ait, « sua spe et opinione quam de vobis habet », et quam præ se tulit, judiciorum corrumpendorum. Act. I, cap. 13.

4. *Recreari.* Recreatus est post comitia, quibus Hortensium et Metellum, sibi amicissimos, designatos consules vidit. Vid. Act. I, cap. 9.

5. *Adversetur.* Quia vobis lectissimis viris judicibus populus legem ferri non putat oportere. Sed spes, quam licet falsam Verres habet vos corrumpendi, et ea qua præditus est impudentia, ita ut a nullo corrumpendi judicii genere abstinere videatur, suffragantur legi; et faciunt ut populus

dentia maxime suffragatur. Hic[6] si quid erit commissum a quoquam vestrum, quod reprehendatur: aut populus romanus judicabit de eo homine, quem jam antea judiciis indignum putavit; aut ii, qui, propter offensionem judiciorum, de veteribus judicibus lege nova novi judices erunt constituti.

LXX. Mihi porro, ut ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quam longe progredi[1] sit necesse? Potero silere, Hortensi? potero dissimulare, quum tantum respublica vulnus acceperit, ut expilatæ provinciæ, vexati socii, dii immortales spoliati, cives romani cruciati et necati impune, me[2] actore,

suspectos judices habeat et alium omnino ordinem (equestrem) ad res judicandas nova lege quærat.

6. *Hic.* Si quisquam vestrum hoc in se admiserit, ut vel se corrumpi pateretur vel alios corrumperet, aut populus rom. quicum ipse anno proximo pro Rostris agam (Verr. Act. I, 12), de eo homine judicabit, cui, disceptante populo rom. mecum rem futuram denuntio, quem priore actione, quum tam apertus perduellio ei visus est, ut in præsentia mactandum existimaret, legitimo judicio indignum censebat; aut si minus universus populus non judicarit, certe populi nomine, ii judicabunt qui lege Aurelia perlata novi erunt in istos véteres judices constituti. Just. Calidius Ernest. pro « eo homine » in qua lectione omnes MSS consentiunt, reposuit ex Manut. « eo ordine ». Nam si tantum aliquot judices in hoc Verris judicio aliquid commisissent, non propterea de toto ordine judicasset populus. Ceterum Schütz. cujus hanc notam expressimus, putat « de eo homine » non ad Verrem, sed ad judicum quemquam pertinere. Quum enim, ait, non de omnibus aut plurimis Cicero loquatur, qui de Verre erant judicaturi, sed tantum dicat « si quid ab uno aut altero fuerit commissum », ideoque hoc non necessario Verris absolutionem involvat, qui nihilominus damnari poterat, etiamsi vel decem judices eum absolvissent, non poterat dici Verrem vel a populo, vel a novis judicibus judicatum iri. Singularis quidem hæc est h. l. defensio, et satis per se vera; verum nescio cur corrupto illi judici minetur Cicero, hunc ante novos corruptorum judicum judices a se sistendum iri judicatum, quum nihil mirum sit corruptum judicem a corruptorum judicum judicibus esse judicandum, et insolens tantum iteratio esse videatur.

LXX. 1. *Quam longe progredi.* Non in hoc judicio, si Verres elabetur, actio mea finem inveniet; cogar apud populum romanum eamdem causam agere; cogar sociorum, deorum immortalium, civium romanorum injurias persequi.

2. *Me actore.* Accusatore me potissimum, me legum defensore, me innocentiæ ultore.

esse videantur? potero hoc ego onus tantum, aut in hoc judicio deponere[3], aut diutius tacitus sustinere? non agitanda res erit? non in medium proferenda? non populi romani fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, ut aut fidem suam corrumpi paterentur, aut judicium corrumperent, in discrimen ac judicium vocandi?

Quæret aliquis[4] fortasse: Tantumne igitur laborem, tantas inimicitias tot hominum suscepturus es? Non studio quidem hercule ullo, neque voluntate: sed non idem mihi licet, quod iis[5], qui nobili genere nati sunt; quibus omnia populi romani beneficia dormientibus deferuntur. Longe alia mihi lege in hac civitate et conditione vivendum est. Venit enim mihi in mentem M. Catonis[6], hominis sapientissimi, qui quum se virtute, non genere, populo romano commendari putaret, quum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias, et maximis in laboribus, usque ad summam senectutem, summa cum gloria vixit.

Postea Q. Pompeius[7], humili atque obscuro loco

3. *Deponere.* Spem, sive munus defensionis et accusationis.— *Diutius.* Aut longum in tempus differre. — *Non agitanda.* Statim agenda vehementius. — *Fidem suam.* Hoc ad judices pertinet. — *Corrumperent.* Illud ad Hortensium spectat.

4. *Quæret aliquis.* Prolepsis qua transit ad insectationem ignavæ nobilitatis.

5. *Non idem mihi licet, quod iis.* Desidiose vivere et honores consequi.

6. *M. Catonis.* Majoris, seu censorii. -- *Non genere.* Quia novus homo erat, Tusculi natus. — *Commendari.* Subaud. debere. — *Hominum potentissimorum.* Africanorum; L. et T. Flaminiorum; totius denique nobilitatis. Vide Divin. cap. 20; Livium, lib. XXXIX, cap. 42, 43, 44.— *Maximis in laboribus.* Sæpe accusans, sæpius accusatus. Nam quadragies causam dixit, et toties absolutus est. Plutarch. pag. 344. Val. Max. lib. III, cap. 7.— *Ad summam senectutem.* Anno ætatis 86 obiisse creditur.

7. *Pompeius.* Cognomento *Rufus.* Creditus est tibicinis filius. Consulatum gessit cum Cn. Servilio Cæpione anno Urbis 612. Prius quæstura, et

natus, nonne plurimis inimicitiis, maximisque suis periculis ac laboribus amplissimos honores est adeptus? Modo C. Fimbriam[8], C. Marium, C. Cœlium vidimus, non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos vos per ludum et per negligentiam pervenistis. Hæc eadem est nostræ rationis regio et via; horum nos hominum sectam atque instituta persequimur.

LXXI. Videmus, quanta sit in invidia, quantoque in odio apud quosdam homines nobiles novorum hominum[1] virtus et industria; si tantulum oculos dejecerimus[2], præsto esse insidias; si ullum locum aperuerimus suspicioni aut crimini, accipiendum esse statim vulnus; esse nobis semper vigilandum, semper laborandum videmus. Inimicitiæ sunt[3]? subeantur: labores? suscipiantur. Etenim tacitæ magis et occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quam indictæ et apertæ.

aliis defunctus honoribus, inimicitias præcipue Metellorum et Cæpionum suscepit, qui testimonium in Q. Pompeium de repetundis accusatum acerrime dixerunt. Val. Max. lib. VIII, cap. 5, et lib. IX, cap. 3.

8. *C. Flavius Fimbria* cum Mario consul anno 649. Septemdecim annis postea occisus est, quum Marius exsul in Urbem rediisset. Flavius habitus est luculentus patronus, asper, maledicus, genere toto paullo fervidior, atque commotior; diligentia tamen et virtute animi, atque vita bonus auctor in senatu. De claris Orator. cap. 129. — *C. Marius.* Is est qui belli civilis auctor fuit. Supra cap. 10. — *C. Cœlius Caldus* nulla majorum commendatione maximos honores adeptus, consulatum gessit anno Urbis 659. Cicero agnoscit in Cœlio summam industriam, summasque virtutes, eloquentiæ tantum, quod esset in rebus privatis, amicis ejus, in republic. ipsius dignitati, satis. De claris Orator. cap. 165.

LXXI. 1. *Novorum hominum.* Sic appellabantur ii, qui primi e sua familia magistratus curules consequebantur. Horum parentes *ignobiles*, ipsi *novi*, subaud. nobiles, posteri eorum *nobiles* censebantur.

2. *Oculos dejecerimus.* Somno declinaverimus; id est, de contentione laboris assidua remiserimus, etc. Opponitur verbo *dormientibus*, quod præcedit.

3. *Inimicitiæ sunt.* Dicet aliquis: In ejusmodi vita, quam sequi destinas animo, inimicitiæ reperiuntur. Ita est; sed eas animo forti subibo, atque eo minus timendæ sunt, quod apertæ. — *Etenim tacitæ.... quam indictæ.* Sumpta locutio de bellis, quæ *indici* proprie dicuntur.

Hominum nobilium non fere quisquam nostræ industriæ favet; nullis nostris officiis benivolentiam illorum allicere possumus : quasi natura et genere[4] disjuncti sint, ita dissident a nobis animo ac voluntate. Quare quid habent[5] eorum inimicitiæ periculi, quorum animos jam ante habueris inimicos et invidos, quam ullas inimicitias susceperis?

Quamobrem[6] mihi, judices, optandum est illud, in hoc reo finem accusandi facere, quum et populo romano satisfactum, et receptum officium Siculis, necessariis meis, erit persolutum. Deliberatum autem est, si res opinionem meam, quam de vobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi, ad quos maxime culpa corrupti judicii, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit. Proinde si qui sunt, qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpendum judicium velint esse, ita sint parati, ut, disceptante[7] populo romano, mecum sibi rem

4. *Natura et genere.* Quum tamen hominem homini natura commendet, nec differant homines inter se genere, sed animo sæpe ac voluntate.—*Animo ac voluntate* separatim ponuntur, licet motus animi sit voluntas, itaque conjunguntur in epistola ad Rufum : « Credo me quidem tibi pro animi mei voluntate.... rescripsisse », et apud Lucretium libro II : « Ex animique voluntate id procedere primum ».

5. *Quare quid habent eorum inimicitiæ?* Periculi nihilo plus habent, quam habebant, antequam indictæ apertæque essent; idem enim semper animus fuit, inimicus videlicet, atque ad nocendum propensus. Itaque quum invidia sit virtutis comes, eo magis laborandum, ut tota vita nostra sit sanctissima meritisque gravissima.

6. *Quamobrem.* Correctio superiorum, a quibus hæc pendent, hoc sensu : Etsi fortem animum oppositurus sim nobilium inimicitiis, quas asperabo, quum Verre absoluto, judicii corruptores accusabo, malim tamen *in hoc reo finem accusandi facere.* Sed moneo iterum, iterumque.—*Deliberatum est, si res... ad quos maxime.* Hi sunt judices ipsi.

7. *Disceptante.* Judice populo romano, nam disceptare judicis est. Pro Milone : « isti est præpositus quæstioni, qui hæc juste, sapienterque disceptet ». Idem pro Dejotaro : « Si hanc causam in foro dicerem, eodem audiente, et disceptante te ». Interdum valet, litigo, contendo. Pro Balbo : « Qui non de suo facto, sed de publico jure disceptat ».

videant futuram : et, si me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, satis vehementem, satis perseverantem, satis vigilantem esse cognorunt ; existiment, in his hominibus, quorum ego inimicitias, populi romani salutis causa, suscepero, multo graviorem[8] atque acriorem futurum.

LXXII. Nunc te[1], Jupiter Optime Maxime, cujus iste donum regale[2], dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promissum, per nefarium scelus de regiis manibus[3] extorsit ; cujusque sanctissimum et pulcherrimum simulacrum Syracusis sustulit : teque, Juno Regina, cujus duo fana duabus in insulis posita sociorum, Melitæ et Sami, sanctissima et antiquissima, simili scelere idem iste omnibus donis ornamentisque nudavit : teque, Minerva, quam item iste duobus in clarissimis et religiosissimis templis expilavit, Athenis[4], quum auri grande pondus ; Syracusis, quum omnia, præter tectum et parietes, abstulit :

Teque, Latona, et Apollo, et Diana, quorum iste Deli[5] non fanum, sed, ut hominum opinio et religio fert, sedem antiquam, divinumque domicilium, nocturno latrocinio atque impetu compilavit : etiam te, Apollo, quem iste Chio[6] sustulit : teque etiam atque

8. *Multo graviorem*. Eo graviorem, quo major populi romani universi, quam unius provinciæ, habenda ratio est.

LXXII. 1. *Nunc te*. Conclusio hujus libri, et totius accusationis.

2. *Donum regale*. Antiochi regis candelabrum e gemmis auroque perfectum. Supra lib. IV, cap. 27. — *Cujus.... simulacrum*. Ibidem cap. 57.

3. Lambinus dat e MSS, *de manibus regiis*, forte ut aliquid mutare videatur. J. V. L. — *Melitæ*. Ibid. cap. 46.

4. *Athenis*. Ibid. cap. 20. — *Syracusis*. Ibid. cap. 55.

5. *Deli*. Lib. I, cap. 17. — *Sedem antiquam*. Nam Deli Apollinem et Dianam Latona peperisse creditur. Ibidem, cap. 18.

6. *Quem iste Chio sustulit*. Chio per vim signa quidem pulcherrima Verres abstulisse dicitur. Vid. lib. I,

Hominum nobilium non fere quisquam nostræ industriæ favet; nullis nostris officiis benivolentiam illorum allicere possumus : quasi natura et genere[4] disjuncti sint, ita dissident a nobis animo ac voluntate. Quare quid habent[5] eorum inimicitiæ periculi, quorum animos jam ante habueris inimicos et invidos, quam ullas inimicitias susceperis?

Quamobrem[6] mihi, judices, optandum est illud, in hoc reo finem accusandi facere, quum et populo romano satisfactum, et receptum officium Siculis, necessariis meis, erit persolutum. Deliberatum autem est, si res opinionem meam, quam de vobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi, ad quos maxime culpa corrupti judicii, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit. Proinde si qui sunt, qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpendum judicium velint esse, ita sint parati, ut, disceptante[7] populo romano, mecum sibi rem

4. *Natura et genere.* Quum tamen hominem homini natura commendet, nec differant homines inter se genere, sed animo sæpe ac voluntate.—*Animo ac voluntate* separatim ponuntur, licet motus animi sit voluntas, itaque conjunguntur in epistola ad Rufum : « Credo me quidem tibi pro animi mei voluntate.... rescripsisse », et apud Lucretium libro II : « Ex animique voluntate id procedere primum ».

5. *Quare quid habent eorum inimicitiæ?* Periculi nihilo plus habent, quam habebant, antequam indictæ apertæque essent; idem enim semper animus fuit, inimicus videlicet, atque ad nocendum propensus. Itaque quum invidia sit virtutis comes, eo magis laborandum, ut tota vita nostra sit sanctissima meritisque gravissima.

6. *Quamobrem.* Correctio superiorum, a quibus hæc pendent, hoc sensu: Etsi fortem animum oppositurus sim nobilium inimicitiis, quas asperabo, quum Verre absoluto, judicii corruptores accusabo, malim tamen *in hoc reo finem accusandi facere.* Sed moneo iterum, iterumque.—*Deliberatum est, si res... ad quos maxime.* Hi sunt judices ipsi.

7. *Disceptante.* Judice populo romano, nam disceptare judicis est. Pro Milone : « isti est præpositus quæstioni, qui hæc juste, sapienterque disceptet ». Idem pro Dejotaro : « Si hanc causam in foro dicerem, eodem audiente, et disceptante te ». Interdum valet, litigo, contendo. Pro Balbo : « Qui non de suo facto, sed de publico jure disceptat ».

videant futuram : et, si me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, satis vehementem, satis perseverantem, satis vigilantem esse cognorunt ; existiment, in his hominibus, quorum ego inimicitias, populi romani salutis causa, suscepero, multo graviorem[8] atque acriorem futurum.

LXXII. Nunc te[1], Jupiter Optime Maxime, cujus iste donum regale[2], dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promissum, per nefarium scelus de regiis manibus[3] extorsit ; cujusque sanctissimum et pulcherrimum simulacrum Syracusis sustulit : teque, Juno Regina, cujus duo fana duabus in insulis posita sociorum, Melitæ et Sami, sanctissima et antiquissima, simili scelere idem iste omnibus donis ornamentisque nudavit: teque, Minerva, quam item iste duobus in clarissimis et religiosissimis templis expilavit, Athenis[4], quum auri grande pondus ; Syracusis, quum omnia, præter tectum et parietes, abstulit :

Teque, Latona, et Apollo, et Diana, quorum iste Deli[5] non fanum, sed, ut hominum opinio et religio fert, sedem antiquam, divinumque domicilium, nocturno latrocinio atque impetu compilavit : etiam te, Apollo, quem iste Chio[6] sustulit : teque etiam atque

8. *Multo graviorem.* Eo graviorem, quo major populi romani universi, quam unius provinciæ, habenda ratio est.

LXXII. 1. *Nunc te.* Conclusio hujus libri, et totius accusationis.

2. *Donum regale.* Antiochi regis candelabrum e gemmis auroque perfectum. Supra lib. IV, cap. 27. — *Cujus.... simulacrum.* Ibidem cap. 57.

3. Lambinus dat e MSS, *de manibus regiis*, forte ut aliquid mutare videatur. J. V. L. — *Melitæ.* Ibid. cap. 46.

4. *Athenis.* Ibid. cap. 20. — *Syracusis.* Ibid. cap. 55.

5. *Deli.* Lib. I, cap. 17. — *Sedem antiquam.* Nam Deli Apollinem et Dianam Latona peperisse creditur. Ibidem, cap. 18.

6. *Quem iste Chio sustulit.* Chio per vim signa quidem pulcherrima Verres abstulisse dicitur. Vid. lib. I,

etiam, Diana, quam Pergæ[7] spoliavit; cujus simulacrum sanctissimum Segestæ, bis apud Segestanos consecratum, semel ipsorum religione, iterum P. Africani victoria, tollendum asportandumque curavit: teque, Mercuri[8], quem Verres in villa et in privata aliqua palæstra posuit, P. Africanus in urbe sociorum, et in gymnasio Tyndaritanorum, juventutis illorum custodem ac præsidem voluit esse:

Teque, Hercules[9], quem iste Agrigenti, nocte intempesta, servorum instructa et comparata manu, convellere ex suis sedibus, atque auferre conatus est: teque, sanctissima Mater Idæa[10], quam apud Enguinos augustissimo et religiosissimo in templo sic spoliatam reliquit, ut nunc nomen modo Africani, et vestigia violatæ religionis maneant, monumenta victoriæ fanique ornamenta non exstent: vosque, omnium rerum[11] forensium, consiliorum maximorum, legum, judiciorumque arbitri et testes, celeberrimo in loco prætorii[12] locati, Castor et Pollux, quorum e templo[13] quæstum sibi iste et prædam maximam improbissime comparavit: omnesque dii,

c. 19. Sed nullum profertur nominatim.

7. *Quam Pergæ.* Ibidem cap. 20. — *Simulacrum..... Segestæ.* Lib. IV, cap. 33.

8. *Teque, Mercuri.* Quem Verres a Tyndaritanis abstulit. Lib. IV, c. 39.

9. *Teque, Hercules.* Lib. IV, c. 43.

10. *Mater Idæa.* Mater Magna, seu Cybele, dicta *Idæa* ab Ida, monte Phrygiæ. Hujus fanum erat apud Enguinos. Lib. IV, cap. 44. Enguium et Enguion Siciliæ oppidum fuit, nunc funditus deletum. Vid. Cluver. Siciliæ antiquæ lib. II, cap. 11.

11. *Omnium rerum.* In foro, in quo templum erat Castoris et Pollucis, erant etiam Rostra et comitium, in quibus de legibus, de judiciis, de maximis reipublicæ negotiis quotidie fere agebatur; quare eos deos orator *rerum forensium*, *consiliorum*, etc. *testes* appellat; et *arbitri* hoc dictum est perinde ac si ex alto suo delubro ii dominarentur in foro et inde judicia moderarentur.

12. *In loco prætorii.* Hic subesse mendum putaverunt docti. Sed credere licet Ciceronem *prætorii* nomen dedisse huic loco, huic tribunali ubi prætores judicia exercebant.

13. *Quorum e templo.* Hæc tota res narratur libro primo, cap. 50 et seqq.

qui vehiculis [14] thensarum solemnes cœtus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quæstum, non ad religionum dignitatem, faciendum exigendumque curavit:

Teque, Ceres [15] et Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis cærimoniis continentur; a quibus initia vitæ atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus et civitatibus data ac dispertita esse dicuntur; quarum sacra populus romanus a Græcis adscita et accepta, tanta religione, et publice, et privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, sed ut ceteris hinc tradita esse videantur; quæ ab isto uno [16] sic polluta et violata sunt ut, simulacrum Cereris unum, quod a viro non modo tangi, sed ne adspici quidem fas fuit, e sacrario Catinæ convellendum auferendumque curaverit; alterum autem Ennæ ex sua sede ac domo sustulerit, quod erat tale, ut homines, quum viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris, non humana manu factam, sed cælo delapsam, arbitrarentur:

14. *Qui vehiculis.* Lib. I, cap. 59. — *Quorum iter.* Viam qua solemni pompa ad ludos ducimini. — *Exigendum* ab iis, quibus faciendum locaverat.

15. *Teque, Ceres.* Fabulam repete ex lib. IV, cap. 48. — *Atque occultissimis.* Propter earumdem cærimoniarum turpitudinem. Lege Arnob. lib. V; Lud. Vivem, lib. VII, cap. 20; August. de Civ. Dei. — *Initia vitæ.* Ceres invenit fruges, et ex iis panis conficiendi rationem docuit, quod fuit quodammodo initium vitæ humanæ. — *Legum* Ceres inventrix esse creditur, unde sacra quædam ipsius Thesmophoriæ, id est, *legum latio*, vocabantur. Serv. ad Æn. IV, 58. Addit orator *morum*, quia frugum inventione homines, qui passim in agris, ferarum more, vagabantur, Ceres unum in locum congregavit, et a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deduxit, et leges eis, juraque descripsit.

16. *Ab isto uno.* Notabimus vim vocis *uno;* quasi dicat, ab istorum sacrorum origine, ex tot impiis hominibus unum Verrem inventum fuisse, qui eo impietatis progrederetur, ut ea violaret. — *Catinæ.* Lib. IV, cap. 45.

Vos etiam atque etiam imploro et appello, sanctissimæ deæ[17], quæ illos Ennenses lacus lucosque colitis, cunctæque Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita est, præsidetis; a quibus inventis frugibus, et in orbem terrarum distributis, omnes gentes ac nationes vestri religione numinis continentur: ceteros item deos deasque omnes imploro atque obtestor, quorum templis et religionibus iste, nefario quodam furore et audacia instinctus, bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum: ut, si in hoc reo, atque in hac causa, omnia mea consilia ad salutem sociorum, dignitatem populi romani, fidem meam[18] spectaverunt; si nullam ad rem, nisi ad officium et veritatem omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationesque elaborarunt; quæ mea mens in suscipienda causa fuit, fides in agenda, eadem vestra[19] in judicanda sit:

Denique uti C. Verrem, si ejus omnia sunt inaudita et singularia facinora sceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis, dignus exitus ejusmodi vita atque factis vestro judicio consequatur: utque respublica[20], meaque fides una hac accusatione mea contenta sit; mihique posthac bonos potius defendere liceat, quam improbos accusare necesse sit.

17. *Sanctissimæ deæ.* Ceres et Libera. — *Colitis.* Lambinus dedit *incolitis.*

18. *Fidem meam.* Id est, ad exsequendum eum fide quod Siculis rogantibus eram pollicitus.— *Veritatem.* Æquitatem.

19. *Eadem vestra.* Sermonem ad judices convertit, quamquam deorum imploratione sententiam sit exorsus.

20. *Utque respublica, meaque fides.* Ut sufficiat una hæc accusatio mea et reipublicæ, cujus leges et jura tuenda susceperam; et Siculis necessariis meis, quorum vitam, salutemque defendendam in me receperam; neque Verris absolutio mihi iterum accusandi necessitatem afferat.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO A. CAECINA

ARGUMENTUM

ORATIONIS PRO A. CÆCINA*.

M. Fulcinius e municipio Tarquiniensi, domi honestus, Romæ argentariam non ignobilem fecit. Is habuit in matrimonio Cæseniam, cui fundum in agro Tarquiniensi vendidit, temporibus Sullanis, quibus æs alienum summa difficultate dissolvebatur, et quum uteretur dote mulieris numerata, quo mulieri res esset cautior, curavit ut dos in illo fundo collocaretur. Aliquanto post Fulcinius prædia quædam mercatur, huic fundo continentia. Inde quum mors ei instaret, testamento fecit heredem filium, quem ex Cæsennia habebat; uxori autem usum fructum omnium bonorum legavit, ut frueretur una cum filio. Brevi tempore hic M. Fulcinius filius adolescens mortuus est; heredem fecit P. Cæsennium, uxori grande pondus argenti, matri partem bonorum majorem legavit. Quum igitur auctio hereditaria Romæ esset instituta, Cæsennia, cui amici et cognati suaserant, ut fundum illum antiquo suo fundo continentem emeret, mandat hoc negotium Sex. Æbutio, qui se in ejus familiaritatem insinuaverat,

* *Pro A. Cæcina. Pro A. Licinio* citat Gell. lib. VI, c. 16. Idem et prænomen et nomen fuit Archiæ poetæ, pro quo item egregia Ciceronis exstat oratio: id neminem conturbare debet. Etenim *Cæcinis* quoque nomen fuisse Licinii auctor est Plinius in lib. XX, cap. 18. Mirum tamen quod non, ut ambiguitatem vitaret, hanc orationem Gellius *pro Cæcina* inscripserit. Cæcina nomen Hetruscum, eoque nomine fuit atavus Mæcenatis. Menodorus enim, qui Cæsari adversus Pompeium adfuit, pater fuit Mæcenatis, Menodori Menippus, Menippi Cæcina. Si a Cæcino fluvio Italiæ cognomen *sumpsere* Cæcinæ, ut Ufens Virgilii, unico *n* scribi debet nomen istud: et *Cæcina* scribitur apud Plinium. Rationem Etruscæ disciplinæ a patre nobilissimo et sapientissimo acceperat. Cic. Epist. VI, 6. Videtur ex patre Mæcenatis. Iterum ibid. vocat « Etruriæ nobilissimum », et hic in peroratione, « Etruriæ amplissimum ». Lib. VI, ad Div. tres Ciceronis epistolæ ad hunc Cæcinam leguntur, et una Cæcinæ ad Ciceronem. Ex prima intelligitur exsulem fuisse Cæcinam, ut Pompeianum, et ob librum in Cæsarem scriptum. In ea, quæ est ipsius Cæcinæ, se clientem veterem Ciceronis vocat, et mittit alterum librum de laudibus Cæsaris. Meminit etiam ep. 66, lib. XIII, ad Div. ubi salutem Cæcinæ commendat Servilio Cæsaris collegæ. In epist. 5, lib. XVI, ad Att. « Octavianus misit ad me Cæcinam quemdam Volaterranum » : sed non de hoc loqui videtur.

quoque mulier jam cognitore utebatur, ut fundum istum emeret. Adest ad tabulam Æbutius, licetur, addicitur ei fundus, pecunia a Cæsennia solvitur. Ita Cæsennia fundum hunc possedit locavitque, neque ita multo post A. Licinio Cæcinæ Volaterrano nupsit. Aliquanto post facto testamento moritur; facit heredem Cæcinam ex deunce et semuncia ($= 11\frac{1}{2}$ duodecimas, sive $\frac{11}{12} + \frac{1}{24}$ totius hereditatis), ex duabus sextulis (h. e. $\frac{2}{6}$ unciæ $= \frac{2}{72}$) M. Fulcinium libertum superioris mariti, Æbutio sextulam ($\frac{1}{72}$) legat mercedem assiduitatis et molestiæ sua causa susceptæ. Is primum calumniatus est Cæcinam heredem esse non posse, ob civitatem Volaterranis ademptam, deinde fundum quem Cæsenniæ mandato huic mulieri emerat, suum esse, seque sibi emisse dixit. Itaque placuit Cæcinæ constituere, quo die in rem præsentem veniretur, ut de fundo Cæcina moribus deduceretur. Mos enim erat in possessionum controversiis, ut uterque litigantium in fundum controversum advocatis testibus conveniret, alter autem qui eum naturaliter possidebat, alterum de fundo deduceret, moribus, i. e. vi civili, quæ etiam quotidiana, s. festucaria dicebatur. Is igitur qui fundo, quem vindicabat, deductus esset, prætorem adibat, petebatque ut restitueretur. Cæcina quum dies ex utriusque commodo sumptus esset, venit in castellum Axiam, ex quo loco fundus ille non longe aberat. Æbutius Cæcinæ denuntiat se armatos habere, abiturum eum non esse, si accederet. Cæcinæ tamen placuit experiri. Itaque quum primum in antiquum fundum ingredi vellet, frequentes armati obstiterunt. Tum ad eum fundum, de quo agebatur, profectus una cum amicis et advocatis ab armatis hominibus aditu prohibetur. Hæc erat vis vera, vel solida. Itaque, ut consuetudo erat, ex lege de vi hominibus armatis prætor P. Dolabella interdixit, ut Æbutius, unde Cæcinam dejecisset, eo restitueret: sine ulla exceptione, cujusmodi exceptio interdum addi solebat: extra quam si dejecisset ex eo loco, quem ipse possideret. Æbutius restituisse se dixit, quod ut Hottomannus recte exposuit, non sic accipiendum est, quasi revera se in fundum litigiosum reduxisse Cæcinam contenderet. Sed hoc eam vim habebat, quasi diceret, se restituere non debere. Itaque lis omnis versabatur in verbis interdicti prætoris interpretandis. Cicero ipse Orat. cap. 19: « Tota mihi, inquit, causa pro Cæcina de verbis interdicti fuit. Res involutas

definiendo explicavimus, jus civile laudavimus, verba ambigua distinximus ».

In exordio Cicero Æbutium perstringit, qui ut audax fuerit in convocandis hominibus et armandis, sic impudens in judicio, cap. 1. Simul judices (qui ubi de possessione certabatur *recuperatores* appellari solebant) monet, ne impudentia Æbutii decipiantur, ut constituta jam re, quid agi potuerit, aut quid possit, non quid actum sit, quærant, ideoque iniquam judicandi moram ac religionem sibi injici patiantur, 1-3.

Sequitur narratio rei gestæ, 4-8.

Jam confirmationem aggreditur Cicero sic, ut doceat Cæcinam non minus a stultitia Æbutii sublevari, quam ejus improbitate lædi. Improbum fuisse, quod coactis armatisque hominibus vim fecerit; stultum, quod id se fecisse confessus sit, et testes ejus rei adduxerit; quare se ejus confessione et testimoniis usurum, 9, ostendit, simulque testes ipsos, in primis Fidiculanium Falculam perstringit, 10. Certum igitur esse demonstrat vim factam esse ab Æbutio, non enim illam defensionem valere : *Non dejeci, sed obstiti*, 11. Itaque Cæcinæ actionem ex prætoris interdicto competere; in quo defensor Æbutii C. Piso refutatur, qui in hac causa nullam esse ex prætoris interdicto actionem contenderat, 12-14.

Jam accedit ad aliud defensoris Æbutii argumentum, quo vim Cæcinæ factam esse negaverat. Id igitur Cicero refutat explicando, quid communi usu dicatur vim facere, idque tum more majorum, tum ipsius Æbutii judicio confirmat, 15-17. Præterea quum voluntas et consilium et sententia interdicti intelligatur, aut impudentiam summam, aut stultitiam singularem esse, in verborum errore versari, et sensu verborum prætoris cognito, singula verba subtiliter exquirendo in frigida et jejuna calumnia delitescere, 18-22. Nihil igitur illud Pisonis esse : *non dejeci si non sivi accedere*, 23. Et quia Piso dixerat interdum jurisconsultis non esse obtemperandum, juris civilis auctoritas a Cicerone defenditur, 24, seqq. Multum vero populi romani interesse docetur, juris sententiam et æquitatem plurimum valere, non verbo et litera torqueri. Quod autem adversarii dicant C. Aquillium JCtum auctorem esse defensionis, qua Cicero pro Cæcina utatur, in eo propter summam hominis dignitatem magnam a se gratiam

inire. Mirum autem esse cur suum auctorem non nominent, quem dicant contra Cæcinam sentire, 27. Jam Cicero narrat se aliquem JCtum convenisse, ut opinatur, illum ipsum, quo Æbutius et Piso auctore utantur. Eum sibi respondisse rem et sententiam prætoris cum Cæcinæ causa facere; verbo autem eum excludi; a verbo autem non posse recedi. Adjecisse tamen eum quasi consolandi sui causa; nihil esse, quod Cæcinæ causa laboraret; quia enim prætor interdixerit, ut Cæcina unde dejectus esset, eo restitueretur, Æbutium qui fateatur aliquo ex loco dejectum esse Cæcinam, non potuisse justa sponsione contendere, se Cæcinam restituisse. Ex hac igitur ratione, cujus ipse non modo inventorem, sed ne probatorem quidem esse profitebatur, Cicero contra Æbutium disputat, ostenditque hac quoque ratione Cæcinam causam suam obtinere. Si enim non sit ex eo loco dejectus, quo prohibitus sit accedere; at ex eo esse dejectum, quo accesserit, unde fugerit; et si prætor non distinxerit locum, quo Cæcinam restitui juberet et restitui jusserit, non esse eum ex decreto restitutum, 28-31. Jam alia Pisonis ratio refellitur, qua usus dixerat, eum dejici posse, qui tum possideat, qui non possideat nullo modo posse. Cicero ostendit primum in hoc Pisonem sibi ipsi repugnare; deinde in prætoris interdicto additam non esse formulam, *si possederit Cæcina;* denique illum ipsum fundum, quo de agatur, Cæcinam jure possedisse, 32. Postremo argumentum Pisonis, quod Volaterranis civitas lege Cornelia Sullæ adempta sit, ita refutat, ut doceat nec civitatem iis jure adimi potuisse, præsertim quum Sulla ipse in legem istam adscripserit: *si quid jus non esset rogari ejus ea lege nihilum rogatum;* et præterea Sulla hac lege non sustulerit nexa atque hereditates, 33-35.

Extrema oratione Cæcina judicibus a dignitate commendatur, et argumenta in confirmatione tractata breviter repetuntur, 36.

Ceterum hæc oratio habita est actione tertia, posteaquam judices, quum sibi rem nondum liquere pronuntiassent, bis ampliaverant.

Quo anno habita sit, haud satis constat. Neque vero in quem annum prætura P. Dolabellæ inciderit, exploratum habemus. Verisimile tamen est vel A. U. C. 684, vel anno sequenti, Cæcinam a Cicerone defensum esse.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO A. CAECINA.

ORATIO UNDECIMA.

I. Si, quantum[1] in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret, non minus nunc in causa cederet A. Cæcina Sext. Æbutii impudentiæ, quam tum in vi faciunda cessit audaciæ. Verum et illud considerati hominis esse putavit[2], qua de re jure decertari[3] oporteret, armis non contendere; et hoc constantis, quicum vi et armis certare noluisset, eum jure judicioque su-

I. 1. *Si quantum.* Hoc initio benivolentiam a clientis pariter et adversarii persona conciliat: quum hujus audaciam et impudentiam cum illius moderatione et constantia comparat. Hottom. — *Tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret.* Romæ in foro judicia exercebantur; privata plurimum in comitio: ut apparet ex lib. Macrobii, Saturn. III, Plauto in Pænulo, et Varrone de Ling. Lat. IV. Comitium autem in foro fuisse Plin. lib. XV, demonstrat his verbis: «Colitur ficus arbor in foro ipso, atque comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis». Idem.

2. *Considerati hominis esse putavit.* Quum illius cessit audaciæ, et se in fugam conjecit. Hoc enim dicit, ut consideratione et prudentia adductus, non autem ignavia et inani metu perculsus fuisse Cæcina videatur. Idem.

3. Cod. Erf. *deceptari;* unde Græviius mallet *disceptari.* J. V. L.

perare[4]. Ac mihi quidem quum audax præcipue fuisse videtur Æbutius in convocandis hominibus, et armandis; tum impudens in judicio: non solum quod in judicium venire ausus est (nam id quidem, tametsi improbe fit in aperta re, tamen malitia[5] est jam usitatum), sed quod non dubitavit id ipsum, quod arguitur, confiteri[6]. Nisi forte hoc rationis habuit[7], quoniam, si facta vis esset moribus[8], superior in possessione retinenda[9] non fuisset; quia contra jus moremque facta sit[10], A. Cæcinam cum amicis metu perterritum profugisse: nunc quoque in judicio, si

4. *Jure judicioque superare. Jus*, quod prætor decrevit, quum *judicium* constituit: *judicium*, judicum, sive recuperatorum a prætore datorum cognitio atque disceptatio. Hottom. — Diversa sunt *jus* et *judicium*. Nam jure superare potest quis æquitate et bonitate causæ, qui tamen non superet judicio, ut plerumque malæ causæ culpa judicum obtinentur, et judicio superior, qui causa inferior et jure. Passerat.

5. *Malitia*. Cic. de Nat. Deor. III: «Malitia est versuta et fallax nocendi ratio». Ea prudentiam imitatur. Cic. in Partit. Verum Terent. malitiam vocavit nimis asperam juris interpretationem: «Jus summum summa malitia est». Idem.

6. *Non dubitavit id ipsum, quod arguitur, confiteri*. Convocatos a se homines, et armatos fuisse: sed dissimulat Cicero defensionem Æbutii. Defendebat enim, quantum ego existimare possum, se ob eam causam armasse, ne vis sibi afferretur, ac de suo fundo vi a Cæcina dejiceretur; quin etiam non modo id confitebatur, sed etiam profitebatur, ac præ se ferebat; testes enim eos ipse sumpserat, quemadmodum Cæcina in ipsius fundum per vim armatis hominibus ingredi conatus esset, et eum prohibuisset, non dejecisset. Atque hoc videlicet quasi gravissimo in sua causa firmamento utebatur: infra. Hott.

7. *Nisi hoc rationis habuit*. Quasi diceret: Si ex fundo vi armata dejectus esset Cæcina, facile agnosceret Æbutius, prætoris interdicto restitui illum oportere. Nunc vero quum is, qui fundum ingressus non sit, dejici inde non potuerit, sed metu perterritus profugerit, nullam ei actionem dari posse. Voluit autem Æbutius ad solam atrocem vim, quæ vulnerationem, quæ cædem, quæ occisionem haberet, hoc interdictum pertinere: eique tantum competere, qui de possessione esset dejectus, quum solum armorum terrorem, ut videamur armis dejecti, sufficere Ulpianus rescripserit. Jac. Omphalius.

8. *Quoniam si facta vis non esset moribus*. De his vide Excurs. I ad calcem hujus orationis.

9. *Superior in possessione retinenda*. Quasi facto docuisset Cæcina se possedisse heredem uxoris. Passerat.

10. *Quia contra jus moremque fa-*

causa more institutoque omnium defendatur, nos inferiores in agendo non futuros; sin a consuetudine recedatur [11], se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum. Quasi vero aut in judicio possit idem improbitas, quod in vi confidentia [12]; aut nos non eo libentius tum audaciæ cesserimus, quo nunc impudentiæ facilius obsisteremus. Itaque longe alia ratione, recuperatores [13], ad agendam causam hac

cta sit. Contra jus scriptum, et institutum deducendi et vi quotidiana festucariaque manus conserendi: juris vero civilis pars est mos. Passer. — *Si causa more, institutoque omnium defendatur.* Si nobis permittatur uti hoc interdicto, et ex eo restituamur. Dicit hunc esse morem majorum, ut dominus de suo fundo depulsus et in eum ingredi prohibitus (quamvis re vera dejectus non sit, si verba consectemur) uti possit hoc interdicto. Æbutius qui Cæcinam neque dominum, neque possessorem esse diceret, negabat ei uti hoc interdicto licere, quod dominis aut possessoribus tantum datur. Hottom.

11. *Sin e consuetudine recedatur.* Lambinus corrigit illud *sin e consuetudine recedatur.* Ergo non video cur *a*, quam *e* post verbum *recedatur*, aptior propositio sit. Cicero quum particulam *unde* vim utriusque harum præpositionum duarum habere docet, etiam quid eæ inter se differant, ostendit infra exemplis pluribus, ex qua ratione, quomodo ipse ad Atticum scribit, « Advola in Formianum, unde nos pridie non. mart. recedere cogitamus »; certe *unde* non a Formiano valet, sed ex Formiano, id est, non ex propinquo Formiano loco aliquo, sed ex Formiano ipso. P. Faber.

12. *Quasi vero aut in judicio possit idem improbitas, quod in vi confidentia.* Quasi vero in foro tantum valeat impudentia, quod in vi audacia. *Improbitas* est impudentia. *Confidentia* est audacia. Cic. Tuscul. III: « Qui fortis est, idem est fidens, qui confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur ». Plautus utrumque conjunxit in Amphit. « Quis me audacior est homo, aut qui confidentior? » —*Aut nos non eo libentius tum audaciæ cesserimus, quo nunc impudentiæ.* Impudentia audaciæ finitima. Unde Plautus Amph. « Quid illa impudente audacius? » Verum audacia facinori, impudentia flagitio propior. Terent. Heaut. « O hominis impudentem audaciam! » Passer.

13. *Recuperatores.* In privatis judiciis arbitratu prætoris aut *judex* dabatur unus, qui de facto cognosceret; aut *recuperatores* tres: neque vero certas fuisse causas existimandum est, in quibus modo *judex*, modo *recuperatores* darentur, ut plerique putant, in controversiis possessionum *recuperatores* dari solitos: nam et de injuriarum causa ad *recuperatores* acta mentio fit apud Gell. lib. XX, cap. 1, et lib. de Invent. II, et de corona murali apud Livium lib. XXXVI. De furto item apud Plautum in Rud.

actione[14] venio, atque initio veneram. Tum enim nostræ causæ spes erat posita in defensione mea, nunc in confessione adversarii; tum in nostris, nunc vero in illorum testibus : de quibus ego antea laborabam, ne, si improbi essent, falsi aliquid dicerent; si probi existimarentur, quod dixissent, probarent: nunc sum animo æquissimo. Si enim sunt viri boni; me adjuvant, quum id jurati dicunt, quod ego injuratus insimulo : sin autem minus idonei; me non lædunt, quum, iis sive creditur[15], creditur hoc ipsum, quod nos arguimus[16]; sive fides non habetur, de adversarii testium fide derogatur.

II. Verumtamen quum illorum causæ actionem considero; non video, quid impudentius dici possit: quum autem vestram in judicando dubitationem[1]; vereor, ne id, quod videntur impudenter fecisse, astute et callide fecerint. Nam, si negassent vim hominibus armatis esse factam, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur; sin confessi essent,

quum temere virginem quam Plesidippo adolescenti tradiderat, ejusque nomine arrabonem acceperat, abduxisset : « Quis me est (inquit) mortalium miserior, quem modo damnavit ad recuperatores Plesidippus ? » A recuperando vero dictos apparet, quod per eos suum jus privati homines recuperarent, ut infra dicitur: « Si alia ratione jus nostrum recuperare possemus. Quanti ea res erit, tanti pecuniæ, judicium recuperatorium dabo, testibusque publice dumtaxat decem denuntiandi potestatem facio ». Hottom.

14. *Hac actione*. Tertia; nunc enim tertium agitur hæc causa, quum judices antea bis sibi non liquere dixissent, et amplius cognoscendum pronuntiassent. Hæc enim fuit judiciorum consuetudo, de qua diximus in Verr. II et III, et paullo post latius explicabitur. Idem. — Actio generale nomen est, l. 37 de oblig. action. et tam de petitione ac persecutione sui juris, quam de accusatione accipitur. Passer.

15. Abest *creditur*. Addimus e correctione P. Fabri. J. V. L.

16. *Hoc ipsum quod nos arguimus*. Obscurus mihi locus, et, ut arbitror, mutilatus. De quo vide Excurs. II ad calcem hujus orationis.

II. 1. *Vestram in judicando dubitationem*. Bis enim sibi de hac causa non liquere responderant. Hottom.

et id, quod nullo tempore jure fieri potest, tum ab se jure factum esse defenderent: sperarunt, id quod assequuti sunt, se injecturos vobis causam deliberandi, et judicandi justam moram ac religionem[2]; simul illud, quod indignissimum est, futurum arbitrati sunt, ut in hac causa non de improbitate Sext. Æbutii, sed de jure civili judicium fieri videretur[3]. Qua in re, si mihi esset unius A. Cæcinæ causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem, propterea quod fidem meam diligentiamque præstarem; quæ quum sunt in actore causæ, nihil est, in re præsertim aperta ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. Sed quum de eo jure mihi dicendum sit, quod pertineat ad omnes, quod constitutum sit a majoribus, conservatum usque ad hoc tempus; quo sublato non solum pars aliqua juris deminuta, sed etiam vis ea, quæ juri maxime est adversaria[4], judicio confirmata esse videatur: video summi ingenii causam esse; non, uti demonstretur, quod ante oculos est, sed ne, si quis vobis error in tanta re sit objectus[5], omnes potius me arbitrentur causæ, quam vos religioni vestræ defuisse. Quamquam ego mihi sic persuadeo, recuperatores, non vos tam propter juris obscuram dubiamque rationem bis jam de eadem

2. *Justam moram et religionem.* Hoc est, scrupulum. Terent. Andr. « Nihil esse mihi religio est dicere ». Ibid. « Dignus cum tua religione odio ». Passer.

3. *De jure civili judicium*, etc. De hoc explicando vide Excurs. III ad calcem hujus orationis.

4. *Vis ea, quæ juri maxime est adversaria.* Hinc prætoria in interdictis formula *vim fieri veto:* et legum, *vis in populo abesto.* Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri et legibus, nihil minus civile et humanum, quam composita et constituta republica quidquam agi per vim. Passer.

5. *Ne si quis vobis error in tanta re sit objectus.* Ne si quædam vobis caligo sit offusa. Nonnumquam honesto et probabili nomine bono viro judici error objici solet. Idem.

actione[14] venio, atque initio veneram. Tum enim nostræ causæ spes erat posita in defensione mea, nunc in confessione adversarii; tum in nostris, nunc vero in illorum testibus : de quibus ego antea laborabam, ne, si improbi essent, falsi aliquid dicerent; si probi existimarentur, quod dixissent, probarent : nunc sum animo æquissimo. Si enim sunt viri boni; me adjuvant, quum id jurati dicunt, quod ego injuratus insimulo : sin autem minus idonei; me non lædunt, quum, iis sive creditur[15], creditur hoc ipsum, quod nos arguimus[16]; sive fides non habetur, de adversarii testium fide derogatur.

II. Verumtamen quum illorum causæ actionem considero; non video, quid impudentius dici possit: quum autem vestram in judicando dubitationem[1]; vereor, ne id, quod videntur impudenter fecisse, astute et callide fecerint. Nam, si negassent vim hominibus armatis esse factam, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur; sin confessi essent,

quum temere virginem quam Plesidippo adolescenti tradiderat, ejusque nomine arrabonem acceperat, abduxisset : « Quis me est (inquit) mortalium miserior, quem modo damnavit ad recuperatores Plesidippus ? » A recuperando vero dictos apparet, quod per eos suum jus privati homines recuperarent, ut infra dicitur : « Si alia ratione jus nostrum recuperare possemus. Quanti ea res erit, tanti pecuniæ, judicium recuperatorium dabo, testibusque publice dumtaxat decem denuntiandi potestatem facio ». Hottom.

14. *Hac actione*. Tertia; nunc enim tertium agitur hæc causa, quum judices antea bis sibi non liquere dixissent, et amplius cognoscendum pronuntiassent. Hæc enim fuit judiciorum consuetudo, de qua diximus in Verr. II et III, et paullo post latius explicabitur. Idem. — Actio generale nomen est, l. 37 de oblig. action. et tam de petitione ac persecutione sui juris, quam de accusatione accipitur. Passer.

15. Abest *creditur*. Addimus e correctione P. Fabri. J. V. L.

16. *Hoc ipsum quod nos arguimus*. Obscurus mihi locus, et, ut arbitror, mutilatus. De quo vide Excurs. II ad calcem hujus orationis.

II. 1. *Vestram in judicando dubitationem*. Bis enim sibi de hac causa non liquere responderant. Hottom.

et id, quod nullo tempore jure fieri potest, tum ab se jure factum esse defenderent: sperarunt, id quod assequuti sunt, se injecturos vobis causam deliberandi, et judicandi justam moram ac religionem [2]; simul illud, quod indignissimum est, futurum arbitrati sunt, ut in hac causa non de improbitate Sext. Æbutii, sed de jure civili judicium fieri videretur [3]. Qua in re, si mihi esset unius A. Cæcinæ causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem, propterea quod fidem meam diligentiamque præstarem; quæ quum sunt in actore causæ, nihil est, in re præsertim aperta ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. Sed quum de eo jure mihi dicendum sit, quod pertineat ad omnes, quod constitutum sit a majoribus, conservatum usque ad hoc tempus; quo sublato non solum pars aliqua juris deminuta, sed etiam vis ea, quæ juri maxime est adversaria [4], judicio confirmata esse videatur: video summi ingenii causam esse; non, uti demonstretur, quod ante oculos est, sed ne, si quis vobis error in tanta re sit objectus [5], omnes potius me arbitrentur causæ, quam vos religioni vestræ defuisse. Quamquam ego mihi sic persuadeo, recuperatores, non vos tam propter juris obscuram dubiamque rationem bis jam de eadem

2. *Justam moram et religionem.* Hoc est, scrupulum. Terent. Andr. « Nihil esse mihi religio est dicere ». Ibid. « Dignus cum tua religione odio ». Passer.

3. *De jure civili judicium*, etc. De hoc explicando vide Excurs. III ad calcem hujus orationis.

4. *Vis ea, quæ juri maxime est adversaria.* Hinc prætoria in interdictis formula *vim fieri veto:* et legum, *vis in populo abesto*. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri et legibus, nihil minus civile et humanum, quam composita et constituta republica quidquam agi per vim. Passer.

5. *Ne si quis vobis error in tanta re sit objectus.* Ne si quædam vobis caligo sit offusa. Nonnumquam honesto et probabili nomine bono viro judici error objici solet. Idem.

causa dubitasse[6], quam quod videtur ad summam illius existimationem[7] hoc judicium pertinere, moram ad condemnandum acquisisse[8], simul et illi spatium ad sese colligendum dedisse. Quod quoniam jam in consuetudinem venit, et id viri boni, vestri similes, in judicando faciunt, reprehendendum fortasse minus, querendum vero magis etiam[9] videtur : ideo quod omnia judicia, aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt : quorum alterum levius est, propterea quod et minus lædit, et persæpe disceptatore domestico dijudicatur ; alterum est vehementissimum, quod et ad graviores res pertinet, et non honorariam operam amici[10], sed severitatem judicis ac vim requirit. Quod est gravius[11], et cujus rei causa[12] maxime judicia

6. *Bis jam de eadem re dubitasse.* Deliberasse. Sueton. Claud. 35 : « Dubitavit, adhibitis principibus viris an obtemperaret ». Græv.

7. *Quod videtur ad summam illius existimationem.* Quippe, quum hoc judicio quæstioni publicæ de vi et coactis armatisque hominibus præjudicium fiat. Hott. — *Summa existimatio* est res a qua omnis nostra fama et dignitas pendet. Cic. ad Attic. I, 12 : « Existimes humanitate prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo ejus tempore venirem ». Sic *summum bellum* apud Cæsarem, in quo periclitatur res universa. *Summa respublica*, res, a qua pendet salus reipublicæ apud Ciceronem. Græv.

8. *Moram ad condemnandum acquisisse.* Id est, lubentissime arripuisse occasionem differendæ et producendæ damnationis. Apparet duabus de causis ampliationem interponi solitam; primum quum revera non liquebat judicibus, et obscura erat causa; deinde si grave erat judicium, utpote quod existimationem lædebat; nam si absolvendus esset reus, prima actione judicabatur, si videretur condemnandus, *amplius* pronuntiabatur ; non ex jure scripto, sed ex consuetudine, ut modo declarat. Hottom. — Gulielm. conj. *anquisisse.* J. V. L.

9. Benj. Weisk. conjicit legendum esse, *magis jam.* J. V. L.

10. *Non honorariam*, etc. Onus judicandi honoris causa impositum. Cic. pro Roscio Comœdo : « Dat iste M. Trebellium amicum, nos communem necessarium Sex. Alphenum ». Cic. Tusc. V : « Quorum controversias solebat tamquam honorarius arbiter judicare Carneades ». Passer.

11. *Quod est gravius.* Quod puniendorum maleficiorum causa repertum est. Hottom.

12. *Cujus rei causa maxime.* Nem-

constituta sunt, id jam mala consuetudine dissolutum est[13]. Nam ut quæque res est turpissima, sic maxime[14] et maturissime judicanda est : at ea, in qua existimationis periculum est, tardissime judicatur[15].

III. Qui igitur convenit, quæ causa fuerit ad constituendum judicium[1], eamdem moram esse ad judicandum? Si quis, quod spopondit, qua in re verbo se uno obligavit, id non facit, maturo judicio[2], sine ulla religione judicis condemnatur : qui per tutelam[3], aut societatem[4], aut rem mandatam, aut fiduciæ

pe ut maleficia vindicentur. Passer.

13. *Mala consuetudine dissolutum est.* Tardissime, et post multas ampliationes dilationesque judicatur.

14. Sch. *maxime* ex antecedentibus a librario repetitum putat. J. V. L.— *Judicanda*; Erf. cod. *vindicanda* : sane melius; nam manifesta turpitudo non tam *judicari*, quam *vindicari* debet. Græv.

15. *Existimationis periculum est, tardissime judicatur.* Ut in publicis omnibus judiciis, et privatis præterea quibusdam, ex quibus videlicet damnatio affert ignominiam, quæ modo commemorabo : nam illa tardissime judicantur, dum sæpius ampliatur causa, et pronuntiatur *non liquere.* Valerius Max. libro VIII, de causa quadam mentionem facit, quam septies ampliatam fuisse scribit. Hottom.

III. 1. *Quæ causa fuerit ad constituendum judicium.* Videlicet gravitas criminis; nam propter illam, et ut maleficium in pœnam vocetur, judicium constituitur. At propter eamdem sententia differtur. Est autem argumentum ex repugnantibus. Non et aliqua de re quam celerrime judicium constituendum est, et ejusdem rei disceptatio differenda? Sed facilis, ut quivis intelligit, ad id afferri responsio poterat. Nam *in constituendo judicio*, periculi nihil est; at in re judicanda quam plurimum. *Constituere judicium* vel *quæstionem* (utrumque enim dicimus) in publicis dumtaxat judiciis, dicitur *quæsitor*, qui judicum rejectione utrimque facta, certos constituit judices, qui sibi jurati in consilio adsint, et secum causam cognoscant. In privatis vero judiciis, quum prætor urbanus judici aut recuperatoribus a litigatoribus acceptis potestatem de causa cognoscendi et judicandi facit, *judicium constituere* dicit. Hottom.

2. *Maturo judicio.* Prima actione, non ampliata causa. Idem. — *Sine ulla religione.* Sine metu deserti officii, aut violati juris. Passer.

3. *Qui per tutelam.* Quatuor hæc sunt privata judicia, quorum damnatio affert ignominiam; de tribus Cicero in orat. pro Q. Roscio, de quarto in orat. pro Sex. Roscio, et universis Julianus ex prætoris edicto in Pandectis : « Qui pro socio, tutelæ, mandati, depositi, suo nomine non contrario judicio damnatus erit, etc. »

4. *Aut societatem.* Societas, Græcis κοινωνία, quæ ex omni causa honesta, de iis quæ inter eos obligari possunt, coitur, constituitur certis quibusdam pactionibus, ne vel dolus, vel com-

rationem [5], fraudavit quempiam, in eo, quo delictum majus est, eo pœna est tardior [6]. Est enim turpe judicium. E facto quidem turpe [7]. Videte igitur, quam inique accidat, quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi; quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non judicari [8]. At si quis mihi hoc judex, recuperatorve dicat : « Potuisti enim leviore actione confligere [9]; potuisti ad tuum jus faciliore et commodiore judicio [10] pervenire : quare aut muta actionem, aut noli mihi instare, ut judicem »; tamen is aut timidior videatur, quam fortem, aut cu-

modi societas excludatur. Jacob. Omphalius. — *Aut rem mandatam.* Mandatum gratuitum est, propterea quod originem ex officio atque amicitia trahit, l. 1, ff. mandati. Ejus obligatio ex consensu contrahentium in rebus honestis consistit, quoties ut negotium nostrum gerat, aliquem rogamus, mandamus, atque scribimus. Idem.

5. *Aut fiduciæ rationem.* Fiducia est genus contractus, quo fidem alterius sequuti vel filium, vel hereditatem relinquimus, ut vicissim mancipanti remancipetur. Vide Boet. in Top.

6. *In eo, quo delictum majus est, eo pœna est tardior.* Indigne, inquit, quum in actione est stipulatus, et verbi unius obligatio, sententia statim pronuntietur (in quo tamen minor culpa est) hic ubi grave delictum est, et scelus plane nefarium, differri ac procrastinari judicium. Hottom.

7. *Est enim turpe judicium : e facto quidem turpe.* Vitiosa et prava distinctio sententiam elegantissimam funditus evertit. Sermocinatio enim hæc est, in qua primum contra disputantium verba ponuntur; deinde responsio sequitur, hoc sensu : At enim (dicet aliquis), judicium turpe est, et lædit existimationem; ob eamque causam tardius et serius transigendum : non enim parva res est, neque levi momento æstimanda civis rom. existimatio : cui Cicero objectioni continuo sic refert, « Et factum quidem turpe ». Sane, inquit, *turpe hoc judicium* est; et ignominiam affert, nec injuria, quum *factum turpe* sit, quo dignius est celeri et matura condemnatione. Lambino enim *factum* reponenti lubenter assentior. Hottom. Paul. Man. et Muretus probant factum.—*Est enim turpe judicium.* Objectio est, ut dixi; cui particula *enim* frequenter accommodatur : exempla crebra sunt apud hunc auctorem. Idem.

8. Aliquot MSS, *vindicari*. J.V. L.

9. *Potuisti enim leviore actione confligere.* Quam hac, quæ est de vi armata et injuria, unde turpis existimatio sequitur. Hottom. — Alii *leniore*, quod repudio. Passer.

10. *Ad tuum jus;* quod tibi debetur. Sic leno in Plauti Rudente queritur *jus suum* sibi de ancillis eripi. — *Faciliore et commodiore judicio.* Ubi nulla est ampliatio, nulla turpitudo. Idem.

pidior[11], quam sapientem judicem esse æquum est, si aut mihi præscribat, quemadmodum meum jus persequar, aut ipse id, quod ad se delatum sit, non audeat judicare. Etenim si prætor is, qui judicia dat[12], numquam petitori præstituit[13], qua actione illum uti velit; videte, quam iniquum sit, constituta jam re, judicem, quid agi potuerit, aut quid possit, non quid actum sit, quærere. Verumtamen nimiæ vestræ benignitati[14] pareremus, si alia ratione jus nostrum[15] recuperare possemus. Nunc vero quis est, qui aut vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere, aut ejus rei leviorem[16] actionem nobis aliquam demonstrare possit? Ex quo genere peccati, ut illi clamitant, vel injuriarum, vel capitis judicia constituta sunt, in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere, quum videatis nihil aliud actum, nisi possessionem per interdictum[17] esse repetitam?

11. *Aut cupidior. Cupiditatis* verbum fere in vitio ponitur; hoc loco *cupidum* dicit *judicem*, qui alteri faveat; propensiorem in absolutionem rei. Passer.— Sæpe *cupidus* Ciceroni partium nimis studiosus, partibus nimis adductus. Græv.

12. *Si prætor is, qui judicia dat.* Multi enim Romæ prætores; sed alii quæstiones exercebant capitales: eum vero intelligit, qui juri dicundo præerat, qui *urbanus* dicebatur. Hic enim judicia privata constituebat, id est, agendi potestatem litigatoribus, judicandi vero privatis hominibus, judicibus sumptis, permittebat. *Jus dicere* autem et *judicare* aliud est. Judicat etiam, cui mandatum munus judicandi: prætor autem jus dicit, quum dat bonorum possessionem, quum in possessionem mittit, quum pupillis dat tutores, et litigantibus judices; l. D. de jurisdict. Ab eodem et agendi potestas accipiebatur. Passer.

13. *Petitori præstituit.* Actori præscribit. In privatis et pecuniariis *petitor*, in criminibus et publicis *accusator*. Pro Quintio: «Possumus petitoris personam capere; accusatoris deponere». Plerumque tamen *petitionis* verbo actionem in rem significamus, et *actionis* nomine personales actiones. Sed *actio* etiam utrumque complectitur. Idem.

14. *Nimiæ vestræ benignitati.* Humanitati, comitati, qua erga adversarios utimini; et hanc reprehendit, quum dicit *nimiæ*. Hott.

15. *Jus nostrum.* Amissam possessionem. Idem.

16. Rectius forte, *leniorem*, ut habet Lallem. J.V.L.

17. *Per interdictum.* Decreta quædam prætoris, quibus ille aliquid fieri

IV. Verum sive vos existimationis illius periculum, sive juris dubitatio tardiores fecit adhuc ad judicandum: alterius rei causam vosmet ipsi jam vobis, sæpius prolato judicio, sustulistis; alterius ego vobis hodierno die causam profecto auferam, ne diutius de controversia nostra, ac de communi jure dubitetis. Et, si forte videbor altius initium rei demonstrandæ

jubebat aut vetabat, *interdicta* dicebantur, præsertim in possessionum controversiis. Unde autem dicta sint, diu quæsitum est: nam ab *interdicere* deductum vocabulum non videtur, quod quum *interdicere* verbum *prohibere* significet, et denuntiare ne quid fiat; pleraque interdicta jubeant, non prohibeant. Ego ex eo derivatam appellationem puto, quod inter hoc prætoris decretum, et principalis negotii controversiæque disceptationem aliquid fieri aut juberetur, aut vetaretur; quasi hoc decretum interea dictum atque interpositum esset, dum actionem principalis causæ aliquando litigator postularet: itaque puto sensisse ac disputasse jurisconsultos, quorum obtinuisse sententiam Tribonianus scribit; non autem, quod ille, nescio quo auctore, tradidit, quod inter duos dicantur; nisi forte non *duos*, sed *duo* scribendum sit. Exempli causa, quum in fundo essem, dejecisti tu me ex eo, vi armatis aut non armatis hominibus, quod tuum esse illum fundum diceres. Prætor me per interdictum restitui jubet; hoc est dicere, jubet me possidere interea, dum ille constituto judicio planum fecerit, ac docuerit, se illius esse fundi dominum; hoc ita esse, ex iis quæ post dicentur, facile ac dilucide constabit. Sed quoniam ubi non constat, uter possessor sit, petitoria actio institui non potest, « quia et civilis et naturalis ratio postulat, inquit Justinianus, ut alius possideat, alius a possidente petat »: propterea inter hanc de possessione contentionem et principalis causæ disceptationem hæc quasi actio ac judicium a prætore dabatur, quo uter esset possessor constitueretur. Hæc ergo inter *actionem* et *interdictum* similitudo est, quod utrumque a prætore datur, ut l. 35, § non solum, D. de procur. utrumque certa conceptaque verborum formula constituitur, in utroque sponsiones fiunt, utroque judex aut recuperatores dantur. Sublatis autem judiciis ordinariis, ab illis postulari actiones desierunt, tum « interdicta quoque, ut Justinianus ait, una cum ceteris formulis interciderunt ». Sic enim intelligendum est, quod apud jurisconsultos passim legimus, « judiciorum alia esse ordinaria, alia extraordinaria ». *Ordinaria* enim dicebantur, quum ordine prius ad prætorem in jus adibatur, ac formula ab eo conceptioque actionis postulabatur; deinde ad judicem disceptabatur. *Extraordinaria* vero, quum omissa prætorum jurisdictione recta ad judicem aditur; quamobrem Ulpianus in l. pecuniæ, D. de verb. sign. « actionum nomine formulas intelligi scribit, quæ in ordinariis judiciis in usu erant. Persecutionis autem verbo, inquit, extraor-

petisse, quam me ratio juris ejus, de quo[1] judicium est, et natura causæ coegerit, quæso, ut ignoscatis: non enim minus laborat A. Cæcina, ne summo jure egisse[2], quam ne certum jus non obtinuisse videatur.

M. Fulcinius fuit, recuperatores, e municipio Tarquiniensi, qui et domi suæ cum primis honestus existimatus est, et Romæ argentariam non ignobilem fecit[3]. Is habuit in matrimonio Cæsenniam, eodem e municipio, summo loco natam et probatissimam feminam, sicut et vivus multis ipse rebus ostendit, et in morte sua[4] testamento declaravit. Huic Cæsenniæ fundum in agro Tarquiniensi vendidit temporibus

dinarias persecutiones puto contineri: ut puta fideicommissorum, et si quæ aliæ sunt, quæ non habent juris ordinarii executionem ». Paullus autem in l. actio D. de negot. gest. « Nec refert, ait, directa quis, an utili actione agat, vel conveniatur; plane in contrariis judiciis ubi conceptio formularum non observatur, hæc subtilitas supervacua est ». Quæ omnia juris studiosus ex orat. pro Q. Roscio, facilius intelliget. HOTT.

IV. 1. *Quam me ratio juris, et jus de quo*, etc. Lambinus, « et vis de qua »; sicque ait legendum, codicibus quamvis reclamantibus: at aliquanto propius scripturam veterem reponebat Gulielmius, « juris ejus de quo »: natumque vult errorem, quod veteres duplicarent *i*, ut docet Quintilianus; affirmans Tullium perpetuo scripsisse « aiio Maiiam, etc. » GRUT.

2. *Ne summo jure egisse*. Hoc quid sit, diximus in orat. pro Quintio. *Summo* autem *egisset jure* Cæcina, si quum actione leviore confligere potuisset, uti tamen odio et malivolentia animi inductus, ista actione voluisset. HOTT. — In hac Æbutii armata vi summum erat jus ex Corneliis legibus *de vi* agere, aut *injuriarum*; fuit autem æquissimum, *ex interdicto* fundi possessionem tantummodo repetere. Vide cap. 3. Scilicet lenissime Cæcina egit. Quod si graviore judicio experiri voluisset, non erat ei verendum, ne probationes eum deficerent, aut summam injuriam recte legibus agens fecisse videretur. Quo magis etiam fuit de sua lenitate laudandus. GARAT. — *Certum jus;* bonam et justam causam. Jus controversum huic opponitur. Or. p. Muræna.

3. *Argentariam non ignobilem fecit*, *Argentarii* latine dicti sunt, qui græce *trapezitæ* dicebantur; apud quos pecuniæ deponi solebant, quas occupare aliquis atque exercere vellet: inde enim fœnore vulgo sumebantur; præerant etiam auctionibus faciendis: nam ad eorum tabernam plerumque fiebant, et in tabulas quod cuique expensum aut acceptum esset, referebant. HOTT.

4. Forte scribendum *suo*. Beck. omisit *sua*. J. V. L.

illis difficillimis[5] solutionis. Quum uteretur dote uxoris numerata; quo mulieri esset res cautior[6], curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. Aliquanto post, jam argentaria dissoluta, Fulcinius huic fundo uxoris continentia quædam prædia atque adjuncta[7] mercatur. Moritur Fulcinius (multa enim, quæ sunt in re, quia remota sunt a causa, prætermittam[8]): testamento facit heredem, quem habebat e Cæsennia filium; usumfructum omnium bonorum suorum Cæsenniæ legat, ut frueretur una cum filio. Magnus honos viri[9] jucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset. Frueretur enim bonis cum eo, quem suis bonis heredem esse cupiebat, et ex quo maximum fructum ipsa capiebat[10]. Sed hunc fructum mature fortuna ademit. Nam brevi tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est; heredem P. Cæsennium fecit; uxori grande pondus argenti, matrique partem bo-

5. *Temporibus difficillimis solutionis* est, quibus æs alienum summa difficultate dissolvebatur: « Nam quum in Asia res magnas tam multi amiserunt (initio belli Mithridatici) scimus Romæ solutione impedita fidem concidisse ». In orat. pro lege Manilia: « Sequuta sunt quoque tempora Sullana difficillima et perniciosisima municipiis plurimis Italiæ». Passer. — Mallet Lambinus « difficillimæ »; Hottomannus vero, « difficillimis solutionibus». J. V. L.

6. *Quo mulieri esset res cautior.* Ut magis doti consuleretur. Sic pro Roscio: « In eam partem potius peccant, quæ est cautior», est, in qua plus est cautionis. Sæpe enim a marito uxores prædia pignori ob dotem accipiebant, quod si emissent, et ea emptio donationis causa facta videbatur, nullius erat momenti. Sin bona fide facta, venditio inter maritum et uxorem valet; l. *Quod autem § si uxor a marito*, D. de dot. jure inter mar. et ux. Solebat autem etiam interponi stipulatio, soluto patrimonio dotem reddi. Passer.

7. *Continentia atque adjuncta.* Vicina et proxima. II de Divin. « mari aer continens est ».

8. *Quia remota sunt a causa prætermittam.* Quia non tam ad causam pertinent præteribo. Studet autem narrationis brevitati. Passer.

9. *Magnus honos viri.* Honorificum fuisse aliquid amici testamento accipere, dictum est in orat. pro Quintio copiose; unde assumi poterunt, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur. Hottom.

10. *Ex quo maximum fructum ipsa capiebat.* Alludit ad usumfructum bonorum. Multo majorem, inquit, ex

norum majorem legavit. Itaque in partem mulieres vocatæ sunt[11].

V. Quum esset hæc auctio hereditaria constituta[1], Æbutius iste, qui jamdiu Cæsenniæ viduitate ac solitudine aleretur[2], ac se ejus in familiaritatem insinuasset hac ratione, ut cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controversiasque susciperet, versabatur quoque eo tempore in his rationibus auctionis et partitionis; atque etiam se ipse inferebat[3] et intrudebat, et in eam opinionem Cæsenniam adducebat, ut mulier imperita[4] nihil putaret agi callide posse, ubi non adesset Æbutius. Quam personam jam ex quotidiana cognoscitis vita[5], recu-

filio, quam ex mariti bonis fructum capiebat. Hottom.—Ad voluptatem, non ad commoda legati spectat. — Hæc absunt ab uno codice MS. Lamb.—Male; nam subjicit: « sed eum fructum, etc. »

11. *In partem vocatæ sunt.* Sive « re et verbis », sive « re tantum conjunctæ » fuerunt, in solidum quidem juris interpretatione ab initio vocatæ sunt; concursu autem partes fecerunt. Hott. — Quum enim duo sint Fulcinii legata, unum definitæ quantitatis, « grande pondus argenti », quo fit, ut uxor partiaria certe non fuerit, alterum, quo « matri partem majorem bonorum legavit »: ita majorem partem fuisse hanc, ut plus mater, quam uxor acceperit: « majorem partem », non habita ratione ad hereditatem, aut bona omnia, sed tantum ad « grande pondus argenti ». Accedit conjunctio mulierum iis verbis, « in partem mulieres vocatæ sunt ». Quum igitur uxori legata non fuerit partitio, sequitur, ne matri quidem legatam fuisse. Itaque tam ista, quam sequentem *partitionis* mentionem intelligere debere ait vulgari sensu, quo omnes, quibus ex rerum universitate aliquid debetur, in ejus partem vocari, atque, ut eam accipiant, partitionem instituere dicuntur. Garat. — Ernest. conj. *partitionem.* J. V. L.

V. 1. *Quum esset hæc auctio hereditaria constituta.* Quum a communione discedere cuperent, neque facile et commode res inter se partiri possent, placuit auctionem constitui, ut pecuniæ redactæ partitio fieret.

2. *Cæsenniæ viduitate ac solitudine aleretur.* Cui pereundum fame fuisset, nisi viduam et solitudinem nactus esset. Passer.

3. Gulielm. conj. *ingerebat;* P. Manutius, *inserebat.* Habet deinde MSS quidam et edd. *intro dabat.* J. V. L.

4. *Mulier imperita.* Cui facile imponebatur, propter infirmitatem consilii, et ingenium antiquum et simplex, ut alibi loquitur. Vide Diogenianum in γυναικὸς φρένες. Passer.

5. *Ex quotidiana vita.* Ex moribus, et constituta vivendi ratione. Pro

illis difficillimis[5] solutionis. Quum uteretur dote uxoris numerata; quo mulieri esset res cautior[6], curavit, ut in eo fundo dos collocaretur. Aliquanto post, jam argentaria dissoluta, Fulcinius huic fundo uxoris continentia quædam prædia atque adjuncta[7] mercatur. Moritur Fulcinius (multa enim, quæ sunt in re, quia remota sunt a causa, prætermittam[8]): testamento facit heredem, quem habebat e Cæsennia filium; usumfructum omnium bonorum suorum Cæsenniæ legat, ut frueretur una cum filio. Magnus honos viri[9] jucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset. Frueretur enim bonis cum eo, quem suis bonis heredem esse cupiebat, et ex quo maximum fructum ipsa capiebat[10]. Sed hunc fructum mature fortuna ademit. Nam brevi tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est; heredem P. Cæsennium fecit; uxori grande pondus argenti, matrique partem bo-

5. *Temporibus difficillimis solutionis* est, quibus æs alienum summa difficultate dissolvebatur: « Nam quum in Asia res magnas tam multi amiserunt (initio belli Mithridatici) scimus Romæ solutione impedita fidem concidisse ». In orat. pro lege Manilia: « Sequuta sunt quoque tempora Sullana difficillima et perniciosisima municipiis plurimis Italiæ ». Passer. — Mallet Lambinus « difficillimæ »; Hottomannus vero, « difficillimis solutionibus ». J. V. L.

6. *Quo mulieri esset res cautior.* Ut magis doti consuleretur. Sic pro Roscio: « In eam partem potius peccant, quæ est cautior », est, in qua plus est cautionis. Sæpe enim a marito uxores prædia pignori ob dotem accipiebant, quod si emissent, et ea emptio donationis causa facta videbatur, nullius erat momenti. Sin bona fide facta, venditio inter maritum et uxorem valet; l. *Quod autem § si uxor a marito*, D. de dot. jure inter mar. et ux. Solebat autem etiam interponi stipulatio, soluto patrimonio dotem reddi. Passer.

7. *Continentia atque adjuncta.* Vicina et proxima. II de Divin. « mari aer continens est ».

8. *Quia remota sunt a causa prætermittam.* Quia non tam ad causam pertinent præteribo. Studet autem narrationis brevitati. Passer.

9. *Magnus honos viri.* Honorificum fuisse aliquid amici testamento accipere, dictum est in orat. pro Quintio copiose; unde assumi poterunt, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur. Hottom.

10. *Ex quo maximum fructum ipsa capiebat.* Alludit ad usumfructum bonorum. Multo majorem, inquit, ex

norum majorem legavit. Itaque in partem mulieres vocatæ sunt[11].

V. Quum esset hæc auctio hereditaria constituta[1], Æbutius iste, qui jamdiu Cæsenniæ viduitate ac solitudine aleretur[2], ac se ejus in familiaritatem insinuasset hac ratione, ut cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controversiasque susciperet, versabatur quoque eo tempore in his rationibus auctionis et partitionis; atque etiam se ipse inferebat[3] et intrudebat, et in eam opinionem Cæsenniam adducebat, ut mulier imperita[4] nihil putaret agi callide posse, ubi non adesset Æbutius. Quam personam jam ex quotidiana cognoscitis vita[5], recu-

filio, quam ex mariti bonis fructum capiebat. Hotom.—Ad voluptatem, non ad commoda legati spectat. — Hæc absunt ab uno codice MS. Lamb.—Male; nam subjicit : « sed eum fructum, etc. »

11. *In partem vocatæ sunt*. Sive « re et verbis », sive « re tantum conjunctæ » fuerunt, in solidum quidem juris interpretatione ab initio vocatæ sunt; concursu autem partes fecerunt. Hott. — Quum enim duo sint Fulcinii legata, unum definitæ quantitatis, « grande pondus argenti », quo fit, ut uxor partiaria certe non fuerit, alterum, quo « matri partem majorem bonorum legavit » : ita majorem partem fuisse hanc, ut plus mater, quam uxor acceperit : « majorem partem », non habita ratione ad hereditatem, aut bona omnia, sed tantum ad « grande pondus argenti ». Accedit conjunctio mulierum iis verbis, « in partem mulieres vocatæ sunt ». Quum igitur uxori legata non fuerit partitio, sequitur, ne matri quidem legatam fuisse. Itaque tam ista, quam sequentem *partitionis* mentionem intelligere debere ait vulgari sensu, quo omnes, quibus ex rerum universitate aliquid debetur, in ejus partem vocari, atque, ut eam accipiant, partitionem instituere dicuntur. Garat. — Ernest. conj. *partitionem*. J. V. L.

V. 1. *Quum esset hæc auctio hereditaria constituta*. Quum a communione discedere cuperent, neque facile et commode res inter se partiri possent, placuit auctionem constitui, ut pecuniæ redactæ partitio fieret.

2. *Cæsenniæ viduitate ac solitudine aleretur*. Cui pereundum fame fuisset, nisi viduam et solitudinem nactus esset. Passer.

3. Gulielm. conj. *ingerebat;* P. Manutius, *inserebat*. Habet deinde MSS quidam et edd. *intro dabat*. J. V. L.

4. *Mulier imperita*. Cui facile imponebatur, propter infirmitatem consilii, et ingenium antiquum et simplex, ut alibi loquitur. Vide Diogenianum in γυναικὸς φρένες. Passer.

5. *Ex quotidiana vita*. Ex moribus, et constituta vivendi ratione. Pro

peratores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum[6], defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti juris, et callidi: hanc personam imponite Æbutio; is enim Cæsenniæ fuit Æbutius. Ne forte quæratis, num propinquus? nihil alienius[7]: amicus, aut a patre, aut a viro traditus? nihil minus. Quis igitur? ille, quem supra deformavi: voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio simulataque sedulitate conjunctus; magis opportuna opera nonnumquam, quam aliquando fideli.

Quum esset, ut dicere institueram, constituta auctio Romæ, suadebant amici cognatique Cæsenniæ, id quod ipsi quoque mulieri in mentem veniebat; quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo ejus antiquo continens[8] esset, nullam esse rationem[9], amittere ejusmodi occasionem; quum præsertim pecunia ex partitione deberetur: nusquam eam posse melius collocari. Itaque mulier facere constituit. Mandat, ut fundum sibi emat. Cui tandem? cui putatis? an non in mentem

Sext. Rosc. expressam vitæ quotidianæ imaginem a poetis ait.

6. *Cognitoris viduarum. Cognitor,* qui præsentis negotium causamque suscepit; *procurator,* qui absentis. *Cognitorem* autem Æbutium Cicero *viduarum* per contemptionem appellat, quasi viduarum tantum negotia susciperet, inter quas solas peritus juris et callidus existimaretur; ut si diceret, neminem ejus opera uti velle, præter viduas mulieres imperitas, et quæ hominem ignorarent. Hottom.

7. *Nihil alienius.* Nemo minus cognatione eam contingebat. Passer. — *Deformavi.* Est, descripsi, depinxi. Male Manutius; non descripsi, aut designavi, sed probrosis verbis deformavi. Nam *deformare* est quidem deformem reddere nonnumquam. Virgil. « deformare domum ». Cic. de Harusp. Resp. « Pompeiam ornat, an potius deformat? » Sed tamen sæpius est depingere simpliciter et describere, delineare. Græv.

8. *Fundo antiquo continens. Fundo dotali*, quem maritus cum dote numerata permutarat. Hottom.

9. *Nullam esse rationem*, etc. Delicium sermonis: « nulla ratio est hoc facere »: quod nos vulgatius diceremus: « imprudentis et stulti est hoc

venit omnibus hominis illius, ad hoc munus et ad omnia mulieris negotia parati [10], sine quo nihil satis caute, nihil satis callide agi posset? Recte attenditis.

VI. Æbutio negotium datur. Adest ad tabulam [1]: licetur Æbutius. Deterrentur emptores multi, partim gratia Cæsenniæ, partim etiam pretio. Fundus addicitur Æbutio: pecuniam argentario promittit Æbutius. Quo testimonio nunc vir optimus utitur, sibi emptum esse: quasi vero aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquam fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Cæsenniæ; quum id plerique scirent, omnes fere audissent [2], hi conjectura assequi possent; quum pecunia Cæsenniæ ex illa hereditate deberetur, eam porro in prædiis collocari maxime expediret; essent autem prædia, quæ mulieri maxime convenirent; ea venirent; liceretur is, quem Cæsenniæ dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset suspicari. Hac emptione facta, pecunia solvitur a Cæsennia [3]: cujus rei putat iste rationem reddi non posse, quod ipse tabulas averterit [4]; se autem habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata [5]: quasi id aliter fieri

facere »; prima in Verrem: « Minari denique divisoribus ratio non erat ». Contra, ad Atticum, « ratione facere »; et pro Plancio, « ratione uti », est, recte et ordine, et ut virum prudentem convenit, ita agere; hæc Gulielmius in Lambinum, multa hic molientem. Grut.

10. Lallem. post Græviurn e MSS, « hominis illius esse hoc munus, ad omnia m. n. par. » J. V. L.

VI. 1. *Adest ad tabulam*. Olim ad argentariorum tabernas auctiones fieri in foro solebant, ut cui quæque res addicta esset, ei argentarius expensam pecuniam in tabulas referret, ut modo ostendit, quum ait: « Pecuniam argentario promittit ». Hottom.

2. Forte, *alii*. J. V. L.

3. *Pecunia solvitur a Cæsennia*. Nota locutio; pro *ex nummis Cæsenniæ*. Hottom.

4. *Tabulas avertit*. Cæsenniæ; in quibus expensa Æbutio pecunia relata erat, quam ipse Cæsenniæ nomine argentario solverat. Idem. — Ern. conjicit, « quod tabulas averterit; ipse habeat arg. t. » J. V. L.

5. *Sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata*. *Expensa pecunia*

peratores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum[6], defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti juris, et callidi: hanc personam imponite Æbutio; is enim Cæsenniæ fuit Æbutius. Ne forte quæratis, num propinquus? nihil alienius[7]: amicus, aut a patre, aut a viro traditus? nihil minus. Quis igitur? ille, quem supra deformavi: voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio simulataque sedulitate conjunctus; magis opportuna opera nonnumquam, quam aliquando fideli.

Quum esset, ut dicere institueram, constituta auctio Romæ, suadebant amici cognatique Cæsenniæ, id quod ipsi quoque mulieri in mentem veniebat; quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo ejus antiquo continens[8] esset, nullam esse rationem[9], amittere ejusmodi occasionem; quum præsertim pecunia ex partitione deberetur: nusquam eam posse melius collocari. Itaque mulier facere constituit. Mandat, ut fundum sibi emat. Cui tandem? cui putatis? an non in mentem

Sext. Rosc. expressam vitæ quotidianæ imaginem a poetis ait.

6. *Cognitoris viduarum. Cognitor,* qui præsentis negotium causamque suscepit; *procurator,* qui absentis. *Cognitorem* autem Æbutium Cicero *viduarum* per contemptionem appellat, quasi viduarum tantum negotia susciperet, inter quas solas peritus juris et callidus existimaretur; ut si diceret, neminem ejus opera uti velle, præter viduas mulieres imperitas, et quæ hominem ignorarent. Hottom.

7. *Nihil alienius.* Nemo minus cognatione eam contingebat. Passer. — *Deformavi.* Est, descripsi, depinxi. Male Manutius; non descripsi, aut designavi, sed probrosis verbis deformavi. Nam *deformare* est quidem deformem reddere nonnumquam. Virgil. « deformare domum ». Cic. de Harusp. Resp. « Pompeiam ornat, an potius deformat? » Sed tamen sæpius est depingere simpliciter et describere, delineare. Græv.

8. *Fundo antiquo continens. Fundo dotali*, quem maritus cum dote numerata permutarat. Hottom.

9. *Nullam esse rationem*, etc. Delicium sermonis: « nulla ratio est hoc facere »: quod nos vulgatius diceremus: « imprudentis et stulti est hoc

venit omnibus hominis illius, ad hoc munus et ad omnia mulieris negotia parati [10], sine quo nihil satis caute, nihil satis callide agi posset? Recte attenditis.

VI. Æbutio negotium datur. Adest ad tabulam [1]: licetur Æbutius. Deterrentur emptores multi, partim gratia Cæsenniæ, partim etiam pretio. Fundus addicitur Æbutio : pecuniam argentario promittit Æbutius. Quo testimonio nunc vir optimus utitur, sibi emptum esse : quasi vero aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquam fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Cæsenniæ; quum id plerique scirent, omnes fere audissent [2], hi conjectura assequi possent; quum pecunia Cæsenniæ ex illa hereditate deberetur, eam porro in prædiis collocari maxime expediret; essent autem prædia, quæ mulieri maxime convenirent; ea venirent; liceretur is, quem Cæsenniæ dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset suspicari. Hac emptione facta, pecunia solvitur a Cæsennia [3] : cujus rei putat iste rationem reddi non posse, quod ipse tabulas averterit [4]; se autem habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata [5] : quasi id aliter fieri

facere »; prima in Verrem : « Minari denique divisoribus ratio non erat ». Contra, ad Atticum, « ratione facere »; et pro Plancio, « ratione uti », est, recte et ordine, et ut virum prudentem convenit, ita agere; hæc Gulielmius in Lambinum, multa hic molientem. GRUT.

10. Lallem. post Grævium e MSS, « hominis illius esse hoc munus, ad omnia m. n. par. » J. V. L.

VI. 1. *Adest ad tabulam*. Olim ad argentariorum tabernas auctiones fieri in foro solebant, ut cui quæque res addicta esset, ei argentarius expensam pecuniam in tabulas referret, ut modo ostendit, quum ait : « Pecuniam argentario promittit ». HOTTOM.

2. Forte, *alii*. J. V. L.

3. *Pecunia solvitur a Cæsennia*. Nota locutio; pro *ex nummis Cæsenniæ*. HOTTOM.

4. *Tabulas avertit*. Cæsenniæ; in quibus expensa Æbutio pecunia relata erat, quam ipse Cæsenniæ nomine argentario solverat. IDEM. — Ern. conjicit, « quod tabulas averterit; ipse habeat arg. t. » J. V. L.

5. *Sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata. Expensa pecunia*

oportuerit. Quum omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus, Cæsennia fundum possedit[6], locavitque : neque ita multo post A. Cæcinæ nupsit. Ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. Facit heredem ex deunce et semuncia Cæcinam; ex duabus sextulis M. Fulcinium[7], libertum superioris viri; Æbutio sextulam adspergit[8]. Hanc sextulam illa mercedem isti esse voluit assiduitatis et molestiæ, si quam susceperat. Iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat.

VII. Jam principio ausus est dicere, non posse heredem esse Cæsenniæ Cæcinam; quod is deteriore jure esset, quam ceteri cives, propter incommodum Volaterranorum[1], calamitatemque civilem. Itaque homo timidus imperitusque, qui neque animi, neque consilii satis haberet, non putavit esse tanti hereditatem, ut de civitate in dubium veniret: concessit, credo, Æbutio, quantum vellet, de Cæsenniæ bonis ut ha-

refertur, etiam quæ adnumerata non est; ut quum alicui res addicta est certo pretio, argentarius expensam illi tantam pecuniam refert; quum hoc tantum significet, ab illo deberi. Sensus nunc qui sit, opinor, non obscurum est. Hottom.

6. *Fundum possedit.* Jurisconsulti traditionem requirunt; ut modo dictum est : sed quum Cæsennia fundum illum naturaliter ut pote usufructuaria possideret, nihil traditione opus fuit, l. 9, § nihil, D. de acq. rer. dom. in l. 62, de evict. § interdum, de rer. divis. Hottom. — Hic vertitur cardo causæ. Nam si possedit Cæsennia, et ejus heres Cæcina, non restitutus est ex interdicto. Passer. — *Locavitque.* Ut Cicero contendit, tamquam pleno jure domina : ut Æbutius, tamquam usufructuaria, quod verum credo. Hottom. Sed perperam.

7. *Ex duabus sextulis M. Fulcinium.* Sextula est sexta pars unciæ. Dividitur hereditas in duodecim uncias, quæ sunt partes hereditatis, unaquæque uncia in sex sextulas; de hoc loco multis Budæus de Asse, L. Id.

8. *Æbutio sextulam adspergit.* Translatum ab olitoribus, qui perfundunt aqua cariores sibi plantas, vilia olera prætereuntes adspergunt tantum. Idem.

VII. 1. *Propter incommodum Volaterranorum.* L. Sulla rerum potitus Italiæ municipiis civitatem ademit. Cicero in orat. pro Domo, Livius, Appianus, et alii : hoc præter alia eam vim habebat, ut nemo ex iis municipiis hereditatem a populo romano

beret. Imo, ut viro forti ac sapienti dignum fuit, ita calumniam stultitiamque obtrivit ac contudit. In possessione bonorum quum esset[2], et quum ipse sextulam suam nimium exaggeraret, nomine heredis[3] arbitrum familiæ erciscundæ postulavit. Atque illis paucis diebus, posteaquam videt, nihil se ab A. Cæcina posse litium terrore[4] abradere; homini Romæ in foro denuntiat[5], fundum illum, de quo ante dixi, cujus istum emptorem demonstravi fuisse mandatu Cæsenniæ, suum esse, seque sibi emisse. Quid ais? tuus ille fundus est[6], quem sine ulla controversia quadriennium[7], hoc est, ex quo tempore fundus veniit, quoad vixit,

posset accipere. Volaterras autem biennium obsessas, et omnibus injuriis a Sulla dictatore affectas, notum est ex historia. Sed huic loco respondet postea Cicero copiose. Hottom. — *Calumniam stultitiamque obtrivit ac contudit.* Improbæ litis terrorem, et stultitiam prostravit, perfregit, et inanem reddidit.

2. *In possessione bonorum quum esset.* Mortua igitur fructuaria confestim tamquam consolidatione facta et pleno jure dominus ejus fundi possessionem naturalem apprehenderet; nam antea civiliter tantum possidebat, *quum ususfructus possessionem non impediat*, l. pen. D. de acq. poss. Hottom. — Edd. quædam vett. habent *possessiones;* unde conjiciunt, *In possessionem.... quum isset.* Deinde mendosa, vel dubia multa. Sch. legit, *et quum iste;* post, *Atque iste p. diebus.* J. V. L.

3. *Nomine heredis.* Ambigue dictum. Nam *heredis nomine* dicimus, pro *quasi heres esset;* et ridicule hoc significat, quasi qui tam parva ex parte heres esset, indignus heredis nomine videretur. Hottom.

4. *Litium terrore.* Concussionis genus, l. 1, § ult. D. de calumn. Passer. — *Abradere.* Extorquere. *Abradere* est aliquid per vim auferre. Idem.

5. *Homini Romæ in foro denuntiat.* Ex hoc loco, et illo altero, intelligi potest, moris fuisse, ut qui litem instituere et aliquid petere vellet, prius de ea re debitori denuntiaret, id est, tanto ante prædiceret, litem se et controversiam ei velle intendere, nisi cedendum putaret. Hottom.

6. *Quid ais? istius ille fundus est?* Hottomannus ait se contra omnium librorum auctoritatem restituere *tuus ille fundus est*, in qua sententia se dicit esse Lambinus: me librorum scriptura non offendit, bonamque locutionem illam, atque usitatam esse video; quasi id quærens alienus aliquis inducitur; et sic nescio quo modo major vis est hujus anthypophoræ. Plura vidisti e Cicerone ipso in Lucullo ad illa verba, *Veraces suos sensus esse dicit*, quæ non est hic necesse repetere. P. Faber.

7. *Quadriennium.* Dimidio majore spatio quam ex lege XII tabularum ad usucapionem requiratur. Jubet enim tantum esse biennium. Idem.

possedit Cæsennia? Usus enim, inquit, ejus, et fructus fundi, testamento viri, fuerat Cæsenniæ[8]. Quum hoc novæ litis genus tam malitiose intenderet[9], placuit Cæcinæ, de amicorum sententia, constituere, quo die in rem præsentem veniretur[10], et de fundo Cæcina moribus deduceretur[11]. Colloquuntur. Dies ex utriusque commodo sumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam : ex quo loco fundus is, de quo agitur, non longe abest. Ibi certior fit a pluribus, homines permultos, liberos atque servos, coegisse et armasse Æbutium. Quum id partim mirarentur, partim non crederent : ecce ipse Æbutius in

8. *Testamento viri fuerat Cæsenniæ.* Quare mortua fructuaria redit ad fundi proprietarium ususfructus; nam usumfructum simul cum usufructuario exstingui atque interire nemo ignorat. Hott. — De hoc loco vid. Excursus quartus ad calcem hujus orationis.

9. *Tam malitiose intenderet.* Hoc loco *intenderet*, dictum putemus pro *strueret*, aut *compararet*. *Lis* enim tum proprie, quum judicium postulatur, *intenditur* : hæc autem ante ullum vadimonium facta sunt. Ulpianus in l. sed et si, § etiam si, D. de petit. hered. *movere controversiam* pro eodem dixit, quod hoc loco Tullius *litem intendere*. Hott.

10. *In rem præsentem veniretur.* Dictum est jam antea moris fuisse, ut in possessionum controversiis uterque adversarius aliquot homines advocaret, cum quibus in fundum, de quo controversia esset, proficisceretur : ibique illis præsentibus, vis sine armis per simulationem fieret : ut alter ex iis, qui scilicet naturaliter non possidebat, ipsis postea testibus uti posset, de fundo se dejectum : et interdictum postularet. — Budæus in Pandectis exponit, locum oculo ac digito designare, quod hodie vocent, *ventam facere*, id veteribus esse in rem præsentem perduci. Passer.

11. *De fundo Cæcina moribus deduceretur.* In initio hujus orationis : *Vis facta moribus*. Vis ea civilis festucaria dicitur Gellio, IX, 20, unde hujus loci explicatio petenda est, de manu conserto in jure. Id. — Olim quum controversia erat de fundo non illico ad prætorem adibant, ut de proprietate ejus fundi certarent, sed prius possessionis erat causa spectanda. Itaque ex amicorum sententia conveniebat, ut in rem præsentem uterque veniret, præsentibus utriusque partis advocatis, seu testibus, exque eo fundo alteruter moribus deduceretur, sicut convenerat. Vis itaque moribus fiebat, ut dicitur initio orationis, ea vis quotidiana appellatur infra. Hac vi quotidiana is, qui dejectus fundo erat, postulabat a prætore interdictum in hæc verba : Unde ille me vi dejecit, quum ego nec vi, nec clam, nec precario possiderem, etc. Tum possessor se restituisse

castellum venit: denuntiat Cæcinæ, se armatos habere; abiturum eum non esse[12], si accessisset. Cæcinæ placuit et amicis, quoad videretur salvo capite fieri posse, experiri. Tum de castello descendunt: in fundum proficiscuntur. Videtur temere commissum; verum, ut opinor, hoc fuit causæ: tam temere istum re commissurum, quam[13] verbis minitabatur, nemo putavit.

VIII. Atque iste ad omnes introitus, qua adiri poterat non modo in eum fundum, de quo controversia fuerat[1], sed etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos homines opponit. Itaque primo quum in antiquum fundum ingredi vellet, quod ea proxime accedi poterat, frequentes armati obstite-

aiebat. Deinde actor provocabat eum ex sponsione, si eum restituisset, nive quum possideret dejecisset. In hoc igitur interdicto necesse erat, quod ait Cicero; ut petitor bonæ fidei possessor esset. Secus si vis hominibus coactis et armatis facta esset, tunc enim etiam prædo ex interdicto de vi hominibus armatis restituebatur. In prima specie possessio in judicium veniebat, quam si non probasset petitor sibi bona fide quæsitum, causa cadebat. In secunda specie de vi armata sufficiebat petitori probare, se vi hominibus coactis et armatis ex fundo esse dejectum. Porro etiam in lite vindiciarum, sive possessionis ac rei vindicatione olim vis simulata ac civilis intercedebat, ut docet Gellius lib. XX, et alii; quod *manum conserere* dicebant *ex jure;* quod diversum a deductione moribus non jure facta: vide ep. ad Trebat. GRÆV.

12. *Abiturum eum non esse.* Fore ut mortuus auferatur. Minantis mortem sermo. IDEM. — *Experiri.* Festucaria actione. Infra: « Qui ad constitutum experiendi juris gratia venissent ». Pro Quintio: « experiri judicio ». Deductum a vi solida, qua fit virium periculum. IDEM.

13. *Quam verbis minitabatur.* Sic Turingicus liber Suffridi Petreii, et placuit Gulielmio, neque mihi displicet; nam licet Pal. pr. et vetuste cusi stent pro recepta lectione, est tamen in sec. aut *minitabatur,* aut certe *immitabatur.* GRUT.— Hoc ipso tempore Turingicum illum codicem verso, in quo clare ut conjecerat P. Faber, homo acuti ingenii, *minitabatur;* quod probante Gulielmio et Grutero, recepi. GRÆV. — Tamen recentiores pessime, *nuntiabatur,* quod ex fallentibus literarum ductibus procul dubio manavit. *Denuntiabat* ex Lambino erat longe rectius, sed id quoque falsi correctoris manum præ se fert. GAR.—*Nuntiabat* magis arridebat Hottomanno.

VIII. 1. *Fuerat.* Ernest. *erat.*

runt. Quo loco depulsus Cæcina, tamen, qua potuit, ad eum fundum profectus, ex quo, ex conventu, vim fieri[2] oportebat: ejus autem fundi extremam partem oleæ directo ordine definiunt[3]. Ad eas quum accederetur, iste cum omnibus copiis[4] præsto fuit, servumque suum, nomine Antiochum, ad se vocavit, et clara voce imperavit, ut eum, qui illum olearum ordinem intrasset, occideret. Homo, mea sententia, prudentissimus Cæcina, tamen in hac re plus mihi animi, quam consilii videtur habuisse. Nam quum et armatorum multitudinem videret, et eam vocem Æbutii, quam commemoravi, audisset; tamen accessit propius, et jam ingrediens intra finem ejus loci, quem oleæ terminabant, impetum armati Antiochi, ceterorumque tela atque incursus refugit[5]. Eodem tempore se in fugam conferunt una amici advocatique ejus, metu perterriti, quemadmodum illorum testem dicere audistis. His rebus ita gestis, P. Dolabella prætor interdixit[6], ut est consuetudo, DE VI, HOMINIBUS ARMATIS, sine ulla exceptione[7], tantum, « ut unde

2. *Ex conventu vim fieri.* Vim illam usitatam, quæ *dicis causa* et per simulationem fiebat. HOTTOM.

3. *Oleæ directo ordine definiunt.* Ad oram ita satæ sunt, ut recta serie terminent fundum. GAR.

4. *Cum omnibus copiis.* Invidiose dicit paucos armatos. PASSER.

5. *Atque incursus refugit.* Legendum fortasse est, *effugit.* LAMB. — Male. *Refugit*, est retro fugit, vitavit. Asinius Pollio Ciceroni in X ad Div. ep. 31: « Nec periculum est ullum, quod pro libertate, aut refugiam, aut deprecer ». GRÆV.

6. *Prætor interdixit.* Edicimus quod jubemus fieri, interdicimus, quod vetamus. « Interdictum est, inquit Isidor. lib. V, c. 24, quia a judice non in perpetuum, sed pro reformando momento ad tempus interim dicitur, salva propositione actionis ejus. » Vid. Institut. titulum de interdictis. GRÆV.

7. *Sine ulla exceptione.* Id est, pure, ac simpliciter decrevit ut restitueret, neque addidit, « Quum Cæcina possideret »; sed sive possideret, sive non possideret, restitui jussit; quod planum est ex loco, qui inferius exstat: « Cur ergo aut in illud quotidianum interdictum, unde ille me vi dejecerit, additur, quum ego possiderem, si dejici nemo potest, qui non possidet, aut in hoc interdictum, de hominibus

dejecisset, restitueret». Restituisse se, dixit[8]. Sponsio facta est[9]. Hac de sponsione vobis judicandum est.

IX. Maxime fuit optandum Cæcinæ, recuperatores, ut controversiæ nihil haberet; secundo loco, ut ne cum tam improbo homine; tertio, ut cum tam stulto haberet. Etenim non minus nos stultitia illius sublevat, quam lædit improbitas. Improbus fuit, quod homines coegit, armavit, coactis armatisque, vim fecit. Læsit in eo Cæcinam; sublevavit ibidem. Nam in eas ipsas res, quas improbissime fecit, testimonia sumpsit[1], et eis in causa testimoniis utitur. Itaque mihi certum est, recuperatores, antequam ad meam defensionem meosque testes venio, illius uti confessione[2] et testimoniis. Quid confitetur, atque ita li-

armatis non additur ». Vid. Ulpian. in lib. I, § de interdictis. Hotrom.

8. *Restituisse se dixit*. Quod *restituisse se dixit*, non sic accipiendum est, quasi revera se in fundum litigiosum reduxisse Cæcinam contenderet: hoc enim falsum esse ex oratione intelligitur. Sed hoc eam vim habet, quasi diceret *restituere non debere*. Hic enim mos fuit in istis sponsionibus, ut restituere jussus statim se restituisse diceret; quod ita intelligi volebat, quasi edicto atque imperio prætoris, cui civem modeste parere oportebat, paruisset. Quum enim sub ea conditione esset restituere jussus, *si dejecisset*, non dejecisse se contendebat: eoque prætoris imperio et interdicto morem gessisse. Idem.

9. *Sponsio facta est*. Qui litem intendebat sponsione certæ pecuniæ lacessebat reum, qui postquam spoponderat, stipulanti restipulabatur, ut est apud Valer. Max. lib. II, c. 3. Passer.

IX. 1. *In eas ipsas res, quas improbissime fecit, test. sumpsit*. Oratorie quæ adversarius juvandæ ac sublevandæ suæ causæ gratia fecerat, et secum facere magnopere videbantur, in illum, tamquam ei adversaria, retorquet. Testimonium autem Æbutius duabus de rebus sumpserat, primum in suum fundum Cæcinam per vim ingredi conatum esse: deinde (quia interdicto illum usurum intelligebat) non dejectum, sed prohibitum dumtaxat esse illum, ne ingrederetur, et quos orator criminatur convocatos et armatos homines fuisse, eos in eam rem advocatos, ut testes essent, a se fuisse defendebat. Hott. — Sensum hujus vocis, *sumpsit*, illustrat egregie, atque cum græco Polybii λῃφθὲν comparat Reisk. Anim. ad Græc. Auct. t. IV, p. 147.

2. *Illius uti confessione*. Supra: « Spes nostræ causæ in confessione adversarii ». Nam judicatus et damnatus habetur, qui confessus est, l. 1 et 2, D. de confessis. Et qui in jure confessus est, suam confessionem infirmare non potest. Garat.

benter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri[3] videatur, recuperatores? Convocavi homines, coegi, armavi; terrore mortis ac periculo capitis, ne accederes, obstiti; ferro, inquit, ferro (et hoc dicit in judicio), te rejeci atque perterrui. Quid? testes quid aiunt? P. Vetilius, propinquus Æbutii, se Æbutio cum armatis servis venisse advocatum. Quid præterea? fuisse complures armatos. Quid aliud? minatum esse Æbutium Cæcinæ. Quid ego de hoc teste dicam, nisi hoc, recuperatores, ut idcirco non minus ei credatis, quod homo minus idoneus[4] habetur; sed ideo credatis, quod ex illa parte id dicit, quod illi causæ maxime est alienum? A. Terentius, alter testis, non modo Æbutium, sed etiam se ipsum arguit. In Æbutium hoc dicit, armatos homines fuisse; de se autem hoc prædicat: Antiocho, Æbutii servo, imperasse, ut in Cæcinam advenientem cum ferro invaderet. Quid loquar amplius hoc de homine? in quem ego dicere, quum rogarer a Cæcina, numquam volui, ne arguere illum rei capitalis viderer; de eo dubito nunc, quomodo aut loquar, aut taceam, quum ipse hoc de se juratus prædicet. Deinde L. Cœlius non solum Æbutium cum armatis dixit fuisse compluribus, verum etiam cum advocatis perpaucis eo venisse Cæcinam. De hoc ego teste detraham; cui æque, atque meo testi, ut credatis, postulo?

3. *Fateri, sed etiam profiteri.* Sic et orat. pro Rab. « Quam ob rem fateor, atque etiam profiteor, et præ me fero, perduellionis judicium a me fuisse sublatum ». Non est autem testis fateri, sed rei. Donat. in Eunucho Terentii. Nomen confiteri necessitatis est, profiteri voluntatis. Cicero pro Manl. « Hoc ego non solum confiteor, verum etiam profiteor ». Et plura ejusmodi exempla passim ap. Nostrum reperias.

4. *Homo minus idoneus.* Minus firmus et certus testis. — *Quod ex illa parte id dicit.* Sic accipio, quod, quum ex illa parte sit, id est, stet a parte adversarii, tamen hoc dicit, quod illius causæ maxime est adversarium. Hottom.

X. P. Memmius sequutus est, qui suum non parvum beneficium commemoravit in amicos Cæcinæ, quibus sese viam per fratris sui fundum dedisse dixit, qua effugere possent, quum essent metu omnes perterriti. Huic ego testi gratias agam, quod et in re misericordem se præbuit, et in testimonio [1] religiosum. A. Attilius, et ejus filius L. Attilius, et armatos ibi fuisse, et se [2] suos armatos adduxisse dixerunt: etiam hoc amplius: quum Æbutius Cæcinæ malum minaretur, ibi tum Cæcinam postulasse, ut moribus deductio fieret. Hoc idem P. Rutilius dixit, et eo libentius dixit, ut aliquo in judicio ejus testimonio creditum putaretur [3]. Duo præterea testes nihil de vi, sed de re ipsa, atque emptione [4] fundi dixerunt: P. Cæsennius, auctor fundi [5], non tam auctoritate gravi, quam corpore, et argentarius Sext. Clodius, cui nomen est Phormio [6], nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio, nihil de vi dixe-

X. 1. *Et in testimonio religiosum.* Metuentem deorum, et qui jurisjurandi fidem non fefellerit. Qui omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractaret, et tamquam relegeret. Dicti sunt religiosi a relegendo, teste Cic. de Nat. Deorum, II. Hott.

2. *Se.* Lallem. ex Grævii et suis codicibus, *servos*. Quam lectionem valde probat Ernest. J. V. L.

3. *Ut aliquo in judicio ejus testimonio creditum putaretur.* Perurbane in testem falsum, qui ne verum quidem gratis dixerit, sed mercedem sequutus videatur, ut fama et existimatione hominum non semper pejerasse videretur. Passer.

4. *Atque emptione.* Alii, « de ipsa emptione ». J. V. L.

5. *P. Cæsennius auctor fundi. P. Cæsennius*, quem supra heredem a M. Fulcinio institutum dixit, et « auctor fundi, quia auctione hereditaria constituta, Cæsennia (ut Cicero dicebat) fundum de eo sibi per Æbutium cognitorem emerat ». *Auctor* enim is dicitur, a quo quis auctoritatem, id est, jus dominii in rem quampiam accepit. Declinatum autem vocabulum arbitror ab auctionibus, in quibus ei, qui plurimum auget, res addicitur: et ex ea auctione atque adjectione sua auctoritatem sibi in rem emptam comparat. Nam ab *augendo* deductum grammatici veteres testantur. Hottom.

6. *Cui nomen est Phormio. Nomen* hoc loco dixit pro *cognomen*. — *Nec minus niger, nec minus confidens.* Verba sunt Getæ servi, act. I, scen. 6: « Est parasitus quidam Phormio :

runt, nihil præterea, quod ad vestrum judicium pertineret. Decimo vero loco testis exspectatus, et ad extremum reservatus, dixit, senator populi romani, splendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, exemplar antiquæ religionis, Fidiculanius Falcula: qui quum ita vehemens acerque venisset, ut non modo Cæcinam perjurio suo læderet, sed etiam mihi videretur irasci; ita eum placidum mollemque reddidi, ut non auderet, sicut meministis, iterum dicere, quot millia fundus suus abesset[7] ab Urbe. Nam quum dixisset, minus abesse LIII[8], populus cum risu acclamavit, ipsa esse. Meminerant enim omnes, quantum in Albiano judicio[9] accepisset. In eum quid dicam, nisi id, quod negare non possit? venisse in consilium publicæ quæstionis, quum ejus consilii judex non esset; et in eo consilio, quum causam non audisset, et potestas esset ampliandi, dixisse, SIBI LIQUERE; dum incognita re judicare voluisset, maluisse condemnare, quam absolvere; quum, si uno minus da-

Homo confidens. » Sed *niger*, opinor, ex histrionis, quem illas partes agentem viderat, colore dixit: tametsi improbitatis quoque argumentum videri hoc voluit. Athenæus quidem libro VI Δειπνοσοφιστῶν, verba parasiti cujusdam profert, ex quibus existimari potest moris fuisse, ut nigri parasiti in scenam producerentur. GAR.

7. *Fundus suus abesset.* Interrogaverat Cicero hoc modo, ut videretur quærere, an fundus Falculæ esset vicinus fundo controverso, et ex remotione loci eum coargueret perjurii. PASSER.

8. *Minus abesse LIII.* Subaudi *passuum millibus*: et apparet hoc dicto significare Tullium tot millia sestertium, pro pretio corruptionis, Falculam accepisse. — Lambinus hic, adjutus commentariis Hottomanni, numerum mutat, sed contra ipsius Hottomanni sententiam, et omnes MSS editosque, e quibus Pall. ambo et editio primigenia servant, « minus habere LIII ». GRUT.

9. *In Albiano judicio.* In judicio Statii Albiani Oppianici, quem A. Cluentius veneficii accusabat. HOTTOM. — *Venisse in consilium publicæ quæstionis.* In consessum judicum de veneficii cognitione. Consilium, ut ait Theophilus, συνέδριον φανερὸν; unde apud Valerium D. C. S. exponitur de consilii sententia. — *Quum ejus consilii judex non esset.* Quum ex ipsius decuria judices eo tempore non darentur. PASSER.

mnarent [10], condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse. Utrum gravius aliquid in quempiam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem numquam vidisset, neque audisset, adductum pretio esse? An certius quidquam objici potest, quam quod is, cui objicitur, ne nutu quidem [11] infirmare conatur? Verumtamen is testis, ut facile intelligeretis, eum non adfuisse animo [12], quum ab illis causa ageretur, testesque dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse [13]: quum omnes ante eum dixissent testes, armatos cum Æbutio fuisse complures; solus dixit, non fuisse. Visus est mihi primo veterator intelligere præclare, quid causa optaret [14]; et tantummodo er-

10. *Si uno minus damnarent.* Erant judices xxxII, ut ex Cluentiana intelligitur : et sedecim corrumpendos Ælius Stalenus judex ipse decimus septimus susceperat; quum unus deesset, C. Fidiculanius Falcula ad complendam Oppianici damnationem dicebatur esse suppositus. Hæc autem ad tempus dicuntur ut causæ serviat; nam in Cluentiana Fidiculanium excusat. HOTTOM. — Lex erat: quod eorum judicum major pars judicarit, id jus ratumque esto. Quod si æquo numero fuissent sententiæ, reus absolvebatur. Nam favorabiliores rei, quam actores. GRÆV.

11. *Ne nutu quidem.* Significat taciturnitatem comitari confessionem. Nutus est annuentis, et renuentis, minusque est nutu, quam oratione. PASSER.

12. *Eum non abfuisse animo.* Aldus, et omnes, quos vidi, veteres et scripti, et impressi, *adfuisse*, quod quum perspicue rectum sit, non satis sanum oportet hominem fuisse, qui hanc novam lectionem induxit. HOTT. — Significat Tullius, animum ejus auresque peregrinatas esse. Orat. pro Sulla : « Adeste omnes animis, qui adestis corporibus ». ID.— Nos, Hottom. sequuti, *adfuisse* scripsimus.

13. *Tantisper de aliquo reo cogitasse.* Facete dictum : non attendebat, inquit, dum alii testimonium dicerent: sed interea cogitabat, an umquam simili fortuna uti posset, quali in Oppianici judicio usus erat. HOTTOM.

14. *Intelligere præclare, quid causa optaret.* Mire invertit adversarii defensionem. Armatos enim et convocatos a se homines fuisse prædicabat Æbutius, sed ita, ut propterea armatos fuisse diceret, quia per vim Cæcina in ipsius fundum ingredi conaretur: et secum præclare actum esse, quod eum comitatum secum habuerit. At orator hanc ipsam defensionem adversarii causæ quam maxime adversariam videri vult. IDEM.

rare, quod omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent: quum subito ecce idem, qui solet, suos solos servos armatos fuisse dixit.

XI. Quid huic tu homini facias? nonne concedas interdum, ut excusatione summæ stultitiæ[1], summæ improbitatis odium deprecetur? Utrum, recuperatores, his testibus non credidistis, quum, quid liqueret[2], non habuistis? At controversia non erat, quin verum dicerent. An in coacta multitudine, in armis, in telis, in præsenti metu mortis, perspicuoque periculo[3] cædis, dubium vobis fuit, utrum esse vis aliqua videretur, necne? Quibus igitur in rebus vis intelligi potest, si in his non intelligetur? An vero illa defensio vobis præclara visa est? Non dejeci, sed obstiti[4]. Non enim te sum passus in fundum ingredi; sed armatos homines opposui, ut intelligeres,

XI. 1. *Excusatione summæ stultitiæ.* Egregia excusatio scilicet. Ita de Harusp. Respons. « Stuporis excusatione se defendere ». Nam ut scribit lib. I de Orat. « Stultitia excusationem non habet ». Passer.

2. *Quum quid liqueret non habuistis.* Quum duabus jam actionibus respondistis vobis *non liquere*, et *amplius* pronuntiastis. Hottom. — Schütz. reponendum putat, *quod liqueret*, ut et de Nat. Deor. I, 12. J. V. L.

3. Sic Grævius e MS Erf. pro vulgata lectione, *perspicuo p.* J. V. L.

4. *Non dejeci, sed obstiti.* Defensio Æbutii non tam, opinor, nugatoria, quam Cicero vult videri: nam quo minus Æbutius obstaret, ne in ipsius fundum ipso invito Cæcina ingrederetur, et vim vi repelleret, nulla lege prohibebatur: hæc enim erat illius oratio: Non te sum passus in fundum meum ingredi: sed armatos opposui, qui periculum, quod mihi tu intentabas, a me meisque fortunis propulsarent. Sed quum dejecisse se fateri nolit, illud intelligi potest, quod paullo infra apertius ostendit, prohibere quidem aditu ingredi volentem licere, ingressum vero dejicere, vi quidem armatis hominibus, non licere. Hott. — Quam absurde ista congerat vir doctissimus, ei facile patebit, qui statum causæ consideret. Primum enim vim attulerat nullam Cæcina, quam repellere jure posset Æbutius: c. 7: « Dies ex utriusque commodo sumitur: Cæcina cum amicis ad diem venit, etc. » Adde Cœlii testimonium c. 9. Deinde quæstio possessionis ab hoc loco est aliena: c. 27: « quicum tu posthac de possessione contendes, etc. » Scilicet incerta possessio supponitur: quod quum ambigitur, nemo vi armata est interea repellendus. Tertio falsum est, Cæcinam voluisse tunc

si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum. Quid ais? is, qui armis perterritus, fugatus, pulsus est, non videtur esse dejectus? Posterius de verbo videbimus : nunc rem ipsam ponamus[5], quam illi non negant, et ejus rei jus actionemque quæramus.

Est hæc res posita, quæ ab adversario non negatur : Cæcinam, quum ad constitutam diem tempusque venisset, ut vis ac deductio moribus fieret, pulsum prohibitumque esse vi, coactis hominibus et armatis. Quum hoc constet, ego homo imperitus juris[6], ignarus negotiorum ac litium, hanc puto me habere actionem[7], ut per interdictum meum jus teneam, atque injuriam tuam persequar. Fac in hoc errare me, nec ullo modo posse per hoc interdictum id assequi, quod velim : te uti in hac re magistro volo. Quæro, sitne aliqua hujus rei actio, an nulla. Convocari homines

« incipere possidere » : quin eo veniebat, ut « de fundo moribus deduceretur ». Hoc et c. 7, et hic paullo infra ita dicitur, ut etiam addatur : « Est hæc res posita, quæ ab adversario non negatur ». Denique c. 29 : « Non dejeci, sed ejeci..... hic est mucro defensionis tuæ », qui tam operose idcirco retunditur : quum c. 31, extrema dicatur, omnibus aliis præcisis, illa defensio, non dejici, qui non possideat. Vide quæso, quam solide ibi hoc refellatur, ut perspicue intelligas, quid agat Hottomannus dum favet Æbutio, et oratorem maximum, ac prudentissimum criminatur. GARATON.

5. *Nunc rem ipsam ponamus.* Ita constituamus : ut nulla sit amplius controversia. Cic. de Fin. I, « Sed hoc primum positum sit, nosmet commendatos esse nobis ». GARATON. — *Ut vis, ac deductio moribus fieret.* Sic legendum esse argumento sunt illa, quæ supra diximus, vim aliquam fuisse, quæ fieret moribus; supra quoque non longe, ubi est vulgo, et, « ejus rei jus, actionemque quæramus », liber unus MS habet, « ejus rei vim, etc. » et paullo post, « ad constitutum diem », reposui, veteres libros sequutus, pro quo libri vulgati habent, « ad constitutam diem ». LAMBIN.

6. *Ego homo imperitus juris.* Hæc dicuntur non εἰρωνικῶς : sed in imperiti hominis persona, quam de hoc negotio consilium exquirere fingit orator. HOTTOM.

7. *Habere actionem.* Jus persequendi. — *Ut per interdictum jus meum teneam.* Interdicti vi et beneficio ad meum perveniam. PASSER.

propter possessionis[8] controversiam non oportet; armari multitudinem, juris retinendi causa, non convenit. Nec juri quidquam tam inimicum, quam vis; nec æquitati quidquam tam infestum est, quam convocati homines et armati.

XII. Quod quum ita sit, resque ejusmodi sit, ut in primis a magistratibus animadvertenda[1] esse videatur, iterum quæro, sitne ejus rei aliqua actio, an nulla. Nullam esse dices? Audire cupio, qui in pace et otio, quum manum fecerit[2], copias pararit, multitudinem hominum coegerit, armarit, instruxerit, homines inermes, qui ad constitutum experiundi juris gratia venissent[3], armis, viris, terrore, periculoque mortis repulerit, fugarit, averterit, hoc dicat: Feci equidem, quæ dicis, omnia; et ea sunt et turbulenta, et temeraria, et periculosa. Quid ergo est? impune feci. Nam, quod agas mecum ex jure civili ac prætorio, non habes[4]. Itane vero, recuperatores? hoc vos

8. *Possessionis.* Recte de possessione. Nam possessio proprie non dicitur de iis, quæ tangi possunt, ut ipse ait in Topicis: vide Festum in *possessio.* JCti abutuntur eo verbo. Passer.

XII. 1. *A magistratibus animadvertenda. Magistratus* dicit, Quæsitores rerum capitalium, qui a quærendo, id est, cognoscendo, atque animadvertendo *Quæsitores* dicuntur. Ergo hoc dicit esse crimen publicum, et quod ab iis, qui cum imperio sunt, animadverti debeat: nam privatarum rerum judices, privati homines erant, et sine magistratu atque imperio. Hottom. Vide ad I in Verr. 15.

2. *Manum fecerit.* Sic « manu facta templum effringere » dixit Ulpian. leg. sacrilegii D. ad l. Juliam peculat. Hoc in Vatin. dixit, « manum facinorosorum hominum compararit ». Græv.

3. *Qui ad constitutum experiundi juris gratia venissent. Constitutum*, vocabulum ad jus civile pertinens, et significat diem tempusque litigatoribus indictum, quo se in loco certo ac constituto sistant. Passer.

4. *Quid agas mecum ex jure civili, et prætorio non habes. Actiones* primum a jurisconsultis ex legibus XII tabularum constitutæ sunt: quæ *civiles* idcirco in libris Pandectarum appellantur, quod jure civili comparatæ sint; sed quum multis in causis deesse actiones prætores animadverterent, alias item pro suo ipsi jure atque imperio constituerunt: quæ ideo *prætoriæ* in iisdem libris nominantur. Utriusque tamen generis actiones prætor urbanus, qui juri dicundo præerat, liti-

audietis? et apud vos dici patiemini sæpius? quum majores nostri tanta diligentia prudentiaque fuerint, ut omnia omnium non modo tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum jura statuerint, persequutique sint; ut hoc genus unum, vel maximum, prætermitterent[5]: ut, si qui me exire domo[6] mea coegissent armis, haberem actionem[7]; si qui introire prohibuissent, non haberem? Nondum de Cæcinæ causa disputo, nondum de jure possessionis nostræ[8] loquor:

gatoribus, qui eas postulabant, dare solebat, et agendi potestatem petitoribus permittere. Hottom. — Vulgatam lectionem, *quid*, sic emendat Ernest. qui monet, ut sæpius, *quid* in hac forma locum non habere. J. V. L.

5. *Ut hoc genus unum vel maximum prætermitterent.* Hoc cum exclamatione pronuntiandum, et magna admiratione; alioqui enim deesse quidpiam videretur: et particula *ut* vim habet interrogationis; ac si diceret: Tametsi usque eo imperitos existimabimus, etc. Hottom.

6. *Si qui me exire domo.* Argumentatur a pari. Nam domus fundo comparatur. In Topicis, « Quemadmodum usus auctoritas fundi biennium est, sic etiam in ædibus », quæ in lege non appellantur. Porro nec domo vi extrahere aliquem licet. Nihil enim religione munitius et sanctius esse putabant, quam cujusque sit domus, ut ostendit in Vatin. Passer.

7. *Haberem actionem.* Interdicto uti liceret. Interdictum de vi et vi armata, l. 1. Hoc interdictum pertinet ad eos, qui de solo dejiciuntur, sive id fiat in fundo, sive in ædificio, et de omni re, quæ solo cohæret, ut si quis de insula superficiaria dejectus sit. At referet Æbutius: Non de tuo, sed meo te fundo prohibui. Idem. — Inculcant hoc omnes interpretes, quod tamen ad causæ statum non pertinet: neque enim quærebatur, utrum jure, an injuria dejectus esset Cæcina, sed an dejectus esset, nec ne. Vide, quid objiciat Piso: siquidem id tantum diluere Tullius debet: « Non dejeci, sed obstiti ». Fatetur Æbutium interdicto teneri, si dejecerit; obsistere autem negat esse idem, ac dejicere. Quid nunc agat Cicero? An demonstret, fundi possessionem ad Cæcinam spectare, non ad Æbutium? Nihil minus hoc loco: « Nondum, ait, de Cæcinæ causa disputo, etc. » Pisonis defensionem iniquam ostendit, idque argumento a pari. Domus quidem sit certa possessio, incerta fundi. Nondum est controversia de possessione. Quæritur, utrum sit idem prohibere, ac dejicere, an utrumque sit eadem actione persequendum. Idem igitur esse possunt, si possessio est certa: diversa erunt, si ambigitur de possessione? Ferrat.

8. *De jure possessionis nostræ.* Sibi relicto a Cæsennia. Hereditas nihil est aliud, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit; *l. nihil D. de verb. sign.* Igitur jus possessionis idem heredi Cæcinæ, quod Cæsenniæ testatrici. — *Ita constituis.*

tantum de tua defensione, C. Piso, queror. Quando ita dicis, et ita constituis, Si Cæcina, quum in fundo esset, inde dejectus esset, tum per hoc interdictum eum restitui oportuisse; nunc vero dejectum nullo modo esse inde, ubi non fuerit[9]; hoc interdicto nihil nos assequutos esse: quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines et armati, non modo limine tectoque ædium tuarum, sed primo aditu vestibuloque[10] prohibuerint, quid acturus sis. Monet amicus meus te, L. Calpurnius, ut idem dicas, quod ipse antea dixit, injuriarum. Quid id ad causam possessionis[11]? quid ad restituendum eum, quem oportet restitui? quid denique ad jus civile, aut ad actoris notionem et ad animadversionem[12]? Ages injuriarum. Plus tibi ego largiar. Non solum egeris, verum etiam condemnaris[13] licet: numquid magis possidebis? Actio

Ita ponis, et firmamentum causæ tuæ hoc esse vis. Ferrat. — *C. Piso.* L. Calpurnius Piso, qui defendebat Æbutium, consul fuit cum M'. Glabrione, anno U. C. 686, si credamus P. Manutio. Cicero postea pro hoc Pisone contra Jul. Cæsarem peroravit; sed forte dubitandum est an idem sit Piso, quia diversum *prænomen* inscribitur.

9. *Ubi non fuerit.* Tota defensio Pisonis erat in verbis *unde vi.* Neque ex fundo, neque dejectus. Neque ex fundo, non est ingressus fundum; non dejectus, qui non de superiore loco detrusus, in quem non adscendit. Passer.

10. *Primo aditu vestibuloque.* His verbis confirmatur Cæcilii Galli jurisconsulti sententia, quem Gellius et Macrobius commemorant, *vestibulum* esse non in ipsis ædibus, neque ædium partem: sed locum ante januam domus vacuum, per quem de via aditus accessusque ad fores ædium sit. Ipsa enim janua procul a publica via fiebat, area vulgo intersita quæ vacaret. Hottom.

11. *Quid id ad causam possessionis?* Edit. vulg. « Quid? ad causam poss. » J. V. L.

12. *Ad restituendum eum.* Restituere, est rem vel causam actori reddere eamdem, quam habiturus erat, si statim judicii accepti tempore res ei fuisset reddita, l. 35 et 75, de verb. signif. Hottomannus. — *Quid denique? ad jus civile,* etc. Vide Excursum quintum ad calcem hujus orationis.

13. *Non solum egeris, verum etiam condemnaris.* Non solum litem intenderis, verum etiam feceris, ut condemnetur injuriarum. — Nam judex quum reum damnat, facit accusatoris opera. Passer.

enim injuriarum non jus possessionis assequitur[14], sed dolorem imminutæ libertatis judicio pœnaque mitigat[15].

XIII. Prætor interea, Piso, tanta de re tacebit? quemadmodum te restituat in ædes tuas, non habebit? Qui dies totos aut vim fieri vetat[1], aut restitui factam jubet; qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarum itinerumque controversiis interdicit, is repente obmutescet? in atrocissima re quod faciat, non habebit? et, C. Pisone domo tectisque suis prohibito, prohibito, inquam, per homines coactos et armatos, prætor, quemadmodum more et exemplo[2] opitulari possit, non habebit? Quid enim dicet? aut quid tu, tam insigni accepta injuria, postulabis[3]? Unde vi prohibitus sis? nemo umquam interdixit: novum est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum. Unde dejectus? quid proficies, quum illi hoc responde-

14. *Actio enim injuriarum non jus possessionis adsequitur.* Ea tamen vis est illius et efficientia: nam quum qui dejecit, injuriarum damnatus est, numquam se judicio a dejecto absolvet, nisi possessionem ei restituat; et profecto sic est, ut dejecto et injuriarum actio dari soleat, et hoc ipsum interdictum: ita tamen ut injuriarum actio interdictum exstinguat. Hottom.

15. *Dolorem imminutæ libertatis judicio, pœnaque mitigat. Imminutæ libertatis* est acceptæ injuriæ. Hoc ipsum est injuriam facere, libertatem imminuere. Pro lege Manilia quum dixisset: « Majores vestri sæpe mercatoribus aut naviculatoribus vestris injuriosius tractatis bella gesserunt », subjicit: « Illi libertatem civium imminutam non tulerunt ». Nam fit injuria, quum adimitur potestas vivendi ut velis, quæ est inde minutio libertatis in Paradoxis, et injuria, de Finibus. De pœna injuriæ secundum leges XII Tabb. vide Gellium, Noct. Attic. lib. XX, cap. 1. Posterioribus temporibus humiliores fustibus cæsi, et ceteri exsilio temporali, vel certæ rei interdictione coercebantur; l. ult. D. de injur. et famos. Passer.

XIII. 1. *Aut vim fieri vetat.* Hæc genera interdictorum jurisconsulti persequuti sunt lib. Pandect. XLIII. Significat interdicta alia prohibitoria, alia restitutoria.

2. *More et exemplo.* Quod more fit, exemplo quoque fit, sed non contra. Nam exemplum morem non constituit. Passer.

3. *Postulabis?* Postulare est suum vel alterius desiderium, pro tribunali, id est, apud eum, qui præest jurisdi-

[illegible]

[illegible]

§ Dejiciar enim, inquit, si quis [illegible] dejectus est. Quid si pars [illegible] dejecta est, pars retenta? [illegible] respondit: « Si servi quidem dejecti sunt, alii retenti et vincti, aut etiam eis imperatum, ut me dejectum intelligi; de[illegible] enim te possidere, quum servi [illegible] possiderentur ». Quid ergo si non sit imperatum? ego per eos retinet possessionem [illegible], atque dejectum dominum non videri; quod [illegible] Ulpiani responsum [illegible] verba: « Apud Vivianum relatum est, si quis me vi dejecerit, meos non dejecerit, non posse

[illegible]

[illegible] Domine, jam bene agas. Gaur. — *A verbis moveris, et argumentis moveris. Verbis omissis*, id quod argumentum est amplectaris. Plaut.

7. *Nomen? Age nunc.* Nomen est nomenum flagitando. *Age nunc*, alterius pergentis. Idem.

8. *Adservati.* Id est, et in omnibus servis, et in parte, ut si retenti, vel vincti, et possessi ab eo, qui ingressus in possessionem est, vel si iis quid imperavit, dejectus prior dominus videatur: quod si dominus dejectus, et servi remanserunt, dejectus non videtur, quod per servos retineat pos-

usi sumus, an aliam quampiam, an omnino[9] nullam? Nullam esse actionem dicere in re tam insigni tamque atroci, neque prudentiæ, neque auctoritatis tuæ est[10]. Alia si qua forte est, quæ nos fugerit, dic, quæ sit: cupio discere. Hæc si est, qua nos usi sumus; te judice, vincamus[11] necesse est. Non enim vereor, ne hoc dicas, in eadem causa, eodem interdicto, te oportere restitui, Cæcinam non oportere[12]. Etenim cui perspicuum non sit, ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium, si ulla ex parte sententia hujus interdicti deminuta, aut[13] infirmata sit? si auctoritate virorum talium vis armatorum hominum judicio approbata[14] videatur, in quo judicio non de armis dubitatum, sed de verbis quæsitum esse dicatur? Isne apud vos obtinebit causam suam, qui se ita defenderit: Ejeci ego te armatis hominibus, non

sessionem, ut constat ex juris libris. Passer.

9. *Utrum hanc actionem habebis, qua nos usi sumus, an aliam, an omnino nullam*. Quintil. lib. V, 10, ubi disserit de divisione: « Periculosum et cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quoque tota res solvitur. Tutius quod Cicero pro Cæcina fecit, quum interrogat, si hæc actio non sit, quæ sit? simul enim removentur omnia ». Idem.

10. *Neque prudentiæ, neque auctoritatis tuæ est*. Alienum a tua scientia, et existimatione, qua præstas. — Auctoritatem aut natura, aut tempus adfert. Naturæ auctoritas in virtute est maxima. Tempus continet ingenium, artem, usum. Idem.

11. *Te judice, vincamus necesse est*. Summa victoriæ fiducia in hunc sermonem includitur.

12. *In eadem causa..... te oportere restitui, Cæcinam non oportere*. Æquitas enim paribus in causis paria jura desiderat. Topic. ubi parem causam esse ædium et fundi ostendit. Ea vis argumenti. Pro Marcello: « Vehementer angebar quum videbam virum talem, qui in eadem causa fuisset, non in eadem esse fortuna ». Passer.

13. *Sententia hujus interdicti deminuta aut infirmata sit*. Sententia hujus interdicti, quæ latet in voce *dejectus*, seu *prohibitus*, angustioribus terminis conclusa, aut labefactata sit. Idem.

14. *Jus armatorum hominum judicio approbatum*. Lambinus, « vis armat. hom. jud. approbata », verum præter libros; sequutus scilicet sententiam Hottomanni, tamquam armatorum nullum sit jus. Gaut. — Perperam. Num vis armatorum hominum privatorum potest dici jus armatum? An

bunt tibi, quod tu nunc mihi: armatos tibi obstitisse[4], ne in ædes accederes; dejici porro nullo modo potuisse, qui non accesserit? Dejicior ego, inquis, si quis meorum dejicitur[5] omnino. Jam bene agis[6]. A verbis enim recedis, et æquitate uteris. Nam verba ipsa si sequi volumus, quomodo tu dejiceris, quum servus tuus dejicitur? Verum ita est, uti dicis. Te dejectum debeo intelligere, etiamsi tactus non fueris: nonne? Age nunc[7], si ne tuorum quidem quisquam loco motus erit, atque omnes in ædibus adservati[8] ac retenti; tu solus prohibitus, et a tuis ædibus vi atque armis perterritus: utrum hanc actionem habebis, qua nos

ctioni, exponere, l. 1, D. de postulato. Passer.

4. *Armatos tibi obstitisse*. Oppositis corporibus et telis te aditu ædium prohibuisse. Passer.— Recte P. Francii liber: « armatos tibi obstitisse ». Græv.—Edd. omnes vulgatam firmant, quam tuentur etiam illa superiora, c. 12: « Si te hodie... coacti homines, et armati non modo limine.... sed primo aditu vestibuloque prohibuerint ». Gar.—Alii, *se tibi*. J. V. L.

5. *Dejicior enim, inquit, si quis meorum dejectus est*. Quid si pars familiæ dejecta est, pars relicta? Ulpianus in l. 1, de vi et vi arm. respondit: « Si servi quidam dejecti sunt, alii detenti et vincti, aut etiam eis imperatum, vi me dejectum intelligi; desiisse enim te possidere, quum servi ab alio possideantur ». Quid ergo si non sit imperatum? ego per eos retineri possessionem puto, eoque dejectum dominum non videri; quod sane ex superiori ejusdem Ulpiani responso confirmatur his verbis: « Apud Vivianum relatum est, si quis me vi dejecerit, meos non dejecerit, non posse me hoc interdicto experiri: quia per eos retineo possessionem, qui vi dejecti non sunt ». Hotom.

6. *Omnino. Jam bene agis*. Lambinus vocem *omnino* vult cohærere cum superioribus, sed fallitur. Unde Verr. IV Cicero dixit: « Omnino præclare te habes », ut hic. Passer. — Recte distinxit Gruterus: « Dejicior ego, si quis meorum dejicitur. Omnino. Jam bene agis ». Omnino scilicet dejicior ego, si quis meorum dejicitur. Ceteri omnes tam editi, quam scripti: « dejicitur. Omnino jam bene agis ». Græv. — *A verbis recedis, et æquitate uteris*. Verbis omissis, id quod æquum est amplecteris. Passer.

7. *Nonne? Age nunc*. *Nonne* est assensum flagitantis. *Age nunc*, ulterius pergentis. Idem.

8. *Adservati*. Id est, et in omnibus servis, et in parte, ut si retenti, vel vincti, et possessi ab eo, qui ingressus in possessionem est, vel si iis quid imperavit, dejectus prior dominus videatur: quod si dominus dejectus, et servi remanserunt, dejectus non videtur, quod per servos retineat pos-

usi sumus, an aliam quampiam, an omnino[9] nullam? Nullam esse actionem dicere in re tam insigni tamque atroci, neque prudentiæ, neque auctoritatis tuæ est[10]. Alia si qua forte est, quæ nos fugerit, dic, quæ sit: cupio discere. Hæc si est, qua nos usi sumus; te judice, vincamus[11] necesse est. Non enim vereor, ne hoc dicas, in eadem causa, eodem interdicto, te oportere restitui, Cæcinam non oportere[12]. Etenim cui perspicuum non sit, ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium, si ulla ex parte sententia hujus interdicti deminuta, aut[13] infirmata sit? si auctoritate virorum talium vis armatorum hominum judicio approbata[14] videatur, in quo judicio non de armis dubitatum, sed de verbis quæsitum esse dicatur? Isne apud vos obtinebit causam suam, qui se ita defenderit: Ejeci ego te armatis hominibus, non

sessionem, ut constat ex juris libris. Passer.

9. *Utrum hanc actionem habebis, qua nos usi sumus, an aliam, an omnino nullam.* Quintil. lib. V, 10, ubi disserit de divisione: « Periculosum et cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quoque tota res solvitur. Tutius quod Cicero pro Cæcina fecit, quum interrogat, si hæc actio non sit, quæ sit? simul enim removentur omnia ». Idem.

10. *Neque prudentiæ, neque auctoritatis tuæ est.* Alienum a tua scientia, et existimatione, qua præstas. — Auctoritatem aut natura, aut tempus adfert. Naturæ auctoritas in virtute est maxima. Tempus continet ingenium, artem, usum. Idem.

11. *Te judice, vincamus necesse est.* Summa victoriæ fiducia in hunc sermonem includitur.

12. *In eadem causa..... te oportere restitui, Cæcinam non oportere.* Æquitas enim paribus in causis paria jura desiderat. Topic. ubi parem causam esse ædium et fundi ostendit. Ea vis argumenti. Pro Marcello: « Vehementer angebar quum videbam virum talem, qui in eadem causa fuisset, non in eadem esse fortuna ». Passer.

13. *Sententia hujus interdicti deminuta aut infirmata sit.* Sententia hujus interdicti, quæ latet in voce *dejectus*, seu *prohibitus*, angustioribus terminis conclusa, aut labefactata sit. Idem.

14. *Jus armatorum hominum judicio approbatum.* Lambinus, « vis armat. hom. jud. approbata », verum præter libros; sequutus scilicet sententiam Hottomanni, tamquam armatorum nullum sit jus. Gaut. — Perperam. Num vis armatorum hominum privatorum potest dici jus armatum? An

dejeci; ut tantum facinus non in æquitate defensionis, sed in una litera[15] latuisse videatur? Hujusce rei vos statuetis nullam esse actionem, nullum experiundi jus constitutum[16], qui obstiterit armatis hominibus? qui multitudine coacta[17], non introitu, sed omnino aditu quempiam prohibuerit?

XIV. Quid ergo? hoc quam habet vim[1]? ut illa res aliquid aliqua ex parte differre videatur, utrum, pedem quum intulero, atque in possessionem vestigium fecero, tum expellar atque dejiciar; an, quum eadem vi, atque iisdem armis[2], mihi ante occurratur, ne non modo intrare, verum etiam adspicere, aut adspirare possim? qui hoc ab illo differt[3]? ut ille cogatur restituere, qui ingressum expulerit; ille[4], qui ingredien-

non toties in hac oratione *vim* opponit *juri*, et id urget unice, si hæc injuria vi facta judicum sententiis approbetur, omnium facultates in incerto esse? Superius : « Nihil tam inimicum juri, quam vis ». Præterea in MSS *vis* et *jus* eosdem habet literarum ductus; sic enim scribuntur *ius*, ut utrum *vis* an *jus* legendum sit, ex sententia sit judicandum. Garat.

15. *In una litera.* *D* detracta, aut adjecta.

16. *Nullum experiendi jus constitutum.* Agendi, et persequendi. *Experiri* dicitur ut in bello, sic et in foro, quod dubia et anceps judiciorum et militum, est alea. Passer.—*Quod*, ab uno Lambino erat. — *Nullum*, quod male respuerant Verb. et Oliv. iterum restituit Lallemandus, id etiam in duobus suis MSS esse perspiciens. Ita etiam, Grævii editione carens, ex ingenio emendabat recte Ferrat. IV, 12. Idem, Lambini nescius, emendat, « quod multitudine, etc. » Garat.

17. *Qui multitudine coacta, non introitu, sed omnino aditu*, etc. Obscurus locus: sed, ut opinor, sic explicandus, ut illa duo verba subaudiantur: « Adversus eum nullam esse actionem, nullum jus constitutum adversus eum, qui multitudine coacta aditu quempiam prohiberet » : *actionem*, inquam, de eo, quod armatis hominibus obstiterit. Hott.

XIV. 1. *Quid ergo? hoc quam habet vim?* Vid. Excursus VI ad finem hujus orationis.

2. *An in eadem vi, atque iisdem armis.* Vid. Excursus VII ad finem hujus orationis.

3. *Qui hoc ab illo differt?* Malim legi, « quid hoc ab illo differt? » Lamb. — Interpungo sic : « quid hoc ab illo differt, ut, etc. » Quidquid sit de altera interrogatione post τὸ *possim*, quam non male delebat Hottom. Garat.

4. *Ille*, etc. Ernestius *ille* abesse malit. J. V. L.

tem repulerit, non cogatur? Videte, per deos immortales! quod jus nobis, quam conditionem vobismet ipsis[5], quam denique civitati legem[6] constituere velitis. Hujusce generis una est actio per hoc interdictum, quo nos usi sumus, constituta. Ea si nihil valet, aut si ad hanc rem non pertinet; quid negligentius, aut quid stultius majoribus nostris dici potest, qui aut tantæ rei prætermiserint actionem, aut eam constituerint, quæ nequaquam satis verbis causam et rationem juris amplecteretur? Periculosum est dissolvi hoc interdictum[7]; est captiosum omnibus[8], rem ullam constitui ejusmodi, quæ, quum armis gesta sit, rescindi jure non possit. Verumtamen est turpissimum illud, tantæ stultitiæ prudentissimos homines condemnari, ut vos judicetis, hujus rei atque actionis[9] in mentem majoribus nostris non venisse.

Queramur, inquit, licet; tamen hoc interdicto Æbutius non tenetur. Quid ita? Quod vis Cæcinæ[10] facta non est. Dici in hac causa potest, ubi arma fuerint, ubi coacta hominum multitudo, ubi instructi et

5. *Quam conditionem vobismet ipsis.* Quibus hæc, itidem ut Cæcinæ, usu venire possunt. Hott. — Ex tit. 2, lib. II, D. *Quod quisque juris in alterum statuit*, ut ipse *eodem jure utatur.* Præterea omnes confugient ad arma, ut possessiones adimant. Pass.

6. *Quam denique civitati legem.* Lib. II, Cornificius ad Herenn. « Jus constat natura, lege, consuetudine, judicato, æquo bono, pacto ». Ibid. « Judicatum est id de quo sententia lata, aut decretum interpositum ». Ergo hic lex pro re judicata. Pro Sulla : « Status reipublicæ maxime judicatis rebus continetur ». Pass.

7. *Periculosum est dissolvi hoc interdictum.* Quod bona et fortunæ ad incertum revocabantur. *Dissolvi*, est convelli, non nude infirmari. Passer.

8. *Captiosum est omnibus.* Omnes in fraudem impellet. *Capere* sæpe est decipere : ut *captio* et *captiosus*. Sic in Bruto : « Captiosum est populo, quod scriptum sit negligi, opinionem quæri voluntatis.

9. Alii, « h. r. interdictum atque actionem ».

10. *Quod vis Cæcinæ*, etc. Verba sunt Æbutii respondentis. *Quia* autem reposui, admonitus a codice manuscripto, in quo est *quid*. Lamb. —

certis locis cum ferro homines collocati, ubi minæ, pericula terroresque mortis, ibi vim non fuisse? Nemo, inquit, occisus est, neque sauciatus [11]. Quid ais? quum de possessionis controversia, et de privatorum hominum contentione juris loquamur, tu vim negabis esse factam, si cædes et occisio facta non erit? Ego exercitus maximos, sæpe pulsos et fugatos esse dico, terrore ipso impetuque hostium, sine cujusquam non modo morte, verum etiam vulnere.

XV. Etenim, recuperatores, non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque pervenit; sed etiam multo major ea, quæ, periculo mortis injecto, formidine animum perterritum, loco sæpe et certo de statu demovet [1]. Itaque saucii sæpe homines, quum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt [2], neque eum relinquunt locum, quem statuerint defendere; et alii pelluntur integri: ut non dubium sit, quin major adhibita vis ei sit, cujus animus sit perterritus, quam illi, cujus corpus vulneratum sit. Quod si vi pulsos dicimus exercitus esse eos, qui metu ac tenui sæpe suspicione periculi fugerunt; et, si non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neque ictu cominus, neque conjectione telo-

Nonne idem significat *quod*, ut habent edd. omnes? Hottomannum vero transversum agit scientia juris, ut ne Tullio quidem credat, Æbutium dixisse, « nemo occisus est, neque saucius » : cui certe rationi hoc loco respondetur. Vide ad cap. 31. Gar.

11. *Nemo, inquit, occisus est, neque saucius.* Tum enim aut injuriarum actio daretur, aut quæstio de vi publica decerneretur. Locus autem non est istis actionibus, nisi quum res ad manus et ad pugnam venerit. Hott. — *Sauciatus.* Sic edidit Ernest. pro *saucius*, quod natum putat e compendio scripturæ. J.V. L.

XV. 1. *Loco sæpe et certo de statu demovet.* Vid. Excursus VIII ad calcem hujus orationis.

2. *Quum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt.* Quamvis grave vulnus acceperunt, vim tamen et fortitudinem retinent. Si vis esset tantum in corpore debilitato, corpore cederent omnes urgenti. At contra. Igitur vis omnis in animo est. Passer.

rum, sed sæpe clamore ipso militum[3], aut instructione, adspectuque signorum magnas copias pulsas esse, et vidimus, et audivimus: quæ vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? et, quod vehemens in re militari putatur, id leve in jure civili judicabitur? et, quod exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur movisse? et vulnus corporis magis istam vim, quam terror animi declarabit? et sauciatio quæretur[4], quum fugam factam esse constabit? Tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris advocatis, locum se[5], qua effugerent, demonstrasse. Qui non modo ut fugerent, sed etiam ipsius fugæ tutam viam quæsierunt, his vis adhibita non videbitur? Quid igitur[6] fugiebant? propter metum. Quid metuebant? vim videlicet. Potestis igitur principia negare, quum extrema conceditis[7]? Fugisse perterritos confitemini: causam fugæ dicitis eamdem, quam omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum, incursionem atque impetum armatorum: hæc ubi conceduntur esse facta, ibi vis facta negabitur?

3. *S. clamore... militum.* In initio pugnæ. Horat. de Marte: «quem juvat clamor». Homer. βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης. C. Catonis Censorii dictum est, verba plus quam gladios, voces plus quam manus hostes in fugam conjicere. Idem etiam dicebat, se odisse militem, qui clarius sterteret, quam proclamaret. PASSER. — *Aut instructione.* Acies enim structa horrorem affert. De Nat. Deor. II, «Instructio exercitus». Vide Ælianum de instruendis aciebus. IDEM.

4. *Sauciatio quæretur.* An sit aliquis sauciatus. *Sauciatio* nostris auribus durum, sed usu mollius erat. Sic a pius, piare, piatio; a tertius, tertiare, tertiatio; a nuntius, nuntiare, nuntiatio; amplius, ampliare, ampliatio. IDEM.

5. Vulg. abest *se*, additum ab Ern. e cod. Erf. J. V. L.

6. Lambino placet, «Cur igitur?» J. V. L.

7. *Potestis igitur principia negare, quum extrema conceditis.* Causas antecedentes negare, quum effectum et consequentia conceditis. Vid. Fab. VII, 4, ubi legitur *potestatis* pro *potestis*. *Principia* pro causis antecedentibus, ut de Offic. I, «principia et causæ rerum». Hinc pro his statim

certis locis cum ferro homines collocati, ubi minæ, pericula terroresque mortis, ibi vim non fuisse? Nemo, inquit, occisus est, neque sauciatus[11]. Quid ais? quum de possessionis controversia, et de privatorum hominum contentione juris loquamur, tu vim negabis esse factam, si cædes et occisio facta non erit? Ego exercitus maximos, sæpe pulsos et fugatos esse dico, terrore ipso impetuque hostium, sine cujusquam non modo morte, verum etiam vulnere.

XV. Etenim, recuperatores, non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque pervenit; sed etiam multo major ea, quæ, periculo mortis injecto, formidine animum perterritum, loco sæpe et certo de statu demovet[1]. Itaque saucii sæpe homines, quum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt[2], neque eum relinquunt locum, quem statuerint defendere; et alii pelluntur integri: ut non dubium sit, quin major adhibita vis ei sit, cujus animus sit perterritus, quam illi, cujus corpus vulneratum sit. Quod si vi pulsos dicimus exercitus esse eos, qui metu ac tenui sæpe suspicione periculi fugerunt; et, si non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neque ictu cominus, neque conjectione telo-

Nonne idem significat *quod*, ut habent edd. omnes? Hottomannum vero transversum agit scientia juris, ut ne Tullio quidem credat, Æbutium dixisse, « nemo occisus est, neque saucius » : cui certe rationi hoc loco respondetur. Vide ad cap. 31. Gar.

11. *Nemo, inquit, occisus est, neque saucius.* Tum enim aut injuriarum actio daretur, aut quæstio de vi publica decerneretur. Locus autem non est istis actionibus, nisi quum res ad manus et ad pugnam venerit. Hott. — *Sauciatus.* Sic edidit Ernest. pro *saucius*, quod natum putat e compendio scripturæ. J. V. L.

XV. 1. *Loco sæpe et certo de statu demovet.* Vid. Excursus VIII ad calcem hujus orationis.

2. *Quum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt.* Quamvis grave vulnus acceperunt, vim tamen et fortitudinem retinent. Si vis esset tantum in corpore debilitato, corpore cederent omnes urgenti. At contra. Igitur vis omnis in animo est. Passer.

rum, sed sæpe clamore ipso militum[3], aut instructione, adspectuque signorum magnas copias pulsas esse, et vidimus, et audivimus : quæ vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? et, quod vehemens in re militari putatur, id leve in jure civili judicabitur? et, quod exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur movisse? et vulnus corporis magis istam vim, quam terror animi declarabit? et sauciatio quæretur[4], quum fugam factam esse constabit? Tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris advocatis, locum se[5], qua effugerent, demonstrasse. Qui non modo ut fugerent, sed etiam ipsius fugæ tutam viam quæsierunt, his vis adhibita non videbitur? Quid igitur[6] fugiebant? propter metum. Quid metuebant? vim videlicet. Potestis igitur principia negare, quum extrema conceditis[7]? Fugisse perterritos confitemini : causam fugæ dicitis eamdem, quam omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum, incursionem atque impetum armatorum : hæc ubi conceduntur esse facta, ibi vis facta negabitur?

3. *S. clamore... militum.* In initio pugnæ. Horat. de Marte : « quem juvat clamor ». Homer. βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης. C. Catonis Censorii dictum est, verba plus quam gladios, voces plus quam manus hostes in fugam conjicere. Idem etiam dicebat, se odisse militem, qui clarius sterteret, quam proclamaret. Passer. — *Aut instructione.* Acies enim structa horrorem affert. De Nat. Deor. II, « Instructio exercitus ». Vide Ælianum de instruendis aciebus. Idem.

4. *Sauciatio quæretur.* An sit aliquis sauciatus. *Sauciatio* nostris auribus durum, sed usu mollius erat. Sic a pius, piare, piatio; a tertius, tertiare, tertiatio; a nuntius, nuntiare, nuntiatio; amplius, ampliare, ampliatio. Idem.

5. Vulg. abest *se*, additum ab Ern. e cod. Erf. J. V. L.

6. Lambino placet, « Cur igitur? » J. V. L.

7. *Potestis igitur principia negare, quum extrema conceditis.* Causas antecedentes negare, quum effectum et consequentia conceditis. Vid. Fab. VII, 4, ubi legitur *potestatis* pro *potestis*. *Principia* pro causis antecedentibus, ut de Offic. I, « principia et causæ rerum ». Hinc pro his statim

XVI. At vero hoc quidem jam vetus est, et majorum exemplo multis in rebus usitatum: quum ad vim faciundam[1] veniretur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut statim testificati[2] discederent, optime[3] sponsionem facere possent, SI ADVERSUS EDICTUM PRÆTORIS VIS FACTA ESSET[4]. Itane vero? scire esse armatos, satis est, ut vim factam probes; in manus eorum incidere, non est satis? Adspectus armatorum ad vim probandam valebit; incursus et impetus non valebit? qui abierit, facilius sibi vim factam probabit, quam qui effugerit? At ego hoc dico: si, ut primo in castello Cæcinæ dixit Æbutius, se homines coegisse et armasse, neque illum, si eo accessisset, abiturum, statim Cæcina discessisset; dubitare vos non debuisse, quin Cæcinæ facta vis esset[5]: si vero, simul ac procul conspexit armatos, recessisset, eo minus dubitaretis. Omnis enim vis est, quæ periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Quod si aliter statuetis; videte ne hoc vos statuatis, qui vivus discesserit, ei vim non esse factam; ne hoc omnibus, in possessionum

dicit, « causam fugæ dicitis eamdem ». Aliter vulgus philosophorum appellat, pro cujusque artis certis et indubitatis principiis. Nam principia sunt, unde quodque oritur; oritur autem ex causis. Passer.

XVI. 1. Sch. putat Ciceronem forte scripsisse, « ad vim moribus faciundam ». J. V. L.

2. *Testificati.* Postquam testium signis tabulæ obsignatæ. Testificari is dicebatur, qui testificandi alicujus negotii causa tabulas obsignari curabat. Hottom.

3. Ante « optime », Beckio copula videtur excidisse. J. V. L.

4. *Ni adversus edictum prætoris vis facta esset.* Hæc tamen sponsio non est, ex qua judicandum. Nam, ut constat ex narratione, restituisse se dixit Æbutius. Ergo ni adversus interdictum restitutus sit Cæcina. Formula autem sponsionis est *Ni*. De Offic. III: « Ni vir bonus sit ». Pro Quint. « Ni bona ex edicto possessa ». Passer.

5. *Quin Cæcinæ facta vis esset.* Quia nimis libertatem imminuit, quæ potestas est vivendi, ut velis. Vis est necessitas imposita, contraria voluntati. Pass. — *Eo minus*, etc. Quia certius est vidisse, quam audivisse. Id.

controversiis, præscribatis, ut confligendum sibi, et armis decertandum putent; ne, quemadmodum in bello pœna ignavis ab imperatoribus constituitur, sic in judiciis deterior causa sit eorum, qui fugerint, quam qui ad extremum usque contenderint. Quum de jure et legitimis[6] hominum controversiis loquimur, et in his rebus vim nominamus, pertenuis[7] vis intelligi debet. Vidi armatos, quamvis paucos: magna vis est. Decessi unius hominis telo perterritus: dejectus detrususque sum. Hoc si ita statuetis; non modo non erit, cur depugnare quisquam posthac, possessionis causa, velit, sed ne illud quidem, cur repugnare. Sin autem vim sine cæde, sine vulneratione, sine sanguine, nullam intelligetis; statuetis, homines possessionis cupidiores quam vitæ[8] esse oportere.

XVII. Age vero, de vi te ipsum habebo judicem, Æbuti. Responde, si tibi videtur. In fundum Cæcina utrum noluit tandem, an non potuit[1] accedere? Quum te obstitisse, et repulisse[2] dicis, certe hunc

6. *Legitimis... controversiis.* Quæ legum interdictorumque præceptis disceptantur. Cic. Top. « Æquitatis institutio tripartita. Una pars legitima, altera conveniens, tertia moris vetustate confirmata ». Passer.

7. *Pertenuis.* Non atrox, et vehemens, sed perexigua. — *Magna vis est.* Quomodo magna, si pertenuis? Ex comparatione vis bellicæ. — Absurdum hoc Schütz. pronuntiat, et conjectura ductus legit, « facta vis est ». J. V. L. — Sed nos a vulg. hic non recedendum putamus, quum cuncta superiora inferioraque bene sibi cohærere videantur.

8. *Possessionis cupidiores, quam vitæ.* Ut non prius possessionem, quam vitam relinquant, id est, quam cædes aut vulnera facta sint. Hott.— Homines debere potius de vita, quam de possessione cedere. Absurdum judicium. Nam vita fortunis omnibus anteponenda, nedum possessioni. Laudis quidem quam vitæ alii sunt cupidiores, ut apud Virgil. « Qui vita bene credat emi ». Item: « vitamque volunt pro laude pacisci ». At possessio amissa recuperari potest, amissa vita non potest. Passer.

XVII. 1. *Utrum noluit tandem, an non potuit accedere?* Defuit voluntas, an facultas accedendi? Dilemmatis vis inest in definitione vis, quæ est necessitas imposita contraria voluntati; l. 1, D. quod vi metusve causa. Idem.

2. *Quum te obstitisse et repudiasse.* Quidam legi hic volunt, *repulisse*;

XVI. At vero hoc quidem jam vetus est, et majorum exemplo multis in rebus usitatum : quum ad vim faciundam[1] veniretur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut statim testificati[2] discederent, optime[3] sponsionem facere possent, NI ADVERSUS EDICTUM PRÆTORIS VIS FACTA ESSET[4]. Itane vero? scire esse armatos, satis est, ut vim factam probes; in manus eorum incidere, non est satis? Adspectus armatorum ad vim probandam valebit; incursus et impetus non valebit? qui abierit, facilius sibi vim factam probabit, quam qui effugerit? At ego hoc dico : si, ut primo in castello Cæcinæ dixit Æbutius, se homines coegisse et armasse, neque illum, si eo accessisset, abiturum, statim Cæcina discessisset; dubitare vos non debuisse, quin Cæcinæ facta vis esset[5] : si vero, simul ac procul conspexit armatos, recessisset, eo minus dubitaretis. Omnis enim vis est, quæ periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Quod si aliter statuetis; videte ne hoc vos statuatis, qui vivus discesserit, ei vim non esse factam; ne hoc omnibus, in possessionum

dicit, « causam fugæ dicitis eamdem ». Aliter vulgus philosophorum appellat, pro cujusque artis certis et indubitatis principiis. Nam principia sunt, unde quodque oritur; oritur autem ex causis. PASSER.

XVI. 1. Sch. putat Ciceronem forte scripsisse, « ad vim moribus faciundam ». J. V. L.

2. *Testificati*. Postquam testium signis tabulæ obsignatæ. Testificari is dicebatur, qui testificandi alicujus negotii causa tabulas obsignari curabat. HOTTOM.

3. Ante « optime », Beckio copula videtur excidisse. J. V. L.

4. *Ni adversus edictum prætoris vis facta esset*. Hæc tamen sponsio non est, ex qua judicandum. Nam, ut constat ex narratione, restituisse se dixit Æbutius. Ergo ni adversus interdictum restitutus sit Cæcina. Formula autem sponsionis est *Ni*. De Offic. III : « Ni vir bonus sit ». Pro Quint. « Ni bona ex edicto possessa ». PASSER.

5. *Quin Cæcinæ facta vis esset*. Quia nimis libertatem imminuit, quæ potestas est vivendi, ut velis. Vis est necessitas imposita, contraria voluntati. PASS. — *Eo minus*, etc. Quia certius est vidisse, quam audivisse. ID.

controversiis, præscribatis, ut confligendum sibi, et armis decertandum putent; ne, quemadmodum in bello pœna ignavis ab imperatoribus constituitur, sic in judiciis deterior causa sit eorum, qui fugerint, quam qui ad extremum usque contenderint. Quum de jure et legitimis[6] hominum controversiis loquimur, et in his rebus vim nominamus, pertenuis[7] vis intelligi debet. Vidi armatos, quamvis paucos: magna vis est. Decessi unius hominis telo perterritus: dejectus detrususque sum. Hoc si ita statuetis; non modo non erit, cur depugnare quisquam posthac, possessionis causa, velit, sed ne illud quidem, cur repugnare. Sin autem vim sine cæde, sine vulneratione, sine sanguine, nullam intelligetis; statuetis, homines possessionis cupidiores quam vitæ[8] esse oportere.

XVII. Age vero, de vi te ipsum habebo judicem, Æbuti. Responde, si tibi videtur. In fundum Cæcina utrum noluit tandem, an non potuit[1] accedere? Quum te obstitisse, et repulisse[2] dicis, certe hunc

6. *Legitimis... controversiis.* Quæ legum interdictorumque præceptis disceptantur. Cic. Top. « Æquitatis institutio tripartita. Una pars legitima, altera conveniens, tertia moris vetustate confirmata ». PASSER.

7. *Pertenuis.* Non atrox, et vehemens, sed perexigua. — *Magna vis est.* Quomodo magna, si pertenuis? Ex comparatione vis bellicæ. — Absurdum hoc Schütz. pronuntiat, et conjectura ductus legit, « facta vis est ». J. V. L. — Sed nos a vulg. hic non recedendum putamus, quum cuncta superiora inferioraque bene sibi cohærere videantur.

8. *Possessionis cupidiores, quam vitæ.* Ut non prius possessionem, quam vitam relinquant, id est, quam cædes aut vulnera facta sint. HOTT.— Homines debere potius de vita, quam de possessione cedere. Absurdum judicium. Nam vita fortunis omnibus anteponenda, nedum possessioni. Laudis quidem quam vitæ alii sunt cupidiores, ut apud Virgil. « Qui vita bene credat emi ». Item: « vitamque volunt pro laude pacisci ». At possessio amissa recuperari potest, amissa vita non potest. PASSER.

XVII. 1. *Utrum noluit tandem, an non potuit accedere?* Definit voluntas, an facultas accedendi? Dilemmatis vis inest in definitione vis, quæ est necessitas imposita contraria voluntati; l. 1, D. quod vi metusve causa. IDEM.

2. *Quum te obstitisse et repudiasse.* Quidam legi hic volunt, *repulisse;*

voluisse concedis. Potes igitur dicere, non ei vim fuisse impedimento, cui, quum cuperet, eoque consilio venisset, per homines coactos non sit licitum accedere? si enim id, quod maxime voluit, nullo modo potuit; vis profecto quædam obstiterit necesse est: aut tu dic[3], quamobrem, quum vellet accedere, non accesserit. Jam vim factam negare non potes: dejectus quemadmodum sit, qui non accesserit, id quæritur. Demoveri[4] enim et depelli de loco necesse est eum, qui dejiciatur: id autem accidere ei qui potest, qui omnino in eo loco, unde se dejectum esse dicit, numquam fuit? Quod si fuisset[5], et ex eo loco, metu permotus, fugisset, quum armatos vidisset: diceresne esse dejectum? Opinor. An tu, qui tam diligenter et tam callide verbis controversias, non æquitate, dijudicas, et jura non utilitate communi[6], sed literis exprimis; poterisne dicere, dejectum esse eum, qui tactus non erit? Quid? detrusum dices? Nam eo verbo antea prætores in hoc interdicto uti solebant. Quid ais? potestne detrudi quisquam, qui non attin-

alii *repugnasse*. Ego nihil ausus sum mutare; alterutrum tamen horum reponendum censeo; sed malim, *repugnasse*. Lamb. — *Repudiare* levius est verbum in hoc loco et hac sententia. Vere Erfurtensis: *repulisse*. Sæpius usus est Tullius in hac oratione hac voce. Superius cap. 14: « Ille qui ingredientem repulerit, non cogatur ». Græv. — Recentiores Grævio non paruerunt, et cum ceteris, quas vidi edd. dederunt, *repudiasse*. Gar. — Ursin. malebat *repugnasse*. J. V. L.

3. *Aut tu dic*. Genus est partitionis, quum percunctantur adversarios, ut supra: « Alia si qua est » (actio) quæ nos fugerit, dic quæ sit. Sic autem argumentatur: Aut noluit, aut non potuit. Voluit, igitur non potuit. Nam si concurrisset facultas cum voluntate, accessisset. Voluntas autem si impedita sit, factum id est vi, quæ est necessitas imposita contraria voluntati.

4. Edd. pleræque ante Lamb. *Dimoveri*. J. V. L. Vide sup. cap. 15.

5. Hottom. testatur fuisse in quibusdam MSS *Quid? si fuisset;* idque P. Faber prætulit. J. V. L.

6. *Non utilitate communi*. Æquitas constituta omnibus, qui sunt ejusdem civitatis, ad res suas obtinendas. Ita communis inest utilitas. — *Literis exprimis*. Non explicas, sed ad iniquum detorques. Pass.

gitur? Nonne, si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? Necesse est, inquam, si ad verbum rem volumus attingere[7], neminem statu[8] detrusum, qui non, adhibita vi, manu demotus, et actus præceps intelligatur. Dejectus vero qui potest esse quisquam, nisi in inferiorem locum de superiore motus? Potest pulsus, fugatus, ejectus denique; illud vero nullo modo potest, dejectus esse quisquam, non modo qui tactus non sit, sed ne æquo quidem et plano loco. Quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse causa compositum, qui se præcipitatos ex locis superioribus dicerent? eos enim vere possumus dicere esse dejectos.

XVIII. An non, quum voluntas, et consilium, et sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam, aut stultitiam singularem putabimus, in verborum errore versari[1]; rem, et causam, et utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere? An hoc dubium est, quin neque verborum tanta copia sit non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops[2], sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur? neque vero quidquam opus sit verbis, quum ea res, cujus causa verba quæsita sint, intelligatur? Quæ lex,

7. *Si ad verbum rem volumus attingere.* Vox *attingere* a glossa mihi addita videtur. Gulielmius tuetur vulgatum, illo Plauti mercatore : « Quæ nihil attingunt ad rem, neque sunt usui ». Grut. — Lego cum Hottomanno *adstringere*. Nam Fab. VII, 4 : « Est enim servitus ad certa se verba adstringendi vis ». Passer. — Al. emendant, *alligare*. J. V. L.

8. Lamb. *statui*. Jam correxerat Muretus, « neminem statuere detrusum ». J. V. L.

XVIII. 1. *In verborum errore versari.* Verba captare, quorum anceps et dubia plerumque significatio nos fallit. Passer.

2. *Quæ dicitur esse inops.* Lucret. lib. III : « sæpe Dicere nos prohibet patrii sermonis egestas ». Martial. « Nobis non licet esse tam disertis ». Tuscul. II : « Græcorum copiosior est lin-

quod senatusconsultum, quod magistratus edictum [3], quod fœdus, aut pactio [4]; quod (ut ad privatas res redeam [5]) testamentum, quæ judicia, aut stipulationes [6], aut pacti et conventi formula [7] non infirmari, aut convelli [8] potest, si ad verba rem deflectere velimus; consilium autem eorum, qui scripserunt, et rationem, et auctoritatem relinquamus? Sermo mehercule et familiaris et quotidianus non cohærebit [9], si verba inter nos aucupabimur. Denique imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant; non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. Exemplis nunc uti videlicet mihi necesse est harum rerum omnium? non occurrit unicuique vestrum aliud alii in omni genere exemplum, quod testimonio sit, non

gua, quam nostra ». De Fin. II. « Quod nobis in hac inopi lingua non conceditur; quamquam tu hanc etiam copiosiorem dicere soles ». At lib. I, de Fin. linguam latinam non modo non inopem, sed etiam copiosiorem disputat, ut in Tuscul. I, et II de Orat. Pass.

3. *Quæ lex, quod senatusconsultum, quod magistratus edictum.* In Topic. ubi agit de partitione : « Jus civile est in legibus, SCtis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate constituta ». Edictum magistratus est, quod « proponit magistratus antequam jus reddat, ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus esset » l. 2, § 5, de orig. juris. Idem.

4. *Pactio*, ut ait Ulp. l. 1, de pactis, « est duorum pluriumve in idem placitum consensus ». Idem.

5. *Ut ad privatas res redeam.* Nam illa superiora publici juris sunt. Cicero in Partitione : « Scriptorum publicum aliud, aliud privatum. Publicum, ut lex, SCtum, fœdus. Privatum, tabulæ (hoc nomine testamentum significat) pactio, conventio, stipulatio ». Idem.

6. *Quæ judicia, aut stipulationes. Judicia*, judiciorum formulas, quæ a prætore præscribebantur. Nam judicia pro contractibus interpretari, nulla ratio est. *Judicia.* Inter privatos — *Stipulationes.* Verborum nempe obligationes; vide l. 5, D. de verborum obligat. Idem.

7. *Aut pacti, et conventi formula.* Sic Cicero appellare solet, quos *contractus* jurisconsulti nominant. Nihil mutandum hic fuit; utroque enim modo et sine copula, et cum copula hoc recte dicitur. Conventum verbum generale ad omnia pertinet, quibus transigendi, negotiique gerendi causa consentiunt, qui inter se agunt : l. 1, D. de pactis. Idem.

8. Alii codd. *ac convelli*. J. V. L.

9. *Non cohærebit.* Sæpius abrum-

ex verbis aptum pendere jus [10], sed verba servire hominum consiliis et auctoritatibus [11]? Ornate et copiose L. Crassus, homo longe eloquentissimus, paullo ante, quam nos in forum venimus, judicio centumvirali hanc sententiam defendit, et facile, quum contra eum prudentissimus homo, Q. Mucius, diceret, probavit omnibus, M' Curium, qui heres institutus esset ita, mortuo postumo filio, quum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere. Quid? verbis satis hoc cautum erat? minime. Quæ res igitur valuit? voluntas [12]: quæ si tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur; quia non potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem.

XIX. Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium [1]. At utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Si via sit immunita [2], jubet, qua velit, agere jumentum. Potest hoc ex verbis intelligi, licere,

petur, vel a nobis ipsis, vel ab aliis, dum verba reprehenduntur. Pro Cluentio: « Vix diserti adolescentis cohærebat oratio ». Passer.

10. *Non ex verbis aptum pendere jus.* Hæc est scriptura Pall. hæc Turing. et veritatis ejus vestigium etiamnum hæret in olim cusis; in quibus *actum:* vulgata substituit *totum*, ignoratione vocis alterius, quo tamen usus lib. I Officiorum: « Honestum, ex quo aptum est officium ». Idem.

11. *Verba servire hominum consiliis, et auctoritatibus.* Verba tamquam ministros indicare hominis voluntatem, et sententiam. Verba enim, ut infra dicit, reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. Græv.

12. *Quæ res igitur valuit? voluntas.* Obtinuit illam causam per Crassum, quum habita ratio fuerit sententiæ potius, quam scripti. Passer.

XIX. 1. *Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium.* Vide Exc. IX ad calcem hujus orationis.

2. *Si via sit immunita.* Via est jus eundi, agendi, ambulandi, l. 1, *de servit. præd. rustic.* In porrectum octo pedes, in anfractu, et flexu sedecim, l. 8, ibid et Varro de L. L. VI, ubi legis XII tabb. meminit. *Munire viam* dixit Paullus l. qui vias D. de damn. inf. « Qui vias publicas muniunt, sine damno vicinorum id facere debent ». Passer. — *Qua velit.* Is, cui servitus debetur. Hottom. — *Si via sit in Bruttiis immunita. Bruttii*, Italiæ populi, ad fretum Siculum siti, *Tusculum* vero oppidum proxime urbem,

si via sit in Bruttiis immunita, agere, si velit, jumentum per M. Scauri Tusculanum. Actio est in auctorem præsentem[3] his verbis, QUANDOQUIDEM TE IN JURE CONSPICIO. Hac actione Appius ille cæcus[4] uti non posset, si[5] tam severe homines verba consectarentur, ut[6] rem, cujus causa verba sunt, non considerarent. Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius[7], isque jam annos XX haberet; vobis interpreti-

atque, ut Strabo scribit, « in ipsius urbis conspectu ». Ejus ager *Tusculanus;* in quo, ut alibi diximus, romani cives villas habebant amœnissimas : in his M. Scaurus, M. Cicero, Q. Hortensius, L. Lucullus, et alii quam multi. Porro autem qui viam, hoc est, servitutem debet, munire viam debet, munitamque et paratam præbere. Quod si non fecerit, tum ei, cui servitus debetur, lex XII tabb. potestatem facit, qua velit jumentum, quod vehiculum trahit, agere. Sensus ergo est apertissimus : Si verba, inquit, sequerentur, quæ potestatem faciunt, ut qua velit is cui servitus debetur, si via ubi illa debetur imminuta est, jumentum agat : agere liceret vel per amœnissimum quemvis agrum, qualis est ager M. Scauri : quam ille gravissimam contumeliam sibi factam interpretaretur : quum agro illo suo nihil neque jucundius, neque suavius quidquam habeat. Quum autem id lex dicit, de ejus solius agro sentit, qui servitutem viæ debebat, quam non muniverat. HOTTOM.

3. *Actio est in auctorem præsentem. Auctorem* recte reponunt hic Hottomannus, et Lambinus, et ex notis Probi, et ex libris : significat eum, unde is qui agit, suum jus repetere potest, hoc est facile. Sed quod sequitur, « Si tam vere homines, etc. » merito conturbavit doctissimos viros : est enim valde corruptum; ubi tamen ego vitium in una litera esse sentio ob similitudinem *V* et *A*, ob quam sæpe a librariis peccatum esse docui : sic igitur scribam : « Si tum vere homines verba consectarentur, quum rem, cujus causa verba sunt, non considerarent » : hic *vere* valet *bene*, recte, ut Græcis ἀληθῶς est ὀρθῶς, δικαίως. — Recepi *auctorem*, quod miror repudiasse Gruterum. Sic enim legitur in MSS Erfurt. et Francii, in Mediolanensi antiquissima, Ascensii, et Cratandri editionibus : et sic legi jubet ratio, ut docuit Hottomannus et Faber. GRÆVIUS. Sic vett. Venetæ.

4. *Hac actione Appius ille cæcus uti non posset.* Quod cæcus in jure non posset conspicere adversarium. PASSER.

5. *Si tam severe homines... ut rem cujus causa verba sunt*, etc. Vide Excurs. X ad calcem hujus orat.

6. Weisk. servat vulg. *quam.* J. V. L.

7. *Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius.* Hoc nomen exempli causa puto usurpari solitum a jurisconsultis, qui fortassis ad *legem Corneliam de Testamentis* exempla illa accommodarent, ut in lege 33, *de acquirenda et amittenda possessione.* Et in lege 7, *pro emptore.* Et in lege 49, *de usufructu*, ut mittam alia.

bus amitteret hereditatem[8]. Veniunt in mentem mihi permulta: vobis plura, certo scio. Verum, ne nimium multa complectamur, atque ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio; hoc ipsum interdictum, de quo agitur, consideremus. Intelligetis enim in eo ipso, si in verbis jus constituamus, omnem utilitatem nos hujus interdicti, dum versuti et callidi volumus esse, amissuros. UNDE TU, AUT FAMILIA, AUT PROCURATOR TUUS. Si me villicus tuus[9] solus dejecisset; non familia dejecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Recte igitur diceres te restituisse[10]? quippe. Quid enim facilius est, quam probari iis, qui latine

Alibi *Attius* et *Titius* etiam proverbio celebrati sunt. *Idem Attii, quod Titii*, ut etiam *Titius* et *Seius* apud Juvenalem et apud Plutarchum. Non est igitur error in nomine, sed in his: « Isque jam annos XX haberet, vobis interpretibus amitteret hereditatem ». Gravis error est in numeri notis. Quis enim pupillum annos XX natum appellaverit? Pupillus a tutela liberatur, simul ac pubes esse incipit. Incipere autem ab annis 14 docet Justinianus, et jurisconsulti, et Festus, et alii. Quoniam igitur, quam sit hæc iniqua interpretatio, quantum potest, auget, lego *annos* XV *haberet*, quod hic annus primus est, ut illi omnes auctores sunt, quos memoravi, ex quo impubes esse desiit. Id erit igitur, « isque anno uno plus haberet », ostendetque quanto major iniquitas illa futura sit; error autem eo facilior, quod literam *V*, dimidiatam esse *X*, etiam veteres prodiderunt. P. FABER.

8. *Amitteret hereditatem*. Quippe qui pupillus non esset, utpote non impubes: nam pubertatis primus annus, quartus decimus. HOTT.

9. *Si me villicus tuus*. Quia est villici rem domini possessionemque defendere; pro Cluentio. Est autem hæc fictio. PASSER.

10. *Recte igitur diceres te restituisse?* Notetur locus, cui similes sunt alii quam multi: ex quibus verum esse intelligitur, quod antea diximus, sponsionis verbis, quibus quis « restituisse se dicit », non factum ipsum comprehendi: hoc est, non facto ipso ac revera dicere sponsorem se restituisse: quippe qui nullo modo restituerit: nam hoc ipso in loco qui restituisse se dicit, non restituit: et si hoc aliis verbis efferret, sic diceret: « Restituere non debeo: quippe qui non dejecerim». Sed quod magistratus imperio parere civem necesse est, uti hac illi oratione non licet: « Non restituam, aut restituere non debeo ». Quocirca restituisse se contendit, id est, magistratus edicto atque imperio morem gessisse: sed sub ea tamen conditione, qua et restituere jubebat. Jubebat autem restituere, si dejecisset: non dejecerat, quare magistratus imperio paruerat: et hoc modo restituerat. Similis locus infra: « Si glebis aliquem dejeceris, jussusque sis, quem hominibus armatis de-

si via sit in Bruttiis immunita, agere, si velit, jumentum per M. Scauri Tusculanum. Actio est in auctorem præsentem[3] his verbis, QUANDOQUIDEM TE IN JURE CONSPICIO. Hac actione Appius ille cæcus[4] uti non posset, si[5] tam severe homines verba consectarentur, ut[6] rem, cujus causa verba sunt, non considerarent. Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius[7], isque jam annos XX haberet; vobis interpreti-

atque, ut Strabo scribit, « in ipsius urbis conspectu ». Ejus ager *Tusculanus*; in quo, ut alibi diximus, romani cives villas habebant amœnissimas : in his M. Scaurus, M. Cicero, Q. Hortensius, L. Lucullus, et alii quam multi. Porro autem qui viam, hoc est, servitutem debet, munire viam debet, munitamque et paratam præbere. Quod si non fecerit, tum ei, cui servitus debetur, lex XII tabb. potestatem facit, qua velit jumentum, quod vehiculum trahit, agere. Sensus ergo est apertissimus : Si verba, inquit, sequerentur, quæ potestatem faciunt, ut qua velit is cui servitus debetur, si via ubi illa debetur imminuta est, jumentum agat : agere liceret vel per amœnissimum quemvis agrum, qualis est ager M. Scauri : quam ille gravissimam contumeliam sibi factam interpretaretur : quum agro illo suo nihil neque jucundius, neque suavius quidquam habeat. Quum autem id lex dicit, de ejus solius agro sentit, qui servitutem viæ debebat, quam non muniverat. HOTTOM.

3. *Actio est in auctorem præsentem. Auctorem* recte reponunt hic Hottomannus, et Lambinus, et ex notis Probi, et ex libris : significat eum, unde is qui agit, suum jus repetere potest, hoc est facile. Sed quod sequitur, « Si tam vere homines, etc. » merito conturbavit doctissimos viros : est enim valde corruptum ; ubi tamen ego vitium in una litera esse sentio ob similitudinem *V* et *A*, ob quam sæpe a librariis peccatum esse docui : sic igitur scribam : « Si tum vere homines verba consectarentur, quum rem, cujus causa verba sunt, non considerarent » : hic *vere* valet *bene*, recte, ut Græcis ἀληθῶς est ὀρθῶς, δικαίως. — Recepi *auctorem*, quod miror repudiasse Gruterum. Sic enim legitur in MSS Erfurt. et Francii, in Mediolanensi antiquissima, Ascensii, et Cratandri editionibus : et sic legi jubet ratio, ut docuit Hottomannus et Faber. GRÆVIUS. Sic vett. Venetæ.

4. *Hac actione Appius ille cæcus uti non posset.* Quod cæcus in jure non posset conspicere adversarium. PASSER.

5. *Si tam severe homines... ut rem cujus causa verba sunt*, etc. Vide Excurs. X ad calcem hujus orat.

6. Weisk. servat vulg. *quam*. J. V. L.

7. *Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius.* Hoc nomen exempli causa puto usurpari solitum a jurisconsultis, qui fortassis ad *legem Corneliam de Testamentis* exempla illa accommodarent, ut in lege 33, *de acquirenda et amittenda possessione*. Et in lege 7, *pro emptore*. Et in lege 49, *de usufructu*, ut mittam alia.

bus amitteret hereditatem[8]. Veniunt in mentem mihi permulta: vobis plura, certo scio. Verum, ne nimium multa complectamur, atque ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio; hoc ipsum interdictum, de quo agitur, consideremus. Intelligetis enim in eo ipso, si in verbis jus constituamus, omnem utilitatem nos hujus interdicti, dum versuti et callidi volumus esse, amissuros. UNDE TU, AUT FAMILIA, AUT PROCURATOR TUUS. Si me villicus tuus[9] solus dejecisset; non familia dejecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Recte igitur diceres te restituisse[10]? quippe. Quid enim facilius est, quam probari iis, qui latine

Alibi *Attius* et *Titius* etiam proverbio celebrati sunt. *Idem Attii, quod Titii*, ut etiam *Titius* et *Seius* apud Juvenalem et apud Plutarchum. Non est igitur error in nomine, sed in his: « Isque jam annos XX haberet, vobis interpretibus amitteret hereditatem ». Gravis error est in numeri notis. Quis enim pupillum annos XX natum appellaverit? Pupillus a tutela liberatur, simul ac pubes esse incipit. Incipere autem ab annis 14 docet Justinianus, et jurisconsulti, et Festus, et alii. Quoniam igitur, quam sit hæc iniqua interpretatio, quantum potest, auget, lego *annos* XV *haberet*, quod hic annus primus est, ut illi omnes auctores sunt, quos memoravi, ex quo impubes esse desiit. Id erit igitur, « isque anno uno plus haberet », ostendetque quanto major iniquitas illa futura sit; error autem eo facilior, quod literam *V*, dimidiatam esse *X*, etiam veteres prodiderunt. P. FABER.

8. *Amitteret hereditatem*. Quippe qui pupillus non esset, utpote non impubes: nam pubertatis primus annus, quartus decimus. HOTT.

9. *Si me villicus tuus*. Quia est villici rem domini possessionemque defendere; pro Cluentio. Est autem hæc fictio. PASSER.

10. *Recte igitur diceres te restituisse?* Notetur locus, cui similes sunt alii quam multi: ex quibus verum esse intelligitur, quod antea diximus, sponsionis verbis, quibus quis « restituisse se dicit », non factum ipsum comprehendi: hoc est, non facto ipso ac revera dicere sponsorem se restituisse: quippe qui nullo modo restituerit: nam hoc ipso in loco qui restituisse se dicit, non restituit: et si hoc aliis verbis efferret, sic diceret: « Restituere non debeo: quippe qui non dejecerim ». Sed quod magistratus imperio parere civem necesse est, uti hac illi oratione non licet: « Non restituam, aut restituere non debeo ». Quocirca restituisse se contendit, id est, magistratus edicto atque imperio morem gessisse: sed sub ea tamen conditione, qua et restituere jubebat. Jubebat autem restituere, si dejecisset: non dejecerat, quare magistratus imperio paruerat: et hoc modo restituerat. Similis locus infra: « Si glebis aliquem dejeceris, jussusque sis, quem hominibus armatis de-

sciant, in uno servulo familiæ nomen non valere[11]? Si vero ne habeas quidem servum, præter eum, qui me dejecerit; clames videlicet: Si habeo familiam, a familia mea fateor te esse dejectum. Neque dubium est, quin, si ad rem judicandam verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quæ constet ex servis pluribus; quin unus homo, familia non sit[12]. Verbum certe hoc non modo postulat, sed etiam cogit. At vero ratio juris, interdictique vis, et prætorum voluntas, et hominum prudentium consilium et auctoritas, respuat hanc defensionem, et pro nihilo putet.

XX. Quid ergo? isti homines latine non loquuntur? Imo vero tantum loquuntur[1], quantum est satis ad intelligendam voluntatem, quum sibi hoc proposuerint, ut, sive[2] me tu dejeceris, sive tuorum quispiam, sive servorum, sive amicorum, ut servos non numero distinguant, sed appellent uno familiæ nomine: de liberis autem quisquis est, procuratoris nomine appelletur; non quo omnes sint, aut appellentur

jeceris, restituere: restituisse te dices?» Hott. — Te paruisse edicto, nihil fecisse contra interdictum. Passer.

11. *In uno servulo familiæ nomen non valere.* « Unicus servus, inquit Ulpianus, familiæ appellatione non continetur; ne duo quidem familiam faciunt ». Paullus tamen lib. V Sententiarum duos servos familiam facere respondet. Cicero hoc loco docet quomodo hæc, quæ videntur sibi esse adversa, possint in concordiam redigi. Si nimirum propriam vocis significationem respicias, familia non est villicus, aut servus; si ad mentem legis attendas, ubi me villicus, aut alius servus tuus unicus dejecit, judicabor et merito quidem a familia tua dejectus esse. Græv.

12. *Quin unus homo familia non sit.* Phædrus tamen: « Æsopus quum solus esset familia ». Sed hoc est, quum esset loco familiæ. Vide viros doctos ad eum locum Phædri, III, 19, 1, et nost. edit. tom. II, p. 101.

XX. 1. *Latine non loquuntur.* An Osce et Volsce? In III de Orat. « Latine loqui est verba ea efferre, quæ nemo jure reprehendat ». Interdum simpliciter, et vere. Verr. V: « Latine scitote me, non accusatorie loqui ».. Passer.

2. *Quum sibi hoc proposuerint, ut sive*, etc. Vide Excurs. XI ad calcem hujus orationis. — *Procuratores, qui negotii nostri aliquid gerant.* Procurator tamen in D. de procur. definitur, qui aliena negotia domini man-

procuratores, qui negotii nostri aliquid gerant; sed in hac re[3], cognita sententia interdicti, verba subtiliter exquiri omnia noluerunt. Non enim alia causa est æquitatis in uno servo, et in pluribus: non alia ratio juris in hoc genere duntaxat, utrum me tuus procurator dejecerit is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum ejus[4], qui in Italia non sit[5], absitve reipublicæ causa, quasi quidam pæne dominus, hoc est, alieni juris vicarius; an tuus colonus, aut vicinus, aut cliens, aut libertus, aut quivis, qui illam vim dejectionemque[6], tuo rogatu, aut tuo nomine, fecerit. Quare, si ad eum restituendum, qui vi dejectus est, eamdem vim habet æquitatis ratio; ea intellecta, certe nihil ad rem pertinet, quæ verborum vis sit, ac nominum. Tam restitues, si tuus me libertus dejecerit, nulli tuo præpositus negotio, quam si procurator dejecerit; non quo omnes sint procuratores, qui aliquid nostri negotii gerunt, sed quod in hac re quæri nihil attinet. Tam restitues, si unus servulus, quam si familia dejecerit universa: non quo idem

datu administrat; et sæpe pro negotiorum gestore accipitur.

3. Lambin. addit *quia*. J. V. L.

4. *Qui legitime procurator dicitur omnium rerum ejus*. Hoc est, quod scribit Ulpianus in l. 1, D. de procur. « Quosdam non putare, unius rei mandatum suscipientem procuratorem esse: sicuti nec is quidem, qui rem perferendam, vel epistolam, vel nuntium perferendum suscepit, proprie procurator appellatur: sed verius est, inquit, eum quoque procuratorem esse, qui ad unam rem datus sit ». Cicero igitur *procuratoris* nomen proprie ad eum restringit, qui vel ad lites, vel universorum negotiorum procurator est. Reliquos *mandatarios* esse vult. Hottom. — Procurator Ciceroni dicitur legitime esse qui negotii aliquid gerit, alieno præpositus negotio, pæne dominus, et alieni juris vicarius, præsertim bonorum illius, qui reip. causa abest. Conf. inf. cap. 56.

5. *Ejus qui in Italia non sit*. Nam qui præsentis negotium suscipiebat, *cognitor* dicebatur, et ita scripsisse arbitramur Asconium. Idem.

6. *Dejectionemque ..... fecerit*. Pro dejecerit. Sic *emptionem facere* pro emere, et *gratulationem* ad Att. IV; « facere mutationem vestris » orat. pro Sextio. Passer.

sit servulus unus, quod familia; verum quia non, quibus verbis quidque dicatur, quæritur, sed quæ res agatur[7]. Etiam, ut jam longius a verbo recedamus, ab æquitate ne tantulum quidem, si tuus servus nullus fuerit, sed omnes alieni, ac mercenarii; tamen et ipsi tuæ familiæ genere et nomine[8] continebuntur.

XXI. Perge porro hoc idem interdictum sequi: HOMINIBUS COACTIS. Neminem coegeris; ipsi convenerint sua sponte: certe cogit is, qui congregat homines et convocat; coacti sunt ii, qui ab aliquo sunt unum in locum congregati. Si non modo convocati non sunt, sed ne convenerunt quidem; sed ii modo fuerunt, qui etiam antea, non, vis ut fieret, verum colendi aut pascendi causa, esse in agro consueverant: defendes, homines coactos non fuisse, et verbo quidem superabis, me ipso judice; re autem, ne consistes quidem[1] ullo judice. Vim enim multitudinis restitui voluerunt[2], non solum convocatæ multitudinis. Sed, quia plerumque, ubi multitudine opus est, homines cogi solent, ideo de coactis compositum

7. *Quia non... sed quæ res agatur.* Non est de nominibus, sed de rebus in judicio disceptandum. PASSER.

8. *Tuæ familiæ genere et nomine.* Familiæ genus duplex liberorum et servorum: *nomen* autem ad duos refertur; ut servus Titii me dejecit, et servus illa familia est. Vel *genus* est servorum tuorum ac alienorum, *nomen* ut tui quoque alieni intelligantur. IDEM.—Alii, « et genere et nomine ». J. V. L.

XXI. 1. *Verbo quidem superabis... ne consistes quidem.* Si de verbo erit controversia, vinces; sin de re, statim victus discedes. In Orat. « Causidicus, qui in forensibus caussis possit consistere ». In Bruto: « Vix singulis ætatibus binos oratores laudabiles constitisse », hoc est, probatos fuisse, nec explosos. Est translatum a militia et pugna. Contra *percelli* dicuntur, h. e. everti, qui vincuntur in judicio; et *affligi*. De Orat. I: « Carbonem, quem tu Crasse adolescentulus perculisti ». Pro Quintio: « Afflictus et eversus judicio ». PASSER.

2. *Vim enim multitudinis restitui voluerunt. Respici voluerunt*, Pantagathus. F. URSIN. — Sed « vim multitudinis restitui » est vim a multitudine factam reparari, ut vulgo. Superius: « Totos dies aut vim fieri vetat, aut factam restitui jubet ». PASSER.

interdictum est: quod, etiamsi verbo differre videbitur, re tamen erit unum, et omnibus in causis idem valebit, in quibus perspicitur una atque eadem causa æquitatis.

Armatisve[3]. Quid dicemus? armatos, si latine loqui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis telisque parati ornatique sunt. Quid igitur? si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitem egeris; jussusque sis, quem hominibus armatis dejeceris, restituere: restituisse te dices? Verba si valent, si causæ non ratione, sed vocibus ponderantur[4]; me auctore dicito. Vinces profecto, non fuisse armatos[5] eos, qui saxa jacerent, quæ de terra ipsi tollerent; non esse arma cespites, neque glebas; non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramum defringerent arboris; arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum[6]: quæ qui non habuerint, eos inermes fuisse vinces. Verum si quidem erit armorum judicium[7], tum ista dicito:

— Pantagath. infeliciter conjicit *respici*. J. V. L.

3. *Armatisque*. In libris Victorianis, aliisque impressis est *armatisve*, quod rectum esse satis docet una lex 53, De verborum significatione. Super pecunia tutelave sua, etc. Aliter tamen censuit Hottomannus. F. Faber. — *Armatisve*, non modo Naugerius, verum etiam Venetæ antiquiores: Lambinus paruit Hottomanno. Totum hoc, « hominibus coactis, armatisve », omissum est in Pandectis, XLIII, 16, licet Ulpianus l. 2 de armis disserat; qui etiam l. 1, § 12, de procuratore agit, cujus mentio ibi nulla, sed apud Tullium est supra cap. 19. Vide infra ad cap. 29. Garat.

4. *Si causæ non ratione, sed voc. ponderantur*. Si non sententia et consilio, sed verbis æstimantur. Tuscul. V: « Non verbis ponderantur divitiæ, bona valitudo ». In Pison. « Non verbis, sed factis cujusvis virtutem ponderari ». Passer.

5. *Vinces profecto, non fuisse armatos*. Probabis. Non amplius repugnandum scilicet adversario, et contradicendum.

6. *Alia ad tegendum, alia ad nocendum*. Ad tegendum, galea, lorica, scutum, ocrea, nobis defensionis, ad nocendum, hasta, gladius, nobis offensionis. Passer.

7. *Siquidem erit armorum judicium*. Si de armis disceptabitur, ut inter milites. Hinc statim: « Tamquam si arma militis inspicienda sint ».

juris judicium quum erit, et æquitatis[8], cave in ista tam frigida, tam jejuna calumnia delitescas[9]. Non enim reperies quemquam judicem, aut recuperatorem, qui, tamquam si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum; sed perinde valebit[10], quasi paratissimi[11] fuerint, si reperientur ita parati fuisse, ut vim vitæ, aut corpori potuerint afferre.

XXII. Atque, ut magis intelligas, quam verba nihil valeant: si tu solus, aut quivis unus cum scuto, cum gladio, impetum in me fecisset[1], atque ego ita dejectus essem; auderesne dicere, interdictum esse de armatis hominibus, hic autem hominem armatum unum fuisse? Non, opinor, tam impudens esses. Atqui vide, ne multo nunc sis impudentior: nam tum quidem omnes mortales implorare posses, quod homines in tuo negotio latine loqui obliviscerentur; quod inermes armati[2] judicarentur; quod, quum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab uno, unus homo plures esse homines judicaretur.

8. *Juris judicium quum erit et æquitatis.* Quum de jure et æquitate quæretur. Passer.

9. *In ista tam frigida.... delitescas.* Tam languida, tam inani defensione fraudulenta tectus esse velis, ut Teucer sub Ajacis clypeo. *Delitescere* est defendi, tegi. In Lucullo: « Arcesilaum ait in eorum auctoritate delitescere, qui negant quidquam fieri posse, quum ipse totam philosophiam evertat ». Supra: « Ut tantum facinus in una litera latuisse viderat ». Infra: « Invenero verbum unum, ubi delitescam ». Idem.

10. *Sed perinde valebit*, etc. De his consule Excurs. XII ad calcem hujus orationis.

11. Alii, « ornatissimi ». J. V. L.

XXII. 1. *Fecisset.* Edit. vulgat. « fecisses ».

2. *Inermes armati.* Lambinus restituit, « armatus armati »; quod mihi non placet. Nam orator perspicue loquitur de pluribus, in quibus unus tantum armatus erat, reliqui inermes: ut mox ostendet. Hott. — *Inermes armati.* Hæc verba sane cum superioribus non conveniunt. Nam qui diceretur inermis, qui cum scuto et gladio fuit? Sed habenda fortasse ratio numeri, ut plures fuerint, sed unus tantum armatus. Passer. — Editam tuetur quoque P. Faber contra Lambinum ad cap. præcedens. Græv. — Forte, « unus in armis a. judicaretur ». Nam prorsus mendosa lectio esse videtur. J. V. L.

Verum in his causis non verba[3] veniunt in judicium, sed ea res, cujus causa verba hæc in interdictum conjecta[4] sunt. Vim, quæ ad caput et ad vitam pertinet, restitui sine ulla exceptione voluerunt[5]. Ea fit plerumque per homines coactos armatosque: quæ si alio consilio[6], eodem periculo facta sit; eodem jure esse voluerunt. Non enim major est injuria[7], si tua familia, quam si tuus villicus; non, si tui servi, quam si alieni, ac mercenarii; non, si tuus procurator, quam si vicinus, aut libertus tuus; non, si coactis hominibus, quam si voluntariis[8], aut etiam assiduis ac domesticis; non, si armatis, quam si inermibus, qui vim haberent armatorum ad nocendum; non, si pluribus, quam si uno armato. Quibus enim rebus plerumque vis fit, ejusmodi hæ res appellantur interdicto; si per alias res eadem facta vis est, ea, tametsi verbis interdicti non concluditur, tamen sententia juris atque auctoritate retinetur.

XXIII. Venio nunc ad illud tuum[1]: « Non dejeci, si non sivi accedere ». Puto te ipsum, Piso, perspi-

3. *Non verba veniunt in judicium.* De verbis controversia non est.

4. *In interdictum conjecta.* Collata, inclusa. Ad Attic. « Conjeci id proœmium in eum librum, quem tibi misi ».

5. *Vim, quæ ad caput... voluerunt.* *Exceptionem* significat, quemadmodum supra demonstravimus, *adscriptionem*, quæ interdicto subjicitur, « Quum qui dejectus esset possideret ». Hott. — *Sine ulla exceptione.* Non addita illa formula: *Extra quæ sin non possidebat*, qui dejectus. Supra: « Prætor sine ulla exceptione interdixit ». Passer.

6. *Quæ si alio consilio... facta sit.* Si sua sponte, non tua voluntate colonus dejecerit, eodem periculo capitis, æque restitui voluerunt. — Abest *quæ* a sex codd. Oxon.

7. *Non enim major est injuria.* Proprie. Nam injuria est, quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua alia turpitudine vitam alterius violat, ut docet IV ad Herenn.

8. *Voluntariis, aut etiam assiduis.* Qui sponte conveniunt. Supra: « voluntarii milites et volones ». *Assiduis,* qui eo in loco esse consueverunt colendi aut pascendi causa.

XXIII. 1. *Venio nunc ad illud tuum.* Ad illam tuam defensionem. — *Non dejeci, si non sivi accedere.* Firmissima defensio, ut supra ostendit; nam si ingressum dejecisset, omnino restitui oporteret.

cere, quanto ista sit angustior iniquiorque defensio [2], quam si illa uterere: « Non fuerunt armati; cum fustibus et saxis fuerunt ». Si mehercule mihi, non copioso homini [3] ad dicendum, optio detur, utrum malim defendere, non esse dejectum eum, cui vi et armis ingredienti sit occursum, an, armatos non fuisse eos, qui sine scutis ac sine ferro fuerint; omnino ad probandum utramque rem videam infirmam nugatoriamque esse [4], ad dicendum autem [5] in altera videar mihi aliquid reperire posse, non fuisse armatos eos, qui neque ferri quidquam, neque scutum ullum habuerint; hic vero hæream, si mihi defendendum sit, eum, qui pulsus fugatusque sit, non esse dejectum.

Atque illud in tota defensione tua mihi maxime mirum videbatur, te dicere, jurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere [6]. Quod ego tametsi non nunc primum, neque in hac causa solum, audio, tamen admodum mirabar, abs te quamobrem diceretur. Nam ceteri tum ad istam hortationem [7] decur-

2. *Angustior, iniquiorque defensio.* Legendum fortasse est, « inaniorque def. » LAMB. — *Angustior* est quæ minus late pateat, minusque juris habeat. Top. « Longe lateque pervagata angustis anteponenda sunt. Videtur spatiari, ubi non conceditur ». De Orat. II: « angustis disputationibus illigari ». Infra « verborum angustiæ ». *Iniquior* potest esse ejusdem significationis, ut apud Virgil. « spatioque subit Sergestus iniquo ».

3. *Non copioso homini.* Oratori non diserto, proprie non diviti, non abundanti.

4. *Ad probandum... nugatoriamque esse.* Ad vincendum, ad obtinendum causam, videam utramque defensionem parum valere, inanem plane et ridiculam esse. *Nugatorius*, pro Sext. Rosc. « mala nugatoriaque accusatio ». PASSER.

5. *Ad dicendum autem.* Distinguit *dicere* a *probare*, quod *probare* sit argumentorum et veritatis, *dicere* est calumniæ. De Orat. I: « Aliud oratio videtur, aliud disputatio, et aliud loqui, aliud dicere ».

6. *Jurisconsultorum auctoritati obtemperari*, etc. De hoc vide Excurs. XIV ad calcem hujus orationis.

7. *Ad istam hortationem decurrunt.* Nihil muto: ne hic quidem intelligit hortationem, qua illi videlicet hor-

runt, quum in causa putant habere æquum et bonum quod defendant : si contra verbis et literis, et, ut dici solet, summo jure contenditur; solent ejusmodi iniquitati boni et æqui nomen dignitatemque opponere[8]. Tum illud, quod dicitur, SIVE, NIVE[9], irrident; tum aucupia verborum, et literarum tendiculas[10] in invidiam vocant; tum vociferantur, ex æquo et bono, non ex callido versutoque jure, rem judicari oportere; scriptum sequi, calumniatoris esse; boni judicis, voluntatem scriptoris auctoritatemque[11] defendere. In ista vero causa, quum tu sis is, qui te verbo, literaque defendas; quum tuæ sint hæ partes[12] : « Unde « dejectus es[13]? an inde, quo prohibitus es accedere?

tentur judices, ut æquitatis non verborum rationem habere velint. — *Decurrunt*, tamquam ad sacram ancoram. Vis verbi *decurrere* secretior minus vulgo nota, nec Passeratio satis perspecta. Sicut Latinis *succurrere* est opem ferre, sic *decurrere* est opem implorare, apud Justinum, « decurre ad oraculum, ad regem », ut alibi notavi, et declaravi pluribus. GRÆV. — Faber Lambinum refellit, qui legebat *orationem*, eademque opera Mich. Brutum. GARAT.

8. *Iniquitati... opponere.* Juri summo, quod est summa injuria, obtendere et contra statuere æquitatem. Potest esse ἓν διὰ δυοῖν, ut grammatici loquuntur, « nomen dignitatemque », pro nominis dignitatem.

9. *Tum illud quod dicitur*, SIVE, NIVE, etc. De his adi Excurs. XIV ad calcem hujus orationis.

10. *Tum aucupia verborum, et literarum tendiculas.* Græce similiter dicitur : ut apud Platonem in Theæteto: Εἰ δὴ ὀνομάτων γε δεήσει θηρεύσεις. « Si nominum aucupia colligaverit ». HOTT. — *Aucupia* sunt decipulæ, captatiunculæ; « literarum tendiculæ » sunt quasi laquei, quos invidiosos reddere conantur. Super : « Sermo quotidianus non cohærebit, si verba inter nos aucupabimur ». De Orat. I : « Auceps formularum ». *Tendiculæ* meminit Non. in *tendere* : « Tendere, insidiari, decipere, dictum a tendicula. PASSER.

11. *Voluntatem scriptoris auctoritatemque.* Voluntatem testatoris, aut legislatoris ac sententiam tueri.

12. *Quum tuæ sint hæ partes. Partes* dicuntur personarum, quæ comœdias agunt : ad quas hoc loco alludit. Et paullo post idem dicit aliis verbis : « Quum tua sit hæc oratio »; nam « unde dejectus es, a. i. q. p. e. a. e. e. n. dejectus » : verba sunt Æbutii. Gallice simili metaphora dicimus : *le rôle que vous jouez*. PASSER.

13. *Unde dejectus es?* Hæc verba proferuntur ex persona Æbutii, cum iis, quæ sequuntur ibi, « fateor, me homines, etc. » usque ad illa, « in illa defensione, etc. » LAMBIN.

bat[11], sic est judicatum. Etenim ipse Crassus non ita causam apud centumviros egit, ut contra jurisconsultos diceret; sed ut hoc doceret, illud, quod Scævola defendebat, non esse juris; et in eam rem non solum rationes afferret, sed etiam Q. Mucio, socero suo[12], multisque peritissimis hominibus auctoribus uteretur.

XXV. Nam qui jus civile contemnendum putat[1], is vincula revellit non modo judiciorum, sed etiam utilitatis vitæque communis : qui autem interpretes juris vituperat, si imperitos juris esse dicit, de hominibus, non de jure civili detrahit; sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines lædit, sed leges ac jura labefactat[2]. Quod vobis venire in mentem profecto necesse est, nihil esse in civitate tam diligenter, quam jus civile, retinendum[3]: etenim, hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit; nihil

socer L. Crassi oratoris, et ut paullo post, et in libris de Orat. ostendit; nam L. Crassus Liciniam, Scævolæ et Læliæ filiam in matrimonium duxit. Hottom.

11. *Ut Manilius statuebat. M. Manilius* summus jurisconsultus : ut Cicero testatur in I de Oratore, et de Finibus libro. Idem.

12. *Socero suo.* Cujus filiam Liciniam uxorem duxerat. Idem. — Quis hoc apud Romanos monstrum audivit, ut feminæ a viri, non a parentis familia nomen sumerent? *Mucia* vocabatur, eratque Q. Mucii Q. F. Q. N. Scævolæ Auguris filia, ejus, qui socerum habuit C. Lælium. Hujus auctoritate Mucii usus est Crassus, quum adversus eum diceret in causa Curii Q. Mucius P. F. F. N. ipsius Crassi « æqualis, et collega », pontifex maximus. Ferr.

XXV. 1. *Qui jus civile contemnendum putat.* Oratorie, quum de juris civilis particula, nimirum de jurisconsultorum responsis agatur, universi juris civilis laudationem instituit: quasi de toto civili jure adversarii detrahant. Hott.

2. *Sed leges ac jura labefactat.* Quorum illi sunt interpretes populi consensu, ac voluntate constituti. Idem.

3. *Nihil in civitate..... retinendum.* Tanta cura asservandum. Verr. V : « religiones deorum immortalium retinere ». Recte autem Cicero. Nam civitas nihil aliud est, quam cœtus hominum jure sociatus, de Rep. VI, et jus civile est æquitas constituta

est, quod æquabile inter omnes [4], atque unum omnibus esse possit. Itaque in ceteris controversiis atque judiciis, quum quæritur, aliquid factum, necne sit, verum an falsum proferatur; et fictus testis subornari solet, et interponi falsæ tabulæ [5]; nonnumquam, honesto ac probabili nomine [6], bono viro judici error objici; improbo facultas dari, ut, quum sciens perperam judicarit, testimonium [7] aut tabulas sequutus esse videatur. In jure nihil est ejusmodi, recuperatores: non tabulæ falsæ, non testis improbus: denique nimia ista, quæ dominatur in civitate, potentia, in hoc solo genere quiescit; quid agat, quomodo aggrediatur judicem, qua denique digitum proferat [8], non habet. Illud enim potest dici judici ab aliquo non tam verecundo homine, quam gratioso [9]: Judica hoc factum esse, aut numquam esse factum, vel cogitatum; crede huic testi; has com-

iis, qui sunt ejusdem civitatis, ad res suas obtinendas. Vide lib. I de Orat. Passer.

4. *Nihil est, quod æquabile inter omnes.* Hoc ad jus certum pertinet, quod aut scripto constare, aut moribus, ex Quintiliano docuimus, aut jurisconsulti de jure dubio respondent. Hottom.

5. *Et imponi falsæ tabulæ.* Lamb. *interponi*, sed a conjectura Hottomanni, contra libros vett. quemadmodum paullo post admisit ejusdem divinatoris hariolationem, *testimonium* pro *testamentum*. Gruter. — Recte summus Ernestus in Ind. defendit, *imponi*. Garat.

6. *Nonnumquam honesto ac probabili nomine.* Aliqua specie honestatis et æquitatis. In Vatin. « misericordiæ nomine promulgari legem ».

7. *Testamentum.* Rursus Hottom. sequimur. J. V. L.

8. *Qua denique digitum proferat.* Ne tantulum quidem, quo progrediatur, non invenit. In Lucullo: « Quibus concessis digitum progredi non possunt ». Passer. — *Qua denique digitum proferat.* Non recte interpretatur Passeratius. Sed hoc significant hæc verba, ne tantillum quidem habet, quod moliatur, aut agere possit. Nam « digitum proferre, exserere, porrigere » dicitur de actione minima, ut patet ex loco illo III de Finibus: « Chrysippus ne digitum quidem ejus causa porrigendum dicebat ». Græv.

9. *Non tam v. h. quam gratioso.* Cui minus sit pudoris, quam gratiæ. — *Hoc factum esse.* Ut, Clodium occisum a Milone. — *Has comproba tabulas.* Judica, veræ an falsæ sint.

proba tabulas : hoc non potest : Cui filius agnatus sit, ejus testamentum non esse ruptum [10], judica ; quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi [11]. Non est aditus ad hujusmodi res, neque potentiæ cujusquam, neque gratiæ : denique, quo majus hoc sanctiusque videatur, ne pretio quidem corrumpi judex in ejusmodi causa potest. Iste vester testis [12], qui ausus est dicere, FECISSE VIDERI EUM, de quo, ne cujus rei argueretur quidem, scire potuisset, ipse numquam auderet judicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset [13]. O rem præclaram, vobisque ob hoc retinendam, recuperatores!

XXVI. Quod enim est jus civile [1]? quod neque in-

10. *Cui filius agnatus sit, ejus testamentum non esse ruptum.* Nam agnatione postumi rumpitur testamentum. Ulpianus in l. 3, 3, D. de injust. rupt. irrito fact. test. « Postumi per virilem sexum descendentes ad similitudinem filiorum nominatim exheredandi sunt, ne testamentum agnascendo rumpant ». Cui testatori natus est filius post mortem, nec exheredatus nominatim, ejus testamentum est vitiatum et irritum. Agnata dicuntur quæ præter spem aut post mortem nascuntur. Rumpitur autem testamentum, quum, permanente in suo statu testatore, casu aliquo evertitur, l. 2, § de Injust. rupto, ut agnatione postumi, adoptione vel adrogatione filii et filiæ. Justin. in Instit. et Isidor. lib. V, cap. 24. PASSER.

11. *Quod mulier sine auctore tutore promiserit, deberi.* De hoc lege, si vis, Excursum XV ad calcem hujus orationis.

12. *Iste vester testis*, etc. Fidiculanius Falcula, de quo supra cap. 10, hic amara tangitur allusione.

13. *Deberi viro dotem... dixisset.* Nam sub tutorum potestate mulieres perpetuo fuerunt. HOTT. — *Dixisset*, promisisset sine tutore. Cic. pro Flacco : « Quæ sine ullo auctore dicta dos est, nulla est ». Afranius : « Ei dicat dotis paullulum ». Vide Nonium in *dicere* promittere. PASSER.

XXVI. 1. *Quod enim est jus civile?* Locus mendosus; nec, ut a Lambino corrigitur, mendum sublatum est. Repetitur paucis, quod dictum fuerat pluribus; ut particula *enim*, hic supervacanea omnino sit. Deinde *quod* non habet vim interrogandi, quasi rem inauditam quærat ex illis, sed refertur ad antecedens pronomen *hoc*, ut sit « ob hoc retinendum, quod, etc. » Itaque pro illo *enim* lego *unum*, id est, *solum*. Hoc ipse paullo ante dixit : « Nimia ista quæ dominatur in civitate potentia, in hoc solo genere quiescit ». P. FABER. — In P. Francii libro sic interpungitur hic locus, uti in Gruteriana distinguitur (et a Lambino). Nullam video causam cur debeat immutari cum Fabro.

flecti gratia, neque perfringi potentia[2], neque adulterari pecunia possit; quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adservatum erit, nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut a patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. Quid enim refert, ædes, aut fundum relictum a patre, aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit, quæ tum[3] omnia tua jure mancipii sint, ea possisne retinere[4]? si parum sit communitum jus[5]? si civili ac publica lege contra alicujus gratiam teneri non potest[6]? Quid, inquam, prodest, fundum habere, si, quæ decentissime descripta a majoribus jura finium, possessionum, aquarum, itinerumque sunt, hæc perturbari aliqua ratione commutarique possunt? Mihi credite: major hereditas venit unicuique vestrum in iisdem bonis, a jure, et a legibus, quam ab iis, a quibus illa ipsa bona relicta sunt. Nam, ut perveniat ad me[7] fundus, testamento alicujus fieri potest; ut retineam, quod meum factum

Exaggerat hodie cum interrogatione, quæ dixerat. Græv.

2. *Neque inflecti gratia, neque perfringi potentia.* Ex hoc loco intelligitur, *gratiam* hoc differre a *potentia*, quod illa cum superioribus, hæc cum inferioribus rationem habet: ut si quem privatum hominem apud consules, cæterosque magistratus, et primos civitatis gratiosum esse dicamus: horum vero magnam esse potentiam in istos recuperatores. Hott.—Quum tribuitur aliquid gratiæ vel misericordiæ, jus non est amplius rectum. Donat. « Jus omnia recta et inflexibilia exigit ». Passer.

3. Sic verissime, ut puto, emendavi lectionem MSS leviter corruptam, « quæ quum omn. t. » Alii aliter. Seb. delet duo verba: ne imiteris. J. V. L.

4. *Si incertum sit... ea possisne retinere.* De his intelligendis consule Excurs. XVI ad calcem hujus orat.

5. *Si parum sit communitum jus.* Stabilitum. — *Si civili ac publica lege.* Id est, si civium ac populi lege. — Quod hic « publicam legem » vocat, De Offic. I, 19, vocat *publicum jus.* « Ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur ».

6. Rectius forte, *possit.*

7. *Ut perveniat ad me.* Ut meus fiat. Juris verbum, quo utimur, quum quid permansurum intelligitur; l. aliud D. de verb. signif. et cum effectu accipiendum l. nomen, § ult. eod. tit. hic tamen aliter accipitur;

sit[8], sine jure civili non potest. Fundus a patre relinqui potest; at usucapio fundi[9], hoc est, finis sollicitudinis ac periculi litium [10], non a patre relinquitur, sed a legibus. Aquæ ductus, haustus, iter [11], actus, a patre; sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. Quapropter non minus diligenter ea, quæ a majoribus accepistis, publica patrimonia juris, quam privatæ rei vestræ retinere debetis: non solum, quod hæc jure civili septa sunt, sed etiam quod patrimonium unius incommodo dimittitur, jus amitti non potest sine magno incommodo civitatis.

quum ei opponitur *retinere*. Passer.

8. *Ut retineam quod factum sit.* Hoc eam vim habet, ut cujus testamento alicujus hereditatem possit accipere, peregrinus non possit : ut sæpe in hac oratione ostenditur: nam quum hereditatis aditio per in jure cessionem fieret, hæc autem inter cives rom. tantum valeret, ut ipse docet in Topicis, sequitur, ut peregrinus heres a cive rom. institui non possit. Hott.

9. *At usucapio fundi.* Id est, jus dominii, atque auctoritas, quam usus fundi biennis affert: et hoc vere dicitur: nam civium hoc jus erat proprium : peregrini usucapere non poterant; ut in lege XII tabb. quam ipse memorat lib. I Offic. « Adversus hostem æterna auctoritas esto. Hostis enim, inquit, apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus ». Hottom. — Usucapio est adeptio dominii legitimo spatio possessionis. *Usus* possessionem significat, unde dicta *usucapio*, quæ definitur « adeptio (ita leg. Duar. non *adjectio*) dominii per continuationem possessionis lege definiti », l. 3, D. de usucap. Isidor. v. 15; Ulpian. tit. 19. Gell. VII, 10, capionem tamquam captionem dici putat, ut pignoris capionem; sed fallitur, quum scribendum esset, *ususcapione;* non enim usus rei capitur, sed res usu. Passer. — Recte. Sed *usu* non est *possessione* proprie, sed *utendo*, ut supra ostendit. Græv.

10. *Finis sollicitudinis, ac periculi litium.* Quidam legunt, « a periculo litium »: ego in uno codice MS reperi, « ac periculorum, etc. » hoc tantum. Lambin.—Non longe ab hoc Lambiniano recedit P. Franc. liber: « finis sollicitudinis, ut periculum litium » : et editio Mediolanen. « finis sollicitudinis ac periculum litium ». Sed omnium antiquissima, « finis sollicitudinis ac periculorum litium ». Sane *litium* censeo esse centonem, adsutum ab illo, in cujus libro corrupte sine sententia ulla legebatur *periculum*. Græv. — *Periculorum*, editio 1480. *Periculum*, edit. 1483. *Litium* nullibi deest, quod recte tamen suspicatus est Grævius deesse debere.

11. *Aquæductus, haustus, iter.* Harum servitutum explicationem imperiti juris cognoscent ex libro Pandect. VIII, vel Institut. II. Hott. —

XXVII. In hac ipsa causa[1], recuperatores, si hoc nos non obtinebimus, vi, armatis hominibus dejectum esse eum, quem vi, armatis hominibus pulsum fugatumque esse constet: Cæcina rem non amittet, quam ipsam animo forti, si tempus ita ferret, amitteret; in possessionem in præsentia non restituetur; nihil amplius: populi romani causa, civitatis jus, bona, fortunæ possessionesque in dubium incertumque revocabuntur[2]; vestra auctoritate hoc constituetur; hoc præscribetur: quicum tu posthac de possessione contendes, eum, si ingressum modo dejeceris[3], in prædium restituas oportebit; sin autem ingredienti cum armata multitudine obvius fueris, et ita venientem repuleris, fugaris, averteris, non restitues: tum sta-

Aquæ ductus definitur leg. 1, de serv. præd. rust. Jus aquam ducendi per fundum alienum, quod etiam aquagium dicitur apud Festum: et l. 3, § penult. D, de aqua quotid. De aquæ haustu dubitatum est, quia perpetuam causam non habet, sed tandem obtinuit, ut servitus esset; l. 2, D. communia prædiorum. Hauritur autem machinis, ut in l. 1, de contrah. empt. et apud Vitruv. lib. XI, cap. 9, d. l. 2. Passer. — *Iter, actus.* Ut hæc differunt, vide jurisconsultos, in primis Ægid. Menag. Amœnitat. Juris, cap. 36. Græv. — *Rata auctoritas.* Jus dominii firmum ac fixum: et vide supra. — *A jure civili sumitur.* At non ex jurisconsultorum responsis: ex quo quam religiose causæ serviat intelligitur.

XXVII. 1. *In hac ipsa causa.* Redit a loco communi ad rem causamque privatam.

2. Edd. pr. *revocantur*, quod e compendiaria scriptura natum est. Correxit Aldus. Ernest.

3. *Si ingressum modo dejeceris.* Erfurt. « si ingressum modo delegeris »: quod qui non intellexerunt, interpolare sunt ausi. Sic in Vatin. 13: « Urnas delegerit », ubi pessime alii « deleverit », al. « dejecerit ». Plaut. Asin. III, 3: « Hinc me amantem ex ædibus delegit hujus mater ». Plura sunt exempla in promptu. Græv. — Nemo recentiorum summo viro morem gessit. Est tamen *delegeris* etiam in ed. 1480, atque ab Ernestio probatur. Hunc verbi sensum jampridem noverant eruditi. Laurenbergius in Antiquar. Rutilium inter ceteros, auctorem optimum, laudavit II de Fig. 7: « alium contumeliose extra januam delectum », cujus optimæ lectionis non meminerunt Capperonnerius et Ruhnkenius, edentes *ejectum.* Sed Lindenbrogius ad Severi Ætnam, vs. 290, citat *electum*, sensu eodem; de quo Pareus in Lex. Plaut. Permutatio literarum *i* et *l* observata jamdudum a viris doctis est in MSS et inscriptionibus, veluti a Victorio, Var. Lect.

tueritis[4] vim in cæde solum, non etiam in animo; nisi cruor appareat, vim non esse factam; injuriarum delictum esse[5], qui prohibitus sit; nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, dejici neminem posse. Juris igitur retineri sententiam[6], et æquitatem plurimum valere oportere; an verbo ac litera jus omne torqueri, vos statuite, recuperatores, utrum utilius esse videatur.

Hoc loco percommode accidit, quod non adest is, qui paullo ante affuit, et adesse nobis frequenter in hac causa solet, vir ornatissimus, C. Aquillius. Nam ipso præsente, de virtute ejus et prudentia timidius dicerem; quod et ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude, et me similis ratio pudoris a præsentis laude tardaret. Cujus auctoritati dictum est ab illa causa concedi nimium non oportere, non vereor de tali viro[7] ne plus dicam, quam vos aut sentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, numquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam populus romanus in cavendo[8], non in decipiendo perspexerit; qui juris civilis rationem

XXXVIII, 11, a Reinesio Ind. Inscr. cap. 19, ab aliis permultis, quos citat Drakenb. ad Liv. II, 23. Garat.

4. *Non restitues; tum statueritis*, etc. De hac tota phrasi vide Excurs. XVII ad calcem hujus orationis.

5. Lallem. post Victorium, « in jure parum delectum esse ».

6. *Juris retinere sententiam.* Sic meliores libri tam manu exarati, quam typis vulgati. Lambinus intrusit *igitur*, et *retineri* scribit, quem sequitur Gruterus, refragantibus codicibus. Grut. — *Vir ornatissimus C. Aquillius.* Hic est, opinor, idem ipse Aquillius, qui in Quintiana causa judex fuit, et qui Cæcinæ totus favebat.

7. *Non vereor de tali viro, ne*, etc. Sic et P. Manutii editio, optime. Quamvis Erfurt. *non* cum vulgatis omittat. Græv. — Omittunt etiam perperam edd. vett. Grut. Verb. Oliv. Sed iterum revocavit, suis adstipulantibus MSS, Lallemandus, qui abunde jam de Naugerii fide testantur. Quamquam sententia id aperte postulabat. Garat.

8. *Populus romanus in cavendo.* In vadimoniis concipiendis, in litium actionibus, exceptionibusve consti-

numquam ab æquitate sejunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo romano promptam expositamque præbuerit; qui ita justus et bonus vir est, ut natura, non disciplina consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, ut ex jure civili, non scientia solum quædam, verum etiam bonitas nata videatur; cujus tantum est ingenium, ita prompta fides, ut, quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire[9] sentias. Quare permagnam initis a nobis gratiam, quum eum auctorem nostræ defensionis esse dicitis[10]. Illud autem miror, cur vos aliquid contra me sentire dicatis, quum eum auctorem vos pro me appelletis, nostrum nominetis. Verumtamen quid ait iste noster auctor? Omnibus, quidquid verbis actum pronuntiatumque sit, convenit[11].

XXVIII. Ego ex isto genere consultorum non neminem, ut opinor, istum ipsum[1], quo nos auctore rem istam agere, et defensionem causæ constituere vos dicitis? qui quum istam disputationem mecum ingressus esset, non posse probari, quemquam esse dejectum, nisi ex eo loco, in quo fuisset[2]; rem et

tuendis, id est, judiciorum formulis concipiendis, quæ a prætore litigatores postularent; hæc enim tum erat jurisconsultorum procuratio. HOTT.

9. *Purum liquidumque te haurire sentias.* Nulla calliditate aut astutia admixtum, nihil non sincerum et purum. HOTT.

10. *Auctorem vestræ defensionis... contra me sentire... vester auctor... convenit.* De hoc loco difficili et obscuro legendus est Excursus XVIII ad calcem hujus voluminis.

11. P. Manut. «Conveni ego... non neminem».

XXVIII. 1. *Istum ipsum.* C. Aquillium. HOTTOM. — Quum dicit, *istum*, innuit vel esse præsentem, vel de illo hactenus fuisse sermonem. Si non Aquillius, verum alius erat, ut putat Manutius, fuisse præsentem oportuit: neque enim de alio, quam de Aquillio, sermo præcesserat. Cur ergo non appellatur? ubi sic loquitur Cicero? Sed ipse sese Tullius explicat, dum pergit, « quo nos auctore, etc. » Id enim de ipso Aquillio modo dixerat, quem sane nibil fuisset opus exquisitis laudibus prædicare, si nunc alterius responsum proferretur. FERR.

2. *In quo fuisset.* Sic accipio, *quem possedisset.* Et sic puto aut dixisse,

sententiam interdicti mecum facere fatebatur; verbo me excludi dicebat; a verbo autem posse recedi non arbitrabatur. Quum exemplis uterer multis, etiam illa materia æquitatis[3]; ab verbo et ab scripto, plurimis sæpe in rebus, jus, et æqui bonique rationem esse sejunctam[4]; semperque id valuisse plurimum, quod in se auctoritatis habuisset æquitatisque plurimum[5]: consolatus est me, et ostendit, in hac ipsa causa nihil esse, quod laborarem; nam verba ipsa sponsionis facere mecum, si vellem diligenter attendere. Quonam, inquam, modo? Quia certe, inquit, dejectus est Cæcina vi, hominibus armatis, aliquo ex loco: si non ex eo loco, quem in locum venire voluit; at ex eo certe, unde fugit. Quid tum? Prætor, inquit, interdixit, ut, unde dejectus esset, eo restitueretur, hoc est, quicumque is locus esset, unde dejectus esset. Æbutius autem, qui fatetur, aliquo ex loco de-

aut certe intellexisse Aquillium; sed artificiose et oratorie verba Tullius ad suum commodum utilitatemque deflectit. Hottom.

3. *Materia æquitatis.* Quod mutat Hottomannus facit non necessario: vocat enim hic « materiam æquitatis », quem « campum æquitatis » vocabit paullo post, quem « latum locum » alibi. Sic in lib. I de Orator. ut in II de Inventione, conjuncte dixit, « silvam et materiam ». Pro Milone, « segetem et materiam ». In lib. IV de Finibus, « materiam et copiam ». ut Græci quoque ὕλην usurpare solent. P. Fab.

4. *Jus et æqui bonique rationem esse sejunctam.* Vocem *jus* ex suo remotam loco, in hunc postea irrepsisse alienum, arbitror; et proximo in versu reponendam; ut sic legamus: « Semperque id jus valuisse plurimum ». Hottom.—*Jus æqui bonique rationem esse sejunctam.* Ne hic quidem probare possum correctionem. Appellat enim, « Jus æqui bonique rationem »; quasi ἐκ παραλλήλου, ut alibi, « jus et æquitatem »; alibi, « jus ex æquo et bono ». Etiam definitio juris civilis, ut in Topicis, æquitatem, ut partem juris complexa est; quin « causam juris et æquitatis » dicet hic paullo post: quo magis enim æquitatem tueri hic se volebat intelligi, eo magis in æquitate jus hac disputatione constituit. P. Fab.

5. *Quod in se auctoritatis habuisset æquitatisque plurimum.* Ex interpretum prudentum sententia. Passer. — *Consolatus est me.* Jussit me bono animo esse. Idem. — *Nihil esse quod laborarem.* Quod essem sollicitus et anxius. Est enim defensionis labor.

jectum esse Cæcinam, is, quo modo se restituisse dixit, necesse est male fecerit sponsionem [6].

Quid est, Piso? placet tibi pugnare verbis? placet causam juris et æquitatis, et, non nostræ possessionis, sed omnino possessionum omnium, constituere in verbo? Ego, quod mihi videretur, quod a majoribus factitatum, quod horum auctoritate, quibus judicandum est, dignum esset, ostendi: id verum, id æquum, id utile omnibus esse, spectari, quo consilio et qua sententia, non, quibus quidque verbis esset actum. Tu me ad verbum vocas [7]; non ante venio, quam recusaro [8]. Nego oportere, nego obtineri posse [9], nego ullam rem esse, quæ aut comprehendi satis, aut caveri, aut excipi possit [10], si aut præterito aliquo verbo, aut ambigue posito, sententia et re cognita, non id, quod intelligitur, sed id, quod dicitur, valebit.

XXIX. Quoniam satis recusavi, venio jam quo vocas. Quæro abs te, simne dejectus, non de Fulciniano fundo (neque enim prætor, si ex eo fundo essem de-

6. *Male fecerit sponsionem*. Parum caute conceperit. Supra: « Optime sponsionem facere posset ». Ratio autem Aquillii petitur ex verbo, restituisse te dicis; ergo aliquo restituisse. Nusquam restituisti: igitur male fecisti sponsionem. At Æbutius alio modo verbum restituendi sumebat, qui negabat omnino illum dejectum esse. Pass.

7. *Tu me ad verb. vocas*. Tamquam ad judicem. Virg. « Veniam quocumque vocaris ». Cic. in Rullum: « Lacesso vos, in concionem voco ». — Multi cum interrogatione, « Tu.... vocas? » J. V. L.

8. *Quam recusaro*. Quam testatus ero, iniquum esse. Perstat in translatione. Nam vocatus ad judicem aliquem, si iniquum est, recusat. Pro Flacco: « Populum romanum non recuso ». Passer.

9. *Nego obtineri posse*. Vel a me concedi, vel a judicibus impetrari. Idem. — *Quæ aut comprehendi*. Includi verbo, ut complectatur vim rei. Sup. « Verbis edictum non concluditur ». Idem.

10. *Aut caveri, aut excipi possit*. Prudenter et callide scribi, aut excludi, et refelli verbis idoneis possit. Utrumque est JCti, et alterum ad actorem proprie refertur, cujus est cavere, ne male agendo causa cadat, ut defensoris, exceptione excludere

jectus, ita me restitui[1] jussit; sed eo, unde dejectus essem): sum ex proximo vicini fundo dejectus, qua adibam ad istum fundum; sum de via; sum certe alicunde, sive de privato, sive de publico: eo restitui sum jussus. Restituisse te dixti[2]. Nego me ex decreto prætoris[3] restitutum esse. Quid ad hæc dicimus? aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio, aut nostro, defensio tua conficiatur necesse est. Si ad interdicti

actionem et petitionem, ut in Partit. scribit JCti esse, « excipere iniquitatem actionis ». Passer.

XXIX. 1. *Ita me restitui*, etc. Omnes fere veteres, etiam impressi, *jussit;* quod sine dubio rectum est: hæc enim verba: « Si ex eo fundo essem dejectus »; et illa: « Eo unde dejectus essem »; prætoris verba sunt, et grandioribus literis scribenda. Sensus est tamen subobscurus, sed qui facile sic eliciatur: Quoniam verbis et syllabis decernendum putas, mihi placet conditio. Jam quum prætor sic dixit: « Eo unde dejectus sum »; non Fulcinianum fundum significavit; unde (hoc enim tibi nunc temporis causa concedam et largiar) dejectus non sum; sed proximum. Tu vero qui de Fulciniano fundo intelligens exceptione usus es, *restitui*, si dejeci; et non dejecisse te defendis: male sponsionem fecisti. Decretum enim prætoris non est sub exceptione conceptum: « Si dejectus sum »; ut de Fulciniano fundo disputatum sit: sed pure et simpliciter, « eo unde ». Quare quum omnino nullum in locum me restitueris, causam amiseris necesse est. Hottom.

2. *Restituisse te dixisti.* Leve sit fortasse monere, Quintilianum in lib. IX, cap. 3, ubi hæc verba recitat, legere *dixti*, quum dicit, « ubi et ipsum *dixti* extrita litera, figura in verbo est ». Sed hoc non item leve dixeris, quod idem Quintilianus ibidem hæc verba recitat: « Nego me ex edicto prætoris restitutum esse »; quum Hottomannus pro *edicto* legendum omnino esse *decreto* contendat; et ita esse in multis libris; itaque etiam corrigit in pagina sequenti; ut illum sequutus utrobique legit clarissimus item jurisconsultus Cujacius in lib. V Observat. quem citavi superius: qui etiam addit, non putare se *edicti* et *interdicti* auctores abuti vocabulis. Id valet, opinor, altero eorum vocabulorum pro altero uti, quibus in locis Lambinus mavult *interdicto* reponere: supra tamen in his verbis interdicti: « Ni adversus edictum prætoris vis facta esset », illi non correxerunt. Ego satis constare puto ex tot hujus orationis locis, et Quintilianum recte descripsisse; et qui *decreto*, quo continetur *interdictum*, ait Hottomannus, et qui *interdicti* hic pro *edicto* posuerunt, parum attendisse *interdictum* etiam *edicti* appellatione, ut speciem in genere contineri. Quum *interdicere* sit edicere, et non modo prohibere, sed etiam jubere significet. P. Faber.

3. *Ex edicto prætoris.* Aldus et omnes prope alii libri: « Ex decreto prætoris », quomodo legendum videtur: nisi forte idcirco hanc scripturam malimus, quod « Interdicta edicto et

sententiam confugis, et, de quo fundo actum sit tum, quum Æbutius restituere jubebatur, id quærendum esse dicis, neque æquitatem rei verbi laqueo capi putas oportere: in meis castris præsidiisque versaris[4]; mea, mea est ista defensio; ego hoc vociferor, ego omnes homines deosque testor: quum majores vim armatam nulla juris defensione texerint, non vestigium ejus, qui dejectus sit, sed factum illius, qui dejecerit, in judicium venire; dejectum esse, qui fugatus sit; vim esse factam, cui periculum mortis sit injectum. Istum locum fugis et reformidas, et me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis[5] ad istas verborum angustias et ad omnes literarum angulos revocas: in iis ipsis includere[6] insidiis, quas mihi conaris opponere. Non dejeci, sed ejeci. Peracutum hoc tibi videtur; hic est mucro defensionis tuæ. In eum ipsum causa tua incurrat necesse est. Ego enim tibi refero[7]: Si non sum ex eo loco dejectus, quo prohibitus sum accedere; at ex eo sum dejectus, quo accessi, unde fugi. Si prætor non distinxit locum, quo me restitui juberet, et restitui jussit; non sum ex decreto restitutus.

albo prætoris continebantur; l. 1, C. de interdict. Hottom. — *Nego me ex interdicto;* etc. Vel sic legendum, « nemo me ex decreto, etc. » idemque simili loco, qui est pagina sequente, sentiendum: vulgata autem lectio, *ex edicto*, mendosa est. Lamb. — Ibid. Quintilianus, « Nego me edicto ». Unde P. Manutius, ann. 1540, edidit « ex edicto », interpretum aliis pro alio stantibus. Lambinus quoque suum attulit, « ex interdicto ». Res eodem redit, quoquo modo legatur. J. V. L.

4. *In meis castris præsidiisque versaris*. Meas copias auges, et confirmas. Passer.

5. *Me ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis*. Ex hoc loco patente, ubi spatiari et exsultare libere potest oratio. In Lucullo: « Quum sit campus, in quo exsultare possit oratio, num eam in angustias et stoicorum dumeta compellimus? » Idem.

6. Ern. et qui eum sequuntur, legunt « includere vis ». Frigidius. J. V. L.

7. *Ego enim tibi refero. Referre*, contradicere, ad defensionem alterius afferre, et contra alterius responsio-

tutus[8]. Velim, recuperatores, hoc totum, si vobis versutius, quam mea consuetudo defendendi fert, videbitur, sic existimetis : primum alium, non me, excogitasse; deinde hujus rationis non modo non inventorem, sed ne probatorem quidem esse me; idque me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse; me posse pro meo jure dicere, neque in hac re, quam ego protuli, quæri oportere, quibus verbis prætor interdixerit[9], sed de quo loco sit actum, quum interdixit; neque in vi armatorum spectari oportere, in quo loco sit facta vis, verum sitne facta; te vero nullo modo posse defendere, in qua re tu velis, verba spectari oportere; in qua re nolis, non oportere.

XXX. Verumtamen ecquid mihi respondetur ad illud, quod antea dixi, non solum re et sententia, sed verbis quoque hoc interdictum ita esse compositum, ut nihil commutandum videretur? Attendite diligenter, quæso, recuperatores. Est enim vestri ingenii, non meam, sed majorum prudentiam cognoscere : non enim sum id dicturus, quod ego invenerim, sed quod illos non fugerit. Quum de vi interdicitur, duo genera causarum esse intelligebant[1], ad quæ interdictum pertineret : unum, si qui ex eo loco, in quo esset; alterum, si ab eo loco, quo veniret, vi dejectus esset : et horum utrumque, neque præterea quidquam, potest accidere, recuperatores. Id adeo, si placet, considerate[2]. Si qui meam familiam de meo

nem opponere. Græci ἀνθυποφέρειν dicunt, jurisconsulti *replicare*. Hott.

8. *Ex edicto restitutus*. Vide Exc. XIX ad calcem hujus orationis.

9. Al. *interdixit*. J. V. L.

XXX. 1. *Duo genera causarum esse intelligebant*. Notanda locutio, nobis præsertim juris civilis studiosis, qui in hoc genere vulgo sic loquimur: « Duos casus, et duobus casibus contingere ». Hottom.

2. *Id adeo, si placet, considerate*.

fundo dejecerit, ex eo me loco dejecerit. Si qui mihi præsto fuerit[3] cum armatis hominibus extra meum fundum, et me introire prohibuerit; non ex eo, sed ab eo loco me dejecerit. Ad hæc duo genera rerum, unum verbum, quod satis declararet utrasque res, invenerunt: ut, sive ex fundo, sive a fundo dejectus essem, uno atque eodem interdicto restituerer, UNDE TU[4]. Hoc verbum, UNDE, utrumque declarat: et ex quo loco, et a quo loco. Unde dejectus est Cinna[5]? ex Urbe. Unde dejectus? ab Urbe. Unde dejecti Galli? a Capitolio. Unde, qui cum Graccho fuerunt[6]? ex Capitolio. Videtis igitur, hoc uno verbo significari res duas, et ex quo, et a quo loco. Quum autem eo restitui jubet, ita jubet[7]: ut, si Galli a majoribus nostris postularent, ut eo restituerentur, unde dejecti essent, et aliqua vi hoc assequi possent; non, opinor, eos in cuniculum[8], qua aggressi erant, sed

Diligenter, si videtur, attendite. Donatus: *Adeo* aut expletiva particula ornatus causa, aut auget. Pro Plancio: « Peto, posco, atque adeo flagito ». PASSER.

3. *Si qui mihi præsto fuerit.* Occurrerit, vel ibi exspectarit meum adventum. IDEM.

4. UNDE TU. Ita Venetæ vett. Ascens. Naug. etc. Camerarius tamen maluit Hervagii lectionem, UNDE. VI. Hic nempe titulum habet interdicti, vulgata initium. GARAT.

5. *Unde dejectus est Cæcina? ex Urbe. Unde... unde qui... ex Capitolio.* De his omnibus magna et intricata difficultas, quam solvet Excurs. XX ad calcem hujus orationis.

6. *Unde, qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. Cum Tiberio Graccho;* nam, ut Appianus et Plutarchus scribunt, P. Scipio Nasica pont. max. in Capitolium, quo Gracchus cum multitudine convenerat, ut leges civitati maxime salutares ferret, cum senatu profectus impetum in Gracchi comites fecit, eosque non modo ex Capitolio dejecit, sed etiam ex rupe præcipites exturbavit. HOTTOM.

7. *Quum autem eo restitui jubet, ita jubet.* Nihil muto, et facile illa intelligo ex proximo, « unde tu dejecisti »: ut neque in his, « ut quum esset a patria dejectus », quidquam mutetur absque magno sententiæ incommodo, quæ ut nunc est, quid habet, quæso incommodi? nam ut hic « a patria dejectus », dicit; sic dicet paullo post: « Postulat, a quo loco dejectus est, etc. » P. FABER.

8. *Eos in cuniculum. Cuniculum* egisse Gallos in Capitolium iterum Philipp. III, significat his verbis: « Adesse in Capitolio jussit; quod in

in Capitolium restitui oporteret. Hoc enim intelligitur : UNDE TU DEJECISTI, sive ex quo loco, sive a quo loco, EO RESTITUAS. Hoc jam simplex est, in eum locum restituas : sive ex hoc loco dejecisti, restitue in hunc locum; sive ab hoc loco, restitue in eum locum, non ex quo, sed a quo dejectus est. Ut si qui ex alto, quum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus optaret, ut, quum esset a patria dejectus, eo restitueretur [9]; hoc, opinor, optaret, ut, a quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret [10], non in salum, sed in ipsam urbem, quam petebat : sic, quoniam vim verborum necessario similitudine rerum aucupamur, qui postulat, ut, a quo loco dejectus [11] est, hoc est, unde dejectus est, eo restituatur; hoc postulat, ut in eum ipsum locum restituatur [12].

XXXI. Quum verba nos eo ducunt, tum res ipsa hoc sentire atque intelligere cogit. Etenim, Piso (redeo nunc ad illa principia defensionis meæ), si quis te ex ædibus tuis vi, hominibus armatis dejece-

templum ipse nescio qua, per Gallorum cuniculum ascendit ». Ea tamen de re nullus, quod sciam, alius scriptor commemoravit. HOTT. — In *cuniculi* vocabulo est significatio aditus occulti, qualis fuit is, quo aggressi erant Galli. Livius, V, 47. OLIVET. — Certa est hic, et Phil. III, 8, omnium codicum scriptura. GARAT.

9. *Optaret, ut quum esset a patria dejectus, eo restitueretur.* Lambinus publicavit, « optaret ut unde esset dejectus, eo restitueretur : hoc optaret, ut quum esset, etc. » tamquam si Ciceronis ea essent, quum provenerint de timida conjectura Hottomanni : tota hac oratione intolerabilis est protervia Monstroliensis hujus : et jactat tamen vestigia manu exaratorum codicum. GRUTER.

10. *In eum se fortuna restitueret.* Quæ domina est æquoris. Horatius et C. Tacitus : « Nihil tam capax fortuitorum quam mare ». — *Non in salum.* Cicero Tuscul. III : « Nec tam ærumnoso navigasse salo » : ex veteri poeta Livius : « In salo stare ante hostium portum ». Hinc *salacia* apud Festum, quæ salum ciet, seu mare movet. Glossar. *Salacia* Ἀμφιτρίτη. PASSER.

11. Absunt a vulgat. verba, « hoc.... restituatur ». Supplevit e cod. Erfurt. Grævius. J. V. L.

12. *Qui postulat, ut a quo loco de-*

rit [1], quid ages [2]? opinor, hoc interdicto, quo nos usi sumus, persequere [3]. Quid? si qui jam de foro redeuntem, armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages? utere eodem interdicto. Quum igitur prætor interdixerit, unde dejectus es, ut eo restituaris; tu hoc idem, quod ego dico, et quod perspicuum est, interpretabere: quum illud verbum, UNDE, in utramque rem valeat [4], eoque tu restitui sis jussus; tam te in ædes restitui [5] oportere, si e vestibulo, quam si ex interiore ædium parte dejectus sis.

Ut vero jam, recuperatores [6], nulla dubitatio sit, sive rem, sive verba spectare vultis, quin secundum nos judicetis [7]; exoritur hic jam, obrutis rebus omni-

jectus est, etc. De his vide Exc. XXI ad calcem hujus orationis.

XXXI. 1. *Si quis te ex ædibus tuis vi hominibus armatis dejecerit, quid ageres?* Hic pro *dejecerit* legam libenter totidem atque iisdem literis omnibus, *dejiceret*, quia sequitur « ageres et persequerere », aut ut vult legi Lambinus, « dejecerit, quid ages? » sed nihil ausim mutare: etenim quando in Pandectis illis nobilibus, in lege 36: *De auro, argento, mundo*, etc. Scævola in hac formula, « Seiæ, inquit, dulcissimæ poculum aureum, quod elegerit, fidei heredum committo, ut darent ». Quam locutionem, ut alias similes magni jurisconsulti quidam audacius opinor, hoc tempore corrigunt. Etenim Diomedes grammaticus ipse, qui in libro primo de hujusmodi verborum conjunctione diligentissime scripsit, eam confitetur non solere semper apud veteres observari. Exemplum etiam profert e Ciceronis oratione pro Sext. Roscio: « Quum nulla proscriptionis mentio fieret, nomen refertur in tabulas Sexti Roscii ». Legimus item apud Cæsarem lib. I de Bello Gallico: « Persuadet Castico, ut regnum in civitate sua occuparet ». GAR.

2. *Ages... utere*. Al. « ageres? uterere ». J. V. L.

3. *Persequere*. Al. *persequerere*. J. V. L.

4. *In utramque rem valeat*. Et a quo, et ex quo loco. HOTT. — Sup. « utrumque genus causæ ». GRÆV. — *Eoque tu restitui. Eoque*, verbo scilicet; ut sit pronomen, et referatur ad verbum *unde*. HOTT.

5. *In ædes tuas restitui*. Apposui ex Erfurt. *tuas*, quod in vulgatis desideratur. GRÆV. — Scilicet in Gruterianis, quibus nimium adhæsit postea Verburgius. Nullam enim vidi antiquiorem, in qua deesset. GAR.

6. *Ut vero jam multa dubitatio sit*, etc. De hoc consulendus est Exc. XXII ad calcem hujus orationis.

7. *Quin secundum nos judicetis*. Damnato Æbutio. Pro Flacco: « Sententiam secundum Plautium se dictu-

bus et perditis[8], illa defensio: eum dejici posse, qui tum possideat; qui non possideat, nullo modo posse; itaque, si ego sim a tuis ædibus dejectus, restitui non oportere; si ipse sis, oportere. Numera, quam multa in ista defensione falsa sint, Piso. Ac primum illud attende, te jam ex illa ratione esse depulsum[9], quod negabas quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco fuerit: nunc, qui possideat, eum, etiamsi non fuerit in eo loco, dejici posse[10] concedis. Cur ergo aut in illud quotidianum[11] interdictum, UNDE ILLE ME VI DEJECIT, additur, QUUM EGO POSSIDEREM[12], si dejici nemo potest, qui non possidet; aut in hoc interdictum, DE HOMINIBUS ARMATIS, non additur, si oportet quæri, possederit, necne? Negas dejici, nisi qui possideat. Ostendo, si sine armatis coactisve hominibus dejectus quisquam sit, eum, qui fateatur se dejecisse, vincere[13]

rum ostendit ». Pro Rosc. Com. « Secundum nos judicari volumus ». Pass.

8. *Obrutis rebus omnibus et perditis.* Argumentorum copia oppressis et afflictis. In Verr. III: « Obrui et opprimi crimine et testibus ». Tuscul. II: « Obrui copia sententiarum et verborum ». Id.

9. *Te jam ex illa ratione depulsum.* Defensione illa recedere coactum. Id. — *Quod negabas quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco esset.* Non hoc præcise Piso negabat, quod plane frigidum ac nugatorium fuisset; sed hoc defendebat, si in fundum Cæcina ingressus postea vi armatis hominibus dejectus esset, hoc quidem illum uti potuisse interdicto; quia vero tantum prohibitus est ingredi, dejectum nullo modo fuisse, id quod sine controversia verum est. Hottom.

10. *Nisi qui in eo loco esset: nunc jam posse*, etc. Hunc locum explicabit Exc. XXIII ad calcem hujus orat.

11. *Cur ergo aut in illud quotidianum.* Summa hæc est: Hoc interdictum datur ei, qui armatis hominibus depulsus est, quamvis non possideat: ergo etiam is, qui non possidet, dejectus dicitur. Sed facile responderi poterat, tenere saltem eum debuisse, qui dejectus dicatur, si non possideret: id est, in loco esse debuisse: alioqui dejectum eum non dici posse. Hottom.

12. *Quum ego possiderem.* Hæc est exceptio, de qua supra loquutus est.

13. *Vincere sponsionem.* Hanc sponsionem, « Ni ex edicto restituerit »: ut supra et paullo post. Hottom. — Ita « vincere causam » dixit pro Dejotaro. Pro Quintio tamen « vincere sponsione » Pass. — Paucis verbis post: « vincit tamen sponsione » in omnibus libris ut et MS Erfurt. et Francii, excepta P. Manutii editione, quæ ibidem quoque scribit *sponsio-*

sponsionem, si ostendat, eum non possedisse[14]. Negas dejici, nisi qui possideat[15]. Ostendo ex hoc interdicto, DE ARMATIS HOMINIBUS, qui possit ostendere[16] non possedisse eum, qui dejectus sit, condemnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse dejectum.

XXXII. Dupliciter homines dejiciuntur : aut sine coactis armatisve hominibus, aut per ejusmodi rationem atque vim[1]. Ad duas dissimiles res duo dejuncta[2] interdicta sunt. In illa vi quotidiana non satis

nem, ut editio antiquissima. GRÆV.— Utroque loco, *sponsionem* ed. 1480. GARAT.

14. *Si ostendat eum non possedisse. At negantis factum probatio nulla est:* denique persæpe postea demonstrat, *dejecti*, non *dejectoris* partes fuisse, probandæ possessionis onus in se suscipere, quod et naturali et civili æquitati consentaneum est, ut qui excipit, non qui intendit, probet; l. 19, D. de probat. HOTTOM.

15. *Nisi qui possideat.* Non enim dejicitur, nisi cui possessio adimitur: non adimitur autem, nisi ei, qui habet: tit. 1, § cum qui, D. de vi, et vi armat. IDEM.

16. *Qui possit ostendere.* Id est, eum qui vi armata dejecit, etiam si probare possit se possedisse, tamen propter odium armorum condemnari.

XXXII. 1. *Per ejusmodi rationem, aut vim.* Particulam *aut* doctissimi viri ferendam hic esse non putant; ego non magis corrigam, quam in lib. I de Orat. « quæ in disceptatione, aut in usu forensi »: aut similibus in locis, in quibus valere copulativam conjunctionem, docuerunt grammatici veteres Diomedes, Priscianus, alii. Etiam Paullus jurisconsultus in lege 53, de verborum significatione, his verbis: « Sæpe comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis ». Deinde in exemplis addidit : « Quod dedi, aut donavi, utrumque continetur ». P. FABER. — In Erfurt. tamen codice recte scribitur *atque vim.* Nam quamvis *aut* nonnumquam sic accipiatur, ut contendit Faber; tamen hic judici auditoribusque potuisset obscuritatem parere. GRÆV. — Ernest. male, « aut per vim ». Scribimus, « atque vim », ex Erfurtensi libro, ut Grævius volebat, assentiente Garatonio. J.V. L.

2. *Ad duas dissimiles res duo devincta interdicta sunt. Adjuncta* pro *devincta*, placet ut legatur. F. URSIN. — *Duo devincta interdicta.* Lambinus vidit errorem et correxit. Potuit tamen leviore mutatione verum verbum *dejuncta* reponere, ut erat in Timæo: « Ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quæ dejuncta fuerunt ». — Editio sane antiquissima anni 1472, Erfurt. et P. Franc. MS *dejuncta.* Plaut. Asinar. « Ne nos dejunge amantes ». Cic. de Universitate : « Dejuncta quæ fuerant omnia, sunt unum »: sic ibi legendum. Ubi quoque perperam in vulgatis *devincta.* GRÆV.

est[3], posse docere se dejectum, nisi ostendere possit, quum possideret, tum dejectum. Ne id quidem satis est, nisi docet, ita se possedisse, ut nec vi, nec clam, nec precario[4] possederit. Itaque is, qui se restituisse dixit, magna voce sæpe confiteri solet, se vi dejecisse; verum illud addit : Non possidebat; vel etiam, quum hoc ipsum concessit, vincit tamen[5] sponsionem, si planum facit, ab se illum aut vi, aut clam, aut precario possedisse[6]. Videtisne, quot defensionibus eum, qui sine armis ac multitudine vim fecerit, uti posse majores voluerunt[7]? hunc vero, qui ab jure, officio, bonis moribus[8], ad ferrum, ad arma, ad cædem confugerit, nudum in causa destitutum[9] videtis : ut, qui armatus de possessione contendisset, inermis plane de sponsione certaret. Ecquid igitur interest, Piso, inter hæc interdicta[10]? ecquid interest, utrum hoc ad-

3. *In illa vi quotid. non satis est. Vim quotidianam* appellat, quam supra multis in locis, « Quæ moribus fit », et « dejectionem », vel « deductionem moribus », vel « quæ ex conventu fit », nominavit. Gellius *civilem* et *festucariam*, ex festuca, opinor, qua in conflictione utebantur, appellat. Hott.

4. *Nec vi, nec clam, nec precario. Vi possidere* quis dicatur, facile ex superioribus intelligitur. « Clam possidere » Ulpianus sic definit in l. 6, D. de acquirend. possess. « Clam possidere eum dicimus, qui furtive ingressus est possessionem, eo ignorante, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, et, ne faceret, timebat ». Et paullo post : « Itaque clam nanciscitur possessionem, qui futuram controversiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtive possessionem ingreditur. Precario vero possidemus (ait Ulpianus) quod precibus petenti utendum conceditur tam diu, quam diu is, qui concesserit, patitur ». Idem.

5. Al. *sponsione*. J. V. L.

6. *Abs se illum aut vi, aut clam, aut precario possedisse*. A me possidet, qui mea possidet. « Vi a me possidet » qui me vi dejecit, et possessionem mihi abstulit. Passer.

7. Rectius forte, *voluerint*. J. V. L.

8. *Qui a jure, ab officio, bonis moribus*. A legibus, a recta ratione vitæ. Officium bonique mores sunt domesticæ disciplinæ, *jus* publicæ. Passer.

9. Al. *destitutumque*. J. V. L.

10. *Inter hæc interdicta. De vi* quotidiana, et vi armata. — *Ratio juris*. Æquitas et disciplina juris. Supra : « Jus et æqui bonique ratio ». — *Interdictorum dissimilitudo*. Dejuncta interdicta. Ex hac dissimilitudine interdictorum dissimilis oriri debet juris ratio. Passer.

ditum, QUUM A. CÆCINA POSSEDERIT, necne? Ecquid te ratio juris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas majorum [11] commovet? Si esset additum, de eo quæri oporteret; additum non est: tamen oportebit? Atque ego in hoc Cæcinam non defendo [12]: possedit enim Cæcina, recuperatores; et id, tametsi extra causam est, percurram tamen brevi, ut non minus hominem ipsum, quam jus commune defensum velitis.

Cæsenniam possedisse propter usumfructum [13], non negas. Qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum, quum idem ex eadem conductione fuerit in fundo, dubium est [14], quin, si Cæsennia tum possidebat, quum erat colonus in fundo, post ejus mortem heres eodem jure possederit? Deinde ipse Cæcina, quum circuiret prædia, venit in istum fundum; rationes a colono accepit: sunt in eam rem testimonia. Postea cur, Æbuti, de isto potius fundo, quam de alio, si

11. *Auctoritas majorum*. Gravitas et prudentia majorum.

12. *In hoc Cæcinam non defendo*. In hac re non constituo defensionem Cæcinæ. — *Tametsi extra causam est*. At contra, in hoc summa judicii causæque tota consistit: quemadmodum vel leviter causam intuenti perspicuum est. HOTT. Vide ad cap. 31. — *Jus commune*. Commune interdum quod ad omnes pertinet ejusdem civitatis. Κοινὸν νόμιμον vocat Aristoteles. PASS. — Edit. 1480, « rem communem defensam velitis ».

13. *Cæsenniam possedisse propter usumfructum..... qui colonus habuit conductum*, etc. Hæc elucidabit Exc. XXIV ad calcem hujus orationis.

14. *Dubium est*. Malim, « dubium ne est. Veneti », « dubium non est ». CAMER. — *Heres eodem jure possederit*. Non opinor, tam fuit Cicero imperitus, ut quod æquissimum esset non videret: sed, ut in Cluentiana testatur, causæ servit. De jure vero Ulpianus sic scribit in l. si quis domum, D. locati: « Si fructuarius, inquit, locaverit fundum in quinquennium, et decesserit, heredem ejus non teneri, ut frui præstaret »; et hoc perspicue verum est: ut cuivis vel mediocriter erudito liceat intelligere. Justinianus sub titul. de rerum divis. « Licet usufructuarius maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit: ad heredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur ». Quum autem ita perspicue Cicero calumnietur, quid est quod Lambinus scribit, non esse credibile, illum ita causæ servisse, ut impudentissime mentiretur? Potestne quidquam repu-

quem habes, Cæcinæ denuntiabas[15], si Cæcina non possidebat? Ipse porro Cæcina cur se moribus deduci volebat; idque tibi de amicorum, etiam de ipsius C. Aquillii sententia responderat[16]?

XXXIII. At enim Sulla legem tulit[1]. Ut nihil de illo tempore, nihil de calamitate reipublicæ querar, hoc tibi respondeo : adscripsisse eumdem Sullam in eamdem legem, SI QUID JUS NON ESSET[2] ROGARIER, EJUS EA LEGE NIHILUM ROGATUM. Quid est[3], quod jus non sit? quod populus jubere, aut vetare non possit? Ut ne longius abeam[4], declarat ista adscriptio, esse aliquid : nam nisi esset, hoc in omnibus legibus non adscriberetur. Sed quæro abs te, putesne, si populus jusserit, me tuum, aut item, te meum servum esse; id jussum

gnantius fingi, quam illud est Ciceronis cum illo Ulpiani? « Non igitur debuit sutor ultra crepidam » : ut in vetere proverbio est. HOTT. — Heres successit in universum jus defuncti, quod habuit tempore mortis; l. nihil de verb. sign. et leg. hereditas de reg. juris. At, ut dixi, possessor non est usufructuarius : ergo nec heres. PASS.

15. *Cæcinæ denuntiabas, si Cæcina non possidebat. Denuntiare*, ut alibi diximus, aliud nihil est, quam litem et judicium ostentare, nisi petitioni satisfiat. Quum igitur *denuntiare* sit petitoris, possessori autem, ut scribit Ulpianus, satis sit quod possidet, recte et probabiliter concludit, quia denuntiavit Æbutius, possessorem fateri fuisse Cæcinam. Quid ad hæc respondere potuit Æbutius? « Denuntiatione non amitti jus possessionis, item ut actione ». HOTT.

16. *Sententia responderat?* Hoc amplius alii tum impressi, tum antiqui libri, *Et ad eam** ut inane spatium relinquatur ; quod aliqua ex parte repleri facile poterit ex iis, quæ supra dixit, ut sic legamus : « Et ad eam rem diem constituerat, amicos convocarat ». Sed alia multo plura deesse abrupta sententia quæ proxime consequitur, manifesto declarat; itemque illud, quod scribit insequenti pagina : « Deinde nihil rationis affers, quamobrem si libertas adimi nullo modo possit, civitas possit ». IDEM. — Mendose utraque Veneta. Prior : « de amicorum de his qui Aquillii sententia responderant, et ad eum ». Altera in eo tantum a priore discedit, quod habet, « qui de Aquillii ». Optime, ut hic vides, Naugerius, omnibus approbantibus. GARAT.

XXXIII. 1. *At enim Sulla legem tulit.* Dicit *legem*, qua victor Sulla civitatem Volaterranis ademerat.

2. SI QUID JUS NON ESSET, etc. De hac lege consule Excursum XXV ad calcem hujus orationis.

3. Lambinus, « quod rogari jus non sit? » J. V. L.

4. *Ut ne longius abeam. Ut ne* pro

ratum atque firmum futurum? Perspicis hoc nihil esse[5], ut in ceteris, quæ inter***. Primum illud concedis, non, quidquid populus jusserit, ratum esse oportere: deinde nihil rationis[6] affers, quamobrem, si libertas adimi nullo modo possit, civitas possit. Nam et eodem modo de utraque re traditum nobis est; et, si semel civitas adimi potest, retineri libertas non[7] potest. Qui enim potest jure Quiritium[8] liber esse is, qui in numero Quiritium non est? Atque ego hanc adolescentulus[9] causam, quum agerem contra hominem disertissimum nostræ civitatis, Cottam[10], probavi. Quum Arretinæ mulieris[11] libertatem defenderem, et Cotta decemviris religionem injecisset[12], non posse sacramentum

ne. Sic Græci ἵνα μή. Donat. in Phorm. Terent. Cic. pro Milone: « Opera detur, ut judicia ne fiant ».

5. *Perspicis hoc nihil esse*, etc. De hoc mutilato loco legendus est Exc. XXVI ad calcem hujus orationis.

6. *Nihil rationis affers.* Apparet de eo superius Tullium disputasse: et multa omnino deesse.

7. *Retineri libertas non potest.* At in l. ult. de capit. minut. media dicitur capitis diminutio, quando civitas amittitur, retineturque libertas. Paull. JC. Respondeo libertatis nomen ita hic accipi, ut sit maxime propria populo rom. Passer.

8. *Qui enim potest jure Quiritium.* Hoc jus est proprium populi romani. Justinian. in Institut. Tit. de jure natur. etc. Et locum habet maxime in dominiis, ut l. 1 de rei vindic. « Hunc ego fundum ex jure Quiritium meum esse aio ». Ex jure Quiritium liberi fieri solebant, qui vindicta, censu, testamento manumittebantur, Ulpian. tit. 1 Institut. Seneca lib. I Nat. Quæst. « Hæc res efficit, ut non ex jure Quiritium liber sit, sed ex jure naturæ ». Idem.

9. *Ego hanc adolescentulus.* At pro Quintio quum dixit, erat sex et viginti annos natus, Gellio teste. In Orat. « Quanto illic clamore adolescentuli diximus », de oratione pro Sex. Roscio. At natus erat annos viginti septem. Idem.

10. *Hom. dis. nostræ civ. Cottam.* Dicit « C. Cottam », quem in Bruto dilaudat, et ex omnibus ætatis suæ oratoribus cum P. Sulpicio primas tulisse scribit. Hott. — *Cottam.* In Bruto et Oratore subagrestem ejus orationem fuisse dicit. Passer.

11. *Arretinæ mulieris.* Ex Arretio, Tusciæ oppido. « Civitas est, inquit Strabo, mediterranea, montuosis locis proxima, stadia mille ac ducenta ab urbe romana distans ». Municipiis ademptam a Sulla victore civitatem dictum est: infra. Hott.

12. *Cotta decemviris rel. injecisset.* Ex hoc loco et alio præterea simillimo in oratione pro Domo sua conjecturam capio *decemviros* Romæ creatos

nostrum justum judicari[13], quod Arretinis adempta civitas esset, et ego vehementius contendissem, civitatem adimi non potuisse: decemviri prima actione non judicaverunt; postea, re quæsita et deliberata, sacramentum nostrum justum judicaverunt. Atque hoc, et contra dicente Cotta, et Sulla vivo, judicatum est. Jam vero in ceteris, ut omnes, qui in eadem causa sunt, et lege agant, et suum jus persequantur[14], et omnes jure civili, sine cujusquam aut magistratus, aut judicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione, utantur, quid ego commemorem? Dubium nemini vestrum est. Certe quæri hoc solere me non præterit (ut ex me ea, quæ tibi in mentem non veniunt, audias), quemadmodum, si civitas adimi non possit[15], in colonias latinas sæpe nostri cives profecti sint. Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.

fuisse, qui de causis civitatis ac libertatis cognoscerent: item ut de causis capitalibus *triumviros*, et de certis item causis *centumviros*. Verba illius orat. hæc sunt: « Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescumque vellet quis, hoc in genere se rem judicatam referre posse voluerunt ». HOTT.—*Religionem injecit* est scrupulum injecit.

13. *Non posse s. nost. just. judicari.* Non posse nos contendere sacramento, litem nostram iniquam esse. De Orat. I: « injusto sacramento contendere ». Differt a sponsione: quod in sponsione non deponitur proprie pecunia, sed promittitur tantum, nec quidquam de ea ad ærarium perveniebat. PASSER. — De his omnibus multa apud Pithœum I Subseciv. 18.

14. *Et lege agant, et suum jus persequantur. Lege agere*, modo nihil aliud significat, quam litem intendere: unde « legis actiones » dictæ sunt: quas Pomponius in l. 2 de orig. juris, ex legibus XII tabb. a jurisconsultis conceptas et constitutas esse scribit. Ergo « lege agere » hoc significat, « actionem intendere », quæ lege XII tabularum civibus populoque conceditur. — Alio modo « lege agere » lictor apud Livium jubetur a consule, hoc est, exsequi quod jussum erat a magistratu. GRÆV. Vide Verr. I, 45.

15. *Si civitas adimi... aut sua voluntate, aut*, etc. Hunc locum, qui juris romani imperitis lectoribus nonnullas certe difficultates afferre potest, explicabit Excurs. XXVII ad calcem hujus orationis.

XXXIV. Quid? quem pater patratus dedidit[1], aut suus pater, populusve vendidit, quo is jure amittit civitatem? Ut religione civitas solvatur, civis romanus traditur: qui quum est acceptus, est eorum, quibus est deditus[2]; si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam, et jus civitatis. Si pater vendidit eum, quem in suam potestatem susceperat[3], ex potestate dimittit[4]. Jam populus quum eum vendidit, qui miles factus non est[5], non adimit ei libertatem; sed judicat, non esse eum liberum, qui, ut liber[6] sit, adire periculum noluit: quum autem incensum vendit[7], hoc judicat; quum is, qui in servi-

XXXIV. 1. *Quem pater patratus ... aut suus pater,* etc. De his vide Excursum XXVIII ad calcem hujus orationis.

2. *Est eorum, quibus est deditus.* In eum jus vitæ et necis habent. Passer.

3. *Quem in suam potestatem susceperat.* Ex legitimis nuptiis. Hott. — *Susceperat* est genuerat.

4. *Ex potestate dimittit.* Quare, quum juris illum sui ac potestatis faciat, non invitus in illa venditione libertatem amittit; et hoc est, quod dicit in oratione pro Domo sua: « Quod tu ipse potuisti in tua causa discere: credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet, ut in filio ». Hott.— *Ex potestate dimittit*, emancipat.

5. *Quum eum vendidit, qui miles factus non est.* Moris erat, ut conscripto exercitu, qui citatus non responderet, una cum bonis suis omnibus venderetur. Valerius Maxim. lib. VI exemplum de C. Varieno protulit, qui, quod sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat, publicatis ejus bonis, in perpetua vincula damnatus est. Et de alio rursus, quem M. Curius consul una cum omnibus ejus bonis vendidit, de quo etiam meminit Florus in Epit. lib. XIV. Suetonius in Augusto, quum eum in re militari multa ad antiquum morem revocasse dixisset: « Equidem, inquit, R. quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollucet amputasset: ipsum bonaque subjecit hastæ: quem tamen quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, ut relegatum in agros pro libero esse sineret ». Hottom.

6. B. Weisk. qui hæc non intelligit, inepte scribi putat, quia *ut* capi non potest pro *licet*, nec *sit* pro *esset:* itaque facillimum ei remedium videtur omittere *sit*, ut sana, inquit, fiat sententia. Inepte. J. V. L.

7. *Quum autem incensum vendidit.* Dionysius Halicarn. lib. IV Antiquit. pœnam incensis constitutam scribit,

tute justa fuerit [8], censu liberetur [9], eum, qui, quum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse. Quod si maxime iisce rebus adimi libertas, aut civitas potest; non intelligunt, qui hæc commemorant, si per has rationes adimi majores posse voluerunt, alio modo noluisse? Nam, ut hæc ex jure civili protulerunt, sic afferant velim, quibus lege aut romana civitas, aut libertas erepta [10] sit. Nam quod ad exsilium attinet, perspicue intelligi potest, quale sit. Exsilium enim non supplicium est, sed perfugium [11] portusque supplicii: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem [12], eo solum vertunt; hoc est, sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, malefi-

ut bona primum eorum publicarentur, deinde virgis cæsi venderentur. Ulpianus autem in Titulis sic scribit: « Maxima capitis diminutio est, per quam et civitas et libertas amittitur: veluti quum incensus aliquis venierit, etc. » Hott. — *Incensus*, ἀτίμητος· non census; qui in censu peragendo nolebat censeri; qui non profitebatur, libertate privabatur. Liv. I, cap. 44: « Censu perfecto, quem maturaverat metu legis de incensis latæ ».

8. *Quum is, qui in servitute justa fuerit. Servitus justa*, id est, servitus jure gentium, et jure civili comprobata. Nam, ut scribit Paullus jurisconsultus in l. postliminium, et Ulpianus in l. hostes, D. de capt. et postl. rev. « Liberi, qui a piratis aut latronibus capti venumdantur, servi non sunt: unde quæsitum est, si meus servus a latronibus captus ad hostes pervenerit, inde in bello victis hostibus servus venierit, an possit usucapi »: et Jabolenus in l. latrones, D. eod. « Labeoni, Offilio, et Trebatio placere respondit, usucapi non posse ». Hott.

9. *Censu liberetur*. Servi, qui in peculio H-S centum millia haberent, aut quibus eas facultates domini impertirent, si eos domini in censum civium a censoribus adscribi juberent, libertatem consequebantur: « Nam, ut scribit Asconius, more veterum Censi dicebantur, qui centum millia professione detulissent ». Idem. — Ferrat. IV, epist. 9, quum non intellexerit, domini consensum hic supponi, injuria Manutium reprehendit, et « censu liberari » explicat, « censeri non solere ». Nihil absurdius. Garat.

10. *Quibus lege aut romana civitas, aut libertas erepta sit... Exsilium non supplicium est*, etc. De his consulendus est Excurs. XXIX ad calcem hujus orationis.

11. Aliquot edd. et MSS, « profugium ». J. V. L.

12. *Aut calamitatem*. Jacturam rei familiaris. Græv. — *Nulla in lege nostra reperietur*. Posterioribus tempo-

cium ullum exsilio esse multatum. Sed quum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt quasi ad aram[13], in exsilium : qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam amitterent; quia nolunt, non adimitur his civitas, sed ab his relinquitur atque deponitur. Nam, quum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse possit[14], tum amittitur hæc civitas denique, quum is, qui profugit, receptus est in exsilium, hoc est, in aliam civitatem.

XXXV. Non me præterit, recuperatores, tametsi de hoc jure multa prætereo, tamen me longius prolapsum esse[1], quam ratio vestri judicii postularit. Verum id feci, non quod vos in hac causa hanc defensionem desiderare arbitrarer, sed ut omnes intelligerent, nec ademptam cuiquam civitatem esse, nec adimi[2] posse. Hoc quum eos scire volui, quibus

ribus, quum unius dominatu respubl. teneretur, dissimillima fuit legum ratio : ut constat ex verbis Ulpiani in l. si quis forte, D. de pœnis : « Et sunt, inquit, pœnæ quidem, quæ aut vitam adimant, aut servitutem adjungant, aut civitatem auferant, aut exsilium, aut coercitionem corporis contineant ». Hott.

13. *Quasi ad aram.* Locum tutum et munitum; ut supra, « portum ad vitanda supplicia ». Verr. IV : « Ad aram legum confugere ». De Nat. Deor. II : « Sicut in aram confugiunt in hujus domum ». Passer.

14. *Quum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse possit.* Rationem attulit in orat. pro Balbo : « O jura, inquit, præclara, atque divinitus jam inde a principio romani nominis a majoribus nostris comparata : ne quis nostrum plus, quam unius civitatis esse possit; dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necesse est ». Hott.

XXXV. 1. *Me longius prolapsum esse.* Processisse, quam consuetudo est judiciorum.

2. *Nec ademptam... nec adimi posse.* De Volaterranis ipse sic loquitur in orat. pro Domo sua : « populus romanus L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit, ademit iisdem agros : de agris ratum est : fuit enim populi potestas : de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc vero Volaterranis, quum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor republ. recuperata, comitiis centuriatis civitatem eripere non potuit : hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives fruuntur nobiscum simul hac civitate ».

Sulla voluit injuriam facere, tum omnes ceteros novos veteresque cives: neque enim ratio afferri potest, cur, si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquissimis civibus possit. Nam ad hanc quidem causam nihil hoc pertinuisse, primum ex eo intelligi potest, quod vos ea de re judicare non debetis[3]; deinde quod Sulla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa atque hereditates[4]. Jubet enim eodem jure esse, quo fuerint Ariminenses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse, et a civibus romanis hereditates ca-

Hott. — *Hoc quum eos scire volui.* Tria civium genera distinguit: 1° cives novos, quibus adimere civitatem Sulla voluerat, lege lata, quales erant Volaterrani, Arretini, aliique omnibus injuriis affecti a dictatore, quod Marianis partibus favissent. 2° Cives novos, de quibus lata non fuerat lex Cornelia. Utrique autem novi dicuntur, quia bello Sociali per legem Juliam adepti fuerant romanam civitatem. 3° Cives veteres, qui etiam ante bellum Sociale civitatis jure fruebantur. Non erat dubium, quin, si potuisset Sulla civitatem adimere Volaterranis, et aliis ejusdem generis, eamdem posset adimere omnibus novis civibus aliquis alius magistratus. Tantum dubitari poterat, num etiam veteribus civibus, lata lege, eripi civitas posset. Id affirmat Cicero his verbis: « Neque enim ratio afferri potest, cur, si cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus antiquissimis civibus possit »: non iis tantum, qui ante legem Juliam, sed etiam qui a condita Urbe cives rom. fuere. Fern.

3. *Ea de re judicare non debetis.* Privatis enim judicibus judicare, nisi ea de re, de qua definite judicandi potestatem a prætore acceperant, licebat. Hott.

4. *Ut non sustulerit horum nexa atque hereditates.* Ipse lib. de Orat. III, et Varro de Ling. Lat. VI *nexum* scribunt « esse, omne id quod per libram et æs geritur. Gerebatur autem hoc modo », ut Caius Instit. IV testatur, « adhibitis non minus quam quinque testibus, civibus rom. puberibus, et præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellatur libripens. Is, qui mancipio accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio: isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra: deinde ære percutit libram; indeque æs dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco ». *Nexu* igitur abalienationes, et commercia fiebant. Ex his autem intelligitur solos cives rom. hoc jure *nexus* usos esse: quippe quum is qui emebat jure Quiritium, mancipium, id est, rem quamlibet, quam manu caperet, suam esse diceret. Idem. — *Atque hereditates.* Id est, jus adeundarum hereditatum; nam hereditatis aditio per alterum illum abalienationis modum fiebat, id est, per in jure cessio-

pere potuisse[5]? Quod si adimi civitas A. Cæcinæ lege potuisset, magis illam rationem tamen omnes boni quæreremus, quemadmodum spectatissimum pudentissimumque hominem, summo consilio, summa virtute, summa auctoritate domestica præditum, levatum injuria, civem retinere possemus, quam uti nunc, quum de jure civitatis nihil potuerit deperdere, quisquam exsistat, nisi tui, Sexte, similis et stultitia, et impudentia, qui huic civitatem ademptam esse dicat. Qui quoniam, recuperatores, suum jus non deseruit, neque quidquam illius audaciæ petulantiæque concessit[6]; derelinquo jam communem causam[7], populique romani jus in vestra fide ac religione depono.

XXXVI. Is homo ita se probatum vobis vestrique

nem: heres enim apud prætorem rem tenens ita vindicabat: « Hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse aio »: deinde postquam is vindicasset, prætor interrogabat eum, qui cedebat, an contra vindicaret: quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicaverat, eam rem addicebat. Hott.

5. *Et a populo rom. hereditates capere potuisse.* Ant. Augustinus testatur se in vetere codice scriptum invenisse: « A C. R. hereditates capere potuisse », quod maxime probat, et interpretatur « A civibus romanis ». Vulgata quoque lectio defendi potest, et ex ea hic sensus elici a populo romano, hoc est, a quovis cive populi romani. F. Ursin.—*A populo romano.* Liber Antonii Augustini ille, quem memorat Ursinus, hic egregius est A C. R. pro « a cive romano », ut etiam has notas interpretatus est Probus. Paullo post Lambinus, quod « pudentissimum » reponit, ubi legitur « prudentissimum », recta conjectura videtur facere: nam et « prudentissimum » est hic supervacaneum, quia subjungitur « summo consilio »: et « pudentissimum » etiam quum probat, quod infra « summo pudore » hominem appellat. P. Faber.—Legendum videtur, « a civibus romanis », ut habet codex e nostris optimus. Lallem. — Ita plane, quum idem diserte sit in MS Jannoctii: eoque conspirent notæ illæ C. R. quas vidit in alio cod. Ant. Augustinus, servatque adeo ed. 1483. Accedit denique ed. 1480, in qua est, « a civitate romana »: quod ortum ab iisdem notis fuisse perspicitur. Gar.

6. *Illius audaciæ petulantiæque concessit.* Deesse quiddam post hæc verba, et sententia ostendit mutila et contaminata, et relicta in vetere codice lacunula: deesse autem tale quidpiam videtur: « Nunc in civitatis controversiam vocatur ». Hott.

7. *Derelinquo jam communem causam,* etc. De hoc loco vide Exc. XXX ad calcem hujus orationis.

similibus semper voluit, ut id non minus in hac causa laborarit[1], nec contenderit aliud, quam ne jus suum dissolute relinquere videretur, nec minus vereretur, ne contemnere Æbutium, quam ne ab eo contemptus esse existimaretur. Quapropter si quid extra judicium est, quod homini tribuendum sit[2]; habetis hominem singulari pudore, virtute cognita, et spectata fide, amplissimis viris[3] Etruriæ totius in utraque fortuna cognitum[4] multis signis et virtutis, et humanitatis. Si quid in contraria parte in homine offendendum sit; habetis eum, ut nihil dicam amplius, qui se homines coegisse fateatur[5]. Sin, hominibus remotis, de causa

XXXVI. 1. *Ut id, non minus in hac causa laborarit.* « Etiam, inquit Hottomannus, post hæc verba deesse aliquid apparet ». Lambinus corrigit. Mihi locus videtur esse integer: neque enim hæc non cum sequentibus cohærent, et respondent præcedentibus singula singulis: particula *ut* particulæ *ita*: et pronomen *id*, quatuor his, « se probatum vobis voluit »; et hæc tria « in hac causa », particulæ *semper*, ut nihil dici potuerit aptius. P. Faber.

2. *Quod homini tribuendum sit.* Franc. « quod virtuti hominis tribuendum ». — Certe, si quid mutandum est, placet mihi magis lectio antiquioris Venetæ, « virtuti hominum ». Alii videant: ego interea Hervag. Manut. Lamb. etc. non desero, quos Grævius recentioresque omnes sequuti sunt. Optime sibi respondent, « homini tribuendum », et « in homine offendendum ». Garat.

3. Alii aliter legunt.

4. *Etruriæ nomine totius in utraque fortuna cognitum. Utramque* autem *fortunam* significat tum *secundam*, quæ civile bellum antecessit, quo tempore et civitas et suffragii jus Italiæ populis datum est: tum *adversam*, quæ Sullæ victoriam consequuta est, quum Sulla municipiis omnibus civitatem ademit, atque omnes (ut Valer. Max. scribit) Italiæ partes civilis sanguinis fluminibus inundavit. Hott.— Vox *nomine* post *Etruriæ* omnino videtur esse tollenda. Sive enim quis hominem hic adnotare voluit, quod illi hoc nomen jam videretur abesse longius, sive *nomine* pro causa dictum quis accipi velit, neutro modo cohærere potest. P. Faber.—Epist. 6, lib. VI, ad Cæc. vocat « Etruriæ nobilissimum », supra « summa auctoritate domestica præditum ». Passer. — Prior Veneta, « amplissimis viris Etruriæ, etc. » secunda, « amplissimis Etruriæ ». Lambinus formabat, « amplissimum virum Etruriæ totius ». Gar. — *In utraque fortuna cognitum.* Adversa fortiter, et secunda moderate ferendo.

5. *Qui se homines coegisse fateatur.* Hominem impudentissimum, qui hæc profiteatur in judicio, et se rei capitalis insimulet.

quæritis : quum judicium de vi sit; is, qui arguitur, vim se hominibus armatis fecisse fateatur; verbo se, non æquitate defendere conetur; id quoque ei verbum ipsum ereptum esse videatis; auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum; in judicium non venire, utrum Cæcina possederit, necne; tamen doceri possedisse; multo etiam minus quæri, A. Cæcinæ fundus sit[6], necne; me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cæcinæ : quum hæc ita sint, statuite, quid vos tempora reipublicæ[7] de armatis hominibus, quid illius confessio de vi, quid nostra decisio de æquitate, quid ratio interdicti de jure admoneant, ut judicetis.

6. *Multo minus quæri, A. Cæcinæ fundus sit, necne.* Hanc quæstionem solvet Excursus XXXI ad calcem hujus orationis.

7. *Tempora reip.* Turbulenta, quibus magna est impunitas gladiorum. Pro Sex. Rosc. Itaque vis coercenda. Passer.



EXCURSUS I

AD ORATIONEM CÆCINÆ, CAP. 1.

Quoniam si facta vis non esset moribus. Tolle negationem, quæ in hoc uno, ut opinor, libro legitur, ab imperito aliquo et temerario correctore sine causa posita. Nam sæpe postea in hac ipsa oratione, « de vi quæ moribus fiebat », loquitur; infra : « Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, et de fundo Cæcina moribus deduceretur. Ad eum fundum profectus est, ex quo ex conventu vim fieri oportebat. Quum ad vim faciendam veniretur, ipse porro Cæcina cur se moribus deduci volebat? » Sed ingeniosi quidam homines locum sic interpretantur, ut post *esset* notam distinctionis, quasi spiritus sustineatur, adhibeant; et vocem *moribus* ad vocem *superior* referunt : ut sit, non fuisset superior moribus, id est, more, institutoque majorum. Quorum ego sententiam refellerem, si cuiquam paullo acutiori placere posse existimarem. Quid sit igitur « vim fieri moribus », videamus. Ex his sane locis, quos commemoravimus, et si qui sunt præterea similes, illud manifesto intelligitur, moris fuisse, ut quum de agro quopiam controversia institueretur, quia propter commoda possessionis magna jurgia, et pugnæ interdum ac cædes oriebantur, litigatores de amicorum sententia diem inter se sumerent, qua die in rem præsentem, id est, in agrum illum una venirent, et in eo agro vim aliquam alter alteri faceret, non veram et solidam, sed fictam et simulatam. Ex tota autem oratione illud aperte constat, quod is, qui detrusus erat, a prætore ex edicto postulabat, ut « unde vi dejectus esset, quum possideret, eo restitueretur », prætor decernebat. Quum restitui jussus ab adversario peteret, ut se

restitueret, respondebat adversarius *se restituisse :* altero igitur restitutum se negante, sponsio fiebat. Recuperatores sumebantur; apud quos quærebatur, restitutus ne esset, qui fuerat dejectus, an non; id est, paruisset ne dejector edicto atque imperio prætoris, an non. Hoc autem judicio, ut sæpe postea docebimus, revera nihil aliud quærebatur, quam uter possideret; nam si non possidere adversarium dejector probaret, vincebat, et edicto prætoris paruisse judicabatur : non enim aliter erat restituere jussus, nisi si possessorem dejecisset. Dejectionis enim invidia probationis onus in dejectorem rejiciebat; ut pater infra : « Ostendo, si sine armatis coactisve hominibus dejectus quisquam sit : eum qui fateatur se dejecisse, vincere sponsionem, si ostendat eum non possedisse ». Atque hæc quidem mea quondam fuit propter illum Ciceronis locum sententia, qui non modo mihi adolescenti ut tum eram, verum etiam cuivis exercitato errorem objicere facile potuit : quod enim clarius dici potuit, quam « dejectori onus incumbere probandi dejectum non possedisse? » Sed postea partim majore attentione adhibita, partim aliis Ciceronis locis excitatus, statui « probandæ possessionis onus dejecto, non dejectori incumbere », ut infra docebimus. Hæc autem vis est, et dejectio quam moribus fieri dicit; quam infra « vim quotidianam » appellat : quam A. Gell. lib. XX, cap. 10, « vim civilem ac festucariam » appellat, quam veræ vi ac solidæ opponit; de qua Ennius dixerat : « Non ex jure manu consertum, sed mage ferro Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi ». Ut etiam perspicue appareat « consertionem illam manuum », de qua toto illo capite disputat, nihil aliud fuisse, quam vim hanc, ac deductionem, *quæ moribus* (ut Cicero dicit) *fiebat;* et quam dicit olim præsente prætore fieri solitam, qui ipse in rem præsentem, agrumque litigiosum proficiscebatur. Verba autem jurisconsulti, quæ Gellius protulit, quæ in vulgatis libris valde corrupta sunt, sic legenda ac restituenda putamus : « Manum conserere, est qua de re disceptabatur in re

præsenti (sive ager, sive quid aliud est), quum adversarius adversarium simul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare, id est, vindicia correpta (*vindiciam* autem hic surculum, sive festucam, opinor, appellat: quæ aliter *vindicta* dicitur, ut quum servi *vindicta*, id est, virga manumitti dicuntur; propius enim ad *vindicii* nomen, unde *vindicta* deducta est, accedit) manus in re atque in loco præsenti conserere : quod apud prætorem (id est, præsente in agro prætore) ex XII tabulis fiebat; in quibus ita scriptum est: Si qui in jure manum conserunt. Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus, latis jurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa longinquas in res gravabantur, institutum est contra XII tabulas tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum consererent, sed ex jure manu consertum vocarent, id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret; atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, veluti unam glebam, in jus in Urbem ad prætorem deferrent : et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent». Hæc Gellius. In quibus illud observandum est, hanc manuum consertionem etiam tum fieri solitam quum de possessore constaret : et actor *vindicatione*, id est, in rem actione uti vellet; quod etiam Cicero demonstrat in orat. pro Muræna, et lib. de Orat. I : « Multisque, inquit, præessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses : agerent enim tecum lege Pythagorei omnes, vindicarentque, etc. » *Interdictum* autem eo in loco non hoc de vi quotidiana et festucaria significat : sed de vi hominibus armatis coactisque, in qua scilicet non ex jure manu consertum vocari solet : sed vis revera adhibita est. Quare duabus de causis « manu consertum » vocabatur, primum quum de possessione agendum esset, et interdictum « unde vi simplici et civili », postulandum ; deinde quum in rem actione, sive vindicatione uten-

dum esset : eo enim consertio fiebat, ut in re præsenti vindicari posset. Superioris exemplum est in epistola ad Trebatium, lib. VIII : « Tantum metuo, inquit, ne artificium tuum tibi parum prosit : nam ut audio, istic non ex jure manu consertum, sed mage ferro rem repetunt. Et tu soles ad vim faciendam adhiberi ? » et quæ sequuntur. Est autem « manu consertum » confictum vocabulum, conjunctumque ex *manus* et *conserere*, qua de re in Comment. verb. jur. copiose diximus. HOTT.

Si facta vis esset moribus. Sic esse legendum, vincunt codices duo MSS, a quibus abest negatio : vincit et ratio, quæ plus potest; nam vis erat aliqua, quæ fiebat moribus, ut hi loci ostendunt, qui sunt infra : « Placuit Cæcinæ de amicorum sententia diem constituere, quo die in rem præsentem veniretur, et de fundo Cæcina moribus deduceretur ». Et infer. « Ad eum fundum profectus est, ex quo ex conventu vim fieri oportebat ». Et infra : « At vero hoc quidem jam vetus est, et majorum exemplo multis in rebus usitatum, quum ad vim faciendam veniretur, etc. » Et infer. « Ipse porro Cæcina, cur se moribus deduci volebat ? » LAMBIN.

Si facta vis esset. Vis civilis et quotidiana, qua vulgo experiuntur, qui de agri possessione disceptant. Ratio hæc Æbutii ad duo diversa reducitur, ad agrum, et ad judicium. In agro aut vis moribus fit, aut adversus morem. Utroque modo superior Cæcina esse debet. Illo quod erat possessor verus fundi, hoc quod vis armis facta, non civiliter commissa est in interdictum. In judicio autem aut more et instituto causa agitur, aut receditur a consuetudine. Si more, inferior non erit Cæcina; si præter mores, inique agetur et impudenter ab Æbutio. *Moribus* autem ἀρχαϊκῶς pro more et instituto, ut mox loquitur. « Jus ex consuetudine » dicitur II ad Herenn. PASSERAT.

præsenti (sive ager, sive quid aliud est), quum adversarius adversarium simul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare, id est, vindicia correpta (*vindiciam* autem hic surculum, sive festucam, opinor, appellat: quæ aliter *vindicta* dicitur, ut quum servi *vindicta*, id est, virga manumitti dicuntur; propius enim ad *vindicii* nomen, unde *vindicta* deducta est, accedit) manus in re atque in loco præsenti conserere : quod apud prætorem (id est, præsente in agro prætore) ex XII tabulis fiebat; in quibus ita scriptum est: Si qui in jure manum conserunt. Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus, latis jurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa longinquas in res gravabantur, institutum est contra XII tabulas tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum consererent, sed ex jure manu consertum vocarent, id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret; atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, veluti unam glebam, in jus in Urbem ad prætorem deferrent : et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent ». Hæc Gellius. In quibus illud observandum est, hanc manuum consertionem etiam tum fieri solitam quum de possessore constaret : et actor *vindicatione*, id est, in rem actione uti vellet; quod etiam Cicero demonstrat in orat. pro Muræna, et lib. de Orat. I : « Multisque, inquit, præessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses : agerent enim tecum lege Pythagorei omnes, vindicarentque, etc. » *Interdictum* autem eo in loco non hoc de vi quotidiana et festucaria significat : sed de vi hominibus armatis coactisque, in qua scilicet non ex jure manu consertum vocari solet : sed vis revera adhibita est. Quare duabus de causis « manu consertum » vocabatur, primum quum de possessione agendum esset, et interdictum « unde vi simplici et civili », postulandum ; deinde quum in rem actione, sive vindicatione uten-

dum esset : eo enim consertio fiebat, ut in re præsenti vindicari posset. Superioris exemplum est in epistola ad Trebatium, lib. VIII : « Tantum metuo, inquit, ne artificium tuum tibi parum prosit : nam ut audio, istic non ex jure manu consertum, sed mage ferro rem repetunt. Et tu soles ad vim faciendam adhiberi? » et quæ sequuntur. Est autem « manu consertum » confictum vocabulum, conjunctumque ex *manus* et *conserere*, qua de re in Comment. verb. jur. copiose diximus. Hott.

Si facta vis esset moribus. Sic esse legendum, vincunt codices duo MSS, a quibus abest negatio : vincit et ratio, quæ plus potest; nam vis erat aliqua, quæ fiebat moribus, ut hi loci ostendunt, qui sunt infra : « Placuit Cæcinæ de amicorum sententia diem constituere, quo die in rem præsentem veniretur, et de fundo Cæcina moribus deduceretur ». Et infer. « Ad eum fundum profectus est, ex quo ex conventu vim fieri oportebat ». Et infra : « At vero hoc quidem jam vetus est, et majorum exemplo multis in rebus usitatum, quum ad vim faciendam veniretur, etc. » Et infer. « Ipse porro Cæcina, cur se moribus deduci volebat? » Lambin.

Si facta vis esset. Vis civilis et quotidiana, qua vulgo experiuntur, qui de agri possessione disceptant. Ratio hæc Æbutii ad duo diversa reducitur, ad agrum, et ad judicium. In agro aut vis moribus fit, aut adversus morem. Utroque modo superior Cæcina esse debet. Illo quod erat possessor verus fundi, hoc quod vis armis facta, non civiliter commissa est in interdictum. In judicio autem aut more et instituto causa agitur, aut receditur a consuetudine. Si more, inferior non erit Cæcina; si præter mores, inique agetur et impudenter ab Æbutio. *Moribus* autem ἀρχαϊκῶς pro more et instituto, ut mox loquitur. « Jus ex consuetudine » dicitur II ad Herenn. Passerat.

EXCURSUS II

AD ORATIONEM CÆCINÆ, CAP. I.

Quum sive creditur his hoc ipsum, quod nos arguimus. Locus corruptus est, qui quomodo a Lambino corrigitur, haud, opinor, meliore conditione sit. Hottomannus opinatur addendum verbum *confitentur*. Magna quoque ea licentia. At si subauditur verbum substantivum, et distinguatur ante « hoc ipsum », ut sit « hoc ipsum est, quod nos arguimus », vix quisquam opinor quidquam in sententia reprehenderit. Etiam probavi in notis in Lucullum ad hæc verba, « si non fuerint », et quidem, ut mihi videor, γεωμετρικῶς, in II de Orat. in illis, « Nam et omne quod eloquimur, sic; ut aut esse dicamus id, aut non esse, etc. »; alterum *eloquimur*, quod continenter sequebatur, a librario male fuisse prætermissum, ac debere scribi, « Omne quod eloquimur, eloquimur sic ». Et in libello de Optimo Genere Oratorum, ubi est, « Quia in senatu Demosthenes », alterum *senatu* deesse docui et scribendum esse, « qui a senatu, in senatu Demosthenes, etc. » Quoniam igitur ipsis tabulis et testibus illa probaveram, mihi visus sum hic quoque, hanc eamdem habere conjecturam vel optimam, si alterum *creditur* hic item errore librarii prætermissum reponerem, ut legatur sic: « Quum sive creditur his, creditur hoc ipsum quod nos arguimus, sive fides non habetur, de adversarii testium fide derogatur ». Alia quidem sententia esse non potest. P. Faber.

Quum sive his creditur, creditur hoc ipsum quod nos arguimus. Sic legendum libris omnibus invitis. Fuerat autem verbum *creditur*, quod bis poni debet, semel tantum a scriptore librario scriptum, sive errante, et imprudente, sive prudente et data opera; sententia autem plana est. Est enim

dilemma, cujus hæc vis est; testes, qui testimonium dicunt in Cæcinam, non reformido. Nam si viri boni sunt, me adjuvant, quum id jurati dicunt, quod ego juratus arguo: sin autem leves et minus idonei sunt, me non lædunt, quum sive eis creditur, id ipsum eis creditur, quod nos objicimus et arguimus : sive eis non creditur, de eorum fide derogatur. Viderat hunc locum esse corruptum et mutilatum Hottomannus, sed redintegrare non potuerat. P. Faber Arvernus et vidit ulcus, et sanavit. LAMB.

Ut Faber emendandum censet, legit Lambinus in editione Argentoratensi anni 1581, a Jacobo *Dupuys* et Iosia Rihelio publicata : « Quum sive his creditur, creditur hoc ipsum, quod nos arguimus ». Sed nec in vetustioribus Lambini, ut Parisiensi 1566, nec in Genevensi Jeremiæ *des Planches* 1584, invenitur alterum *creditur*. Verissima tamen est illa sive Fabri, sive Lambini emendatio. Alterum *creditur* est vitio et oscitantia librariorum omissum. Si non mihi religio esset aliquid sine libris veteribus interpolare, immutassem sane hæc verba, et interposuissen τὸ *creditur*. Quum iis creditur, hoc ipsum quod nos arguimus, nimirum armatos et convocatos fuisse homines, creditur. Editio P. Manutii Veneta anni 1583, quæ cum ejus commentario prodiit, recepit Hottomanni conjecturam : « Quum, sive creditur iis hoc ipsum, quod nos arguimus, confitentur, sive fides non habetur ». GRÆV.

Hanc emendationem receperunt Olivet. ac Lallem. GAR.

EXCURSUS III

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 2.

De jure civili judicium fieri videretur. Jus civile, jus civium interpretor. Quod autem Cæcina Volaterranus esset, cui municipio Sulla victor, item ut ceteris Italiæ municipiis, civitatem ademerat, jure Quiritium ac civium uti eum posse negabat : veluti hereditatem a cive rom. accipere : solis enim civibus rom. hereditatum aditio permittebatur. Cæcina autem ab uxore sua Cæsennia heres fuerat institutus; ergo de jure civili sic accipio, de jure civium, vel de jure civitatis. Hottom.

Sed de jure civili judicium fieri videretur. Suspicio de mendo nulla est in his verbis. Explicatio nobilissimi jurisconsulti fecit, ut non prætermitterem. Hottomannus igitur *jus civile* interpretatur hic *jus civitatis*, quod Æbutius, quoniam Sulla civitatem Volaterranis ademisset, negat Cæcinam Volaterranum civem esse, et a cive posse hereditatem capere. Mihi probari vix possit. Mitto loquendi genus, quo non alibi, quod quidem meminerim, sic utitur. De *jure* autem *civitatis* quæ dicturus est in hac oratione, in extrema dicet, ut aliud agens, ac dicet his ipsis verbis : « Nihil ea ad causam attinuisse ». Quod igitur civile jus dicam hic intelligi? id de quo statim subjiciet : « Sed quum de eo jure mihi dicendum sit, quo sublato non solum pars aliqua diminuta, sed etiam vis ea, quæ juri maxime est adversaria, confirmata esse videatur ». Hoc autem jus in qua re versatum sit, dixit etiam in Oratore sic : « Tota nobis causa pro Cæcina de verbis interdicti fuit ». Et dicet in hac oratione : « Dolabella prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominibus armatis ». Deinde : « Sponsio facta est; de hac sponsione vobis judi-

candum est ». Formula sponsionis sequitur : « Ni adversus edictum prætoris vis facta esset ». Jus igitur illud, cui vis est inimicissima in verbis *interdicti*, de quibus totam hanc causam ait sibi fuisse, de quo judicium fieri videretur, profecto hoc est, neque fuit ferendum, ne quid obstaret ea distinctio juris civilis et juris prætorii posita a Papiniano in lege 7, de justitia et jure, aliisque jurisconsultis, et usurpabit infra Cicero; quam cur hic magis observet, quam in ipsa definitione *juris civilis*, quam in Topicis exposuit, ubi edicta prætorum aliorumque magistratuum juris civilis partem constituit? Est enim ibi « jus civile », ut scis, « quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistit ». Neque porro, quin *edicti* appellatione Cicero *interdictum* complectatur item, ut jurisconsulti, hic locus, quem citavi modo, « ni adversus edictum prætoris vis facta esset », aliique in hac oratione loci dubitare nos sinunt, ut illic ostendemus; ubi, cur *edictum* pro *interdicto* dici negarent, causa non fuit. P. FABER.

EXCURSUS IV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 7.

Usus enim, inquit, ejus et fructus fundi testamento viri fuerat Cæsenniæ. Quum hoc novæ litis genus, etc. Etsi mendi nulla suspicio est in his verbis, tamen attentius ea consideranda visa sunt, quod hæc Æbutii videri possit alicui justa esse defensio, qui Cæsenniam possedisse propter usumfructum dicat, Cæcinam autem illius heredem neget hoc nomine potuisse possidere, quem Cicero tamen defendit possedisse.

Hottomannus quidem hanc Ciceronis defensionem ait aperte falsam et nugatoriam esse; nititur credo maxime illis verbis, quæ leguntur in extrema oratione, « Cæsenniam possedisse propter usumfructum non negas »; sed et illa mendosa esse eo in loco Hottomannum docere potuit, quod hic Cicero tam sollicite docet, fundum illum in auctione emptum esse Cæsenniæ, ut illa jam quod emerit, non propter usumfructum dicatur possedisse, et hic novæ genus hoc litis quum appellet, non quæritur, opinor, an Cæsennia mortua ususfructus ille ad heredem redeat : hoc quæratur potius an filio mortuo matri, quæ cum filio testamento viri frueretur bonis omnibus, ususfructus accreverit. Nam hoc jus esse statuit Julianus, quem laudat auctorem Ulpianus in lege 8, de usufructu accrescendo. Deinde si Cæsennia, ut illi jurisconsulti volunt, usumfructum habere debuit jure accrescendi, cur, quum ea bona venirent in auctione, mulieres in partem vocatæ sunt? Et quum ipsi Cæsenniæ, quæ bonis omnibus frueretur jure, majorem partem legaret filius, uxori quoque suæ grande pondus argenti legaverit. Sane responsum his velim quidvis potius, quam Ciceronem sic importune, ne dicam impudenter, aut adeo sic impune esse mentitum, ut ne adversarius quidem quidquam de re tanta dixerit, neque in hoc loco potissimum restiterit. Dixerit igitur potius timidior aliquis, quam audacior, jus in plerisque mutatum fuisse; ostendat etiam, ut sæpe jus novum juri antiquo videamus opponi in posteriorum jurisconsultorum libris : quam multa in illo correxerint novæ leges, senatusconsulta, jurisconsulti ipsi, siquidem Labeo unus (ut mittam ipsius, et Capitonis, ut horum utriusque successorum dissensiones inter se) in illa scientia plurima innovare instituit, ut ait Pomponius in lege ultima, de origine juris. Quin Cicero in hac ipsa oratione : « Dubium est, inquit, quin si Cæsennia tum possidebat, quum erat colonus in fundo, post ejus mortem heres eodem jure possederit? » At Paullus jurisconsultus postea in lege 30, de acquirenda, vel amit-

tenda possessione: « Quod per colonum possideo, inquit, heres meus, nisi ipse nactus possessionem, non poterit possidere ». Cicero in Topicis : « Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata ». Contra Ulpianus in lege 30, de auro et argento mundo, etc. « An cui argentum omne legatum est, ei nummi quoque legati esse videantur, quæritur : et ego puto non contineri ». Hic Noster in Topic. « Non debet ea mulier, cui vir usumfructum bonorum suorum legavit, cellis vineariis et oleariis plenis relictis putare id ad se pertinere; usus enim, non abusus legatus est ». At Ulpianus in lege 1, de usufructu earum rerum quæ usu consumuntur : « Senatusconsulto, inquit, inductum videtur, ut earum rerum, quæ usu tolluntur, vel minuuntur, possit ususfructus legari ». In eodem Topicorum libro, et in hac oratione de Mancini causa quæ dicit, iis possum maximorum jurisconsultorum sententias opponere. Sed quid etiam opus exemplis, quum hic liber unus Topicorum tam multa suppeditet? Ferendum profecto non sit Ciceronem, qui tam multa de jure disseruit, *de jure* librum separatim scripsit, de jure respondere in animo habuit apud Trebatium, cui Topica scribebat, jurisconsultum vel omnium doctissimum in tam multis tam turpiter voluisse mentiri : quin etiam jus est quoddam varium, ut infra appellaturus est, ut *controversum* in oratione pro Muræna, ut *anceps* appellavit Horatius. Una lex 29, de legatis et fideicommissis, lib. XXXII, quam multa ejus juris exempla continet? « Cascellius, Trebatius negant ei deberi, Labeo id non probat : Labeonis sententia vera est ». Deinde : « Q. Mutius et Gallus putabant maximam partem legatam esse, Servius, Ofilius minimam. Labeo hoc probat; idque verum est ». Item : « Id legatum putat Labeo; ego non puto »; et in illis « neutrum liberum futurum putat Labeo, sed Tubero », et quæ sequuntur. Postremo sane videndum, si scriptum et verba spectantur, a quibus dicet in hac ipsa oratione summus ju-

risconsultus Aquillius recedi non oportere, verba testamenti Fulcinii patris, « ut frueretur una cum filio mater », quid valeant. Nam qui fieri potuit, ut post filii mortem frueretur una cum filio mater? aut quid sit aliud « frueretur una cum filio mater », quam fruerentur una mater et filius? Utro modo dicatur monet Paullus nihil interesse, qui in lege 7, de usufructu accrescendo: « Nec enim interest, inquit, ita legetur illi cum Mævio; an ita, et illi et Mævio ». Et in lege 29, quam proxime citabam de legatis et fideicommissis in hac formula: « Si Stichus et Dama servi mei in potestate mea erunt quum moriar, tum Stichus et Dama liberi sunto, et fundum illum sibi habento: si alterum ex his post testamentum factum dominus alienasset, vel manumisisset, neutrum liberum futurum Labeo putat. Sed Tubero eum qui remansisset in potestate, et liberum futurum, et legatum habiturum. Tuberonis sententiam voluntati defuncti magis puto convenire ». Sic fit: hic Tuberonis magis probat sententiam. Cur non minus licuerit hic Labeoni in eadem esse cum Cicerone sententia? qui censeat illa verba testamenti « ut frueretur una cum filio », postulare ut vivat filius, quo mortuo matri si frui velit, emere necesse sit, quum præsertim si filius ante moreretur, futurum esset, ut matri suo testamento consuleret. Itaque fecit, et mater illius testamento, ut ex iis, quæ dixi, apparet, stetit. Quæ exposui tam multa, non tam ut in sententiam illam Hottomanni inquirerem, quam ut intelligeres jura ista, et auctoritates hominum quamvis prudentium cujusmodi plerumque sint: utque nullum jus esse, nullave lex, aut institutum possit, quod, præter verbum Dei, maneat in æternum. P. Faber.

EXCURSUS V

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 12.

Quid denique? ad jus civile, aut ad actoris actionem, et ad animadversionem ages? injuriarum. Obscurus locus, et, ut opinor, depravatus; nam etiam in aliis prope omnibus pro *actionem* reperio *notionem*. Ego sic legendum potius existimarem: «Quid denique ad jus civile? Quum ad actoris ultionem et animadversionem agatur injuriarum»: quod notum est ex l. 2, § emancipatus, D. de collat. bon. l. 7, § 1, D. de injur. Hottom.

Quid denique? ad jus civile ages injuriarum? Sic hunc locum restitui, deletis iis, quæ ex ora libri in contextum orationis irruerant; sententia autem nunc est aperta: Quid denique, inquit, ad jus civile, id est, ad ea, quæ sunt juris civilis, seu ad ea obtinenda, quæ beneficio juris civilis, et actionum ex jure civili nascentium, contingunt, ages injuriarum? proinde quasi dicat, nequaquam: nam qui agit injuriarum, pœnam persequitur: sed non recuperat rem sibi ereptam, aut possessionem amissam actione injuriarum: quid ergo? alia actione experiendum. Sed, ne quis queratur, voces aliquot a nobis hic esse deletas, vulgatam lectionem repræsentabo: « Ad jus civile, aut ad actoris actionem, et ad animadversionem ages injuriarum?» Quæso quid sibi hæc volunt, «aut ad actoris actionem, etc.» quid vero scriptura antiqua? « aut ad actoris notionem, etc. » Omnino facile apparet, hæc verba esse aliunde profecta, et initio ab aliquo adscripta, qui vellet declarare, actionem injuriarum pertinere ad notionem, atque ad animadversionem, non ad possessionem. Lambin.

Quid denique ad jus civile, aut ad actoris actionem, et ad

animadversionem, ages injuriarum? Hottomannus in pluribus libris ait hic non *actionem*, sed *notionem* legi. *Ut* etiam legit Cujacius lib. V Observationum, cap. 17. Lambinus octo verba delet: «Quid enim hæc sibi volunt?» inquit. Ego loci valde corrupti vitium omne in distinctione, et in uno nomine *actoris* positum esse sentio: falsum nomen *actionem*, causa fuit credo librario, ut *actoris* etiam scriberet pro *prætoris*. Ego igitur hic lego, et distinguo sic: «Quid denique ad jus civile, aut ad prætoris notionem, et ad animadversionem? ages injuriarum. Plus ego tibi largiar, non solum egeris, etc.» Et mirum est tantos jurisconsultos hoc vel non animadvertisse, vel non ostendisse. Primum quis nescit ejusdem esse *notionem*, et *animadversionem*, et utrumque *prætoris* esse, neutrum *actoris*? De animadversione est notum ex ipso edicto prætoris in titulo, de injuriis, lege 15; ait prætor: «Si quis adversus ea fecerit, prout quæque res erit, animadvertam». Sic in titulo, de minoribus viginti quinque annis, et de aleatoribus. Sed longior sum in re facili. *Notio* item, ut cognitio prætori quam sæpe tribuatur in Pandectis juris, commemorare nihil necesse est. Paullus certe in lege 105, de reg. jur. «Ubicumque, inquit, causæ cognitio est, ibi prætor desideratur». Quæ sit autem vis hujus nominis, satis docet in lege 90, de verborum significatione, Ulpianus: «Notionem, inquit, accipere possemus, et cognitionem et jurisdictionem». Et Cicero in oratione de Provinciis conjunxit *judicium* et *notionem* quasi pro eodem: «Clodius, inquit, censorium judicium ac notionem, atque illum morem severissimum magistratuum de civitate sustulit». Sic γνῶσις Demostheni in oratione contra Aristogitonem est κρίσις, ut sæpe alias: idem διάγνωσις, quod etiam *notio* et *cognitio* bene est interpretatum in glossis veteribus: sed, ut illa mittam, quid esse potest evidentius, quam hic repeti eisdem verbis, quod dixerat proxime: «Quid agas mecum ex jure civili, et prætorio non habes?» *ut idem* Cujacius in eo quem citavi loco, deceptus mendoso verbo

actoris, indiligentius *jus civile* pro *jure prætorio*, dici hic a Cicerone scripserit. Tum occupatione, quæ sequitur, nihil potuit esse aptius : « Dixeris, inquit, te acturum injuriarum, at ego hoc dicam, etiam si injuriarum egeris, etiam si ille condemnatus tibi sit, nihilo te magis possessurum ». Causam hic addit eamdem, quam Ulpianus in lege 7, de injuriis : « In actione injuriarum, inquit, agitur, ut facinus vindicetur, non ut damnum sarciatur ». Quæras fortasse, cur hic *injuriarum actio* neque ad jus civile, neque ad jus prætorium quidquam pertinere dicatur, quum de ea re prætor edicto nominatim caveat. Hoc de jure possessionis dictum accipi vult, quia *actio injuriarum* jus possessionis non adsequitur, ut hic subjicit; et Ulpianus probat in his quæ citavimus. P. Faber.

Aut ad actoris notionem et animadversionem. Gulielmius conjicit, « aut ad actoris notationem, etc. » Cujacius citat vulgatum libro V Emend. cap. 17. Grut. — *Jus civile* est, quod observari omnium interest; *jus actoris*, quod ipsius actoris privatim, scilicet *jus possessionis* supra. Charisius : « Jus civile de privatis controversiis et judiciis ». Notionem accipere debemus pro cognitione et jurisdictione : dicitur etiam de cognitione criminum l. 1, § quidquid, D. de officio præfecti Urbis : « Quidquid ultra centesimum ab Urbe lapidem admittitur, egressum est præfecti Urbi notionem ». Notio enim generale verbum est, l. act. prætor. D. de re judicata. Sententia est, quum ages injuriarum, pœnam, non rem ipsam repetes, ut magistratus et quæsitor ea de re cognoscat, et animadvertat in eum, qui te affecit injuria. Paullo post dicit *judicio pœnaque*, quod hic notionem et animadversionem. Passer.

Erfurt. « et ad animadversionem? Aies. Injuriarum ». Græv. *Aies*, etiam binæ veteres Venetæ. Omnes, opinor, ex solemni permutatione, de qua ad III in Verr. 59, 62. Supra c. 7, illæ edd. *quid agis?* ubi recte legimus, *quid ais?* contra quam hoc loco evenit. Sed locus est plane mendosus, quem sanat

quidem secando, et urendo Lambinus, et mollius pertentat Faber: verum codices sunt exspectandi meliores. Certe ferri non potest vox *actoris*, qua sola deleta, sensus constaret. Interrogatio post v. *ages* mihi non placet, etsi est in ed. 1480 Naug. etc. Melius in Erf. collocatur, ut Faber volebat, aut cum Grut. et aliis sic, « et ad anim. ages injuriarum ? » GARATON.

EXCURSUS VI

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 14.

Quid ergo? hoc quam habet vim? Prior interrogatio aperta est: ea quippe Cicero utitur, quum hoc significat, si ita est, si tibi hoc concedam et largiar, quid ad hæc respondebis? ut statim objectionem quampiam subjiciat : uti hoc loco subjectam ab eo fuisse existimamus. Sed posterioris sententia quæ sit, non dispicio : quid enim pronomen *hoc* significet, conjectura adsequi non possum : nam ut nota tollatur interrogationis, ut in quibusdam libris sublata est, tamen interrogatio illa superior, « Quid ergo? » nihilo magis quo pertineat, habitura est. Quum animi penderem, libros veteres consului : nihil adjumenti. In uno tantum post illa verba, « Hoc quam habet vim? » inane spatium non longum relictum erat, ex quo desiderari nonnulla facile sum suspicatus, quum etiam proxima particula *ut* similiter abesset. Desiderari autem interdicti verba grandioribus olim conscripta literis existimavi, eoque magis, quod in vetustis codicibus animadvertebam, quæ literis grandioribus scribenda essent, notis fere omnia exarata esse, et præcisis verbis atque inchoatis : ut quum ita scriptum interdictum librarius animadverteret, neque eas notas intelligeret, qua tum plerique ignorantia

atque ideo negligentia præditi erant, consulto prætermiserit; quod ipsum in hac eadem rursus oratione factum est, in illa scilicet lacuna, quæ asterisco notata est infra, et Verrina IV, Verr. V, et alibi frequenter. Meo igitur judicio tale quidpiam prætermissum est. « Quid ergo? hoc quam habet vim? Unde vi tu illum dejecisti, eo tu illum restituas; nam ut illa res, etc. »; ut post « adspirare possim », non interrogandi, sed membri nota ponatur, nondum videlicet absoluta, sed pendente adhuc sententia : et illa verba, « Qui hoc ab illo differt? » sic exponamus, quasi diceret, si maxime res illæ duo facto inter se differrent, ac dissiderent, tamen cur in eo discreparent, ut in altera æquum sit restitui, in altera minime. HOTT.

Hoc, quam habet vim? Non dubium est, quin post hæc, « hoc quam habet vim? » quidpiam desit : quid desit, quæritur. Hottomannus hoc deesse putat : « UNDE tu illum dejecisti, eo tu illum restituas » : ego illud supra positum, « EJECI ego te armatis hominibus, non dejeci » : sententia est aperta, hoc nempe quod dicis, « ejeci ego te, non dejeci », quam habet vim? an eam vim habet, ut illæ duæ res differre aliquid inter se videantur, utrum tum armis expellar, quum intravero, pedemque aliquo intulero, an antequam ingrediar, mihi ab armatis hominibus occurratur, et obviam eatur, ne possim intrare? proinde quasi dicat, nihil differre debet, utrum mihi jam ingresso vis afferatur, ut exeam : an ingredi volenti obstetur, ne ingrediar. Malim autem hæc verba, quæ desiderari me suspicari dixi, poni post *hoc*, ut ita legatur : « Hoc, ejeci te, non dejeci, quam habet vim? » Præterea illa, « aliquid aliqua ex parte », mihi suspecta sunt, existimoque vel *aliquid*, vel *aliqua ex parte* esse delendum. Nam tantumdem valet *aliquid differre*, quantum, *aliqua ex parte differre*. LAMB.

Quid ergo? hoc quam habet vim, ut illa res aliquid aliqua ex parte differre videatur, utrum, etc. In libris Caroli Stephani erat impressum *ut hic*, valde mendose scilicet. Hottoman-

nus quod in libro veteri deerat particula *ut*, in illo spatio inani putabat deesse verba interdicti. Lambinus explet his quinque verbis, « ejeci ego te, non dejeci ». Ego quia nullum vidi librum, in quo particula *ut* deesset, in quove spatium inane ullum appareret; contra detrahenda potius quædam conjicio. Primum illud, « aliqua ex parte » : vel ut est in aliis etiam mendosius, « quum aliqua ex parte », plane est totum supervacaneum interpretamentum vocis *aliquid*. Deinde hæc duo *illa res* nullius item usus hic sunt. Nam vox *utrum* absque illis explet abunde sententiam. Adde quod in libris impressis a Badio olim, et postea a Colinæo, et in Victorianis pro *illa res*, erat *ista re;* ut pro hoc, *ista re*, totidem, nec valde dissimilibus literis legendum videatur *in jure* hoc modo : « Quid ergo? hoc quam habet vim? ut in jure aliquid differre videatur, utrum pedem quum intulero, atque in possessionem vestigium fecero, tum expellar, atque dejiciar; an quum eadem vi, etc. » In jure autem hic dicitur, ut in hac ipsa pagina, « Id leve in jure civili judicabitur? » plura exempla videas infra ad illa verba *sic venire;* pro quibus ego item restituo, *sic in jure*. P. Faber.

Nihil ego censeo omissum esse. Sententia est, quod est hujus defensionis firmamentum, quod argumentum ?quomodo et cui umquam probabis differre, si vim respicies, *ejici* et *dejici*. Græv.

Quam habet vim. Vis hic notionem significat. Pro Balbo : « Adjunctum est in fœdere, majestatem populi romani comiter conservent. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior ». Cic. XI ad Div. ad Brutum : « Qui Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Hoc quam habeat vim te existimare malo, quam me apertius scribere ». Sic in Top. « Ex vi nominis argumentum ducere ». Passer.

EXCURSUS VII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 14.

An in eadem vi atque iisdem armis. Veteres libri, « an cum eadem ». Hott. — Lambinus, sic emendavit nulla librorum suorum mentione facta, et in contextum recepit, « an cum eadem vi, atque iisdem armis », quod et sequutus est Gruterus, qui alioquin non facile Lambiniana probat, quum tamen et ipse in notis nullius codicis meminerit, in quo se sic reperisse doceret. Passeratius quoque id probat, aut pro *in* censet legi posse *ut*. Sed omnes tamen MSS et editi ante Lambinum, præter duos: « an in eadem vi atque iisdem armis », hoc est, eadem vi utentes, et similiter armati. Locutiones sunt antiquæ. *In vi* est vim adhibens, *in armis*, est armatus, ut apud Phædrum lib. V, « occasio in novacula » est manu novaculam gerens. Virgil. Æneid. V: « Acestes Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursæ », jacula gerens, et indutus pelle ursina. Apud alium poetam « juventus in remis » sunt remiges; et Valer. Flacc. I, « trifida Neptunus in hasta », tridente armatus. Sic quidem tot librorum scriptura potest defendi, sed tamen quum diu post oblatus Erfurt. codex probet « an eadem vi », in illo conquiesco. *Cum* ἀπὸ κοινοῦ repetendum. Vereor tamen, ne exciderit hæc particula. Est enim insolentius istud loquendi genus, quod in editis habetur. Sane si *cum* reperissem in ullo libro, non respuissem. Græv. — Edit. 1480 non modo habet, « an in eadem vi » cum cæteris antiquis, verum etiam, « in iisdem armis »; quod verius puto, et per se clarius, atque liquidius, quam ex Grævii explicatione, qui et hoc implicatum reddit, et τὸ *cum* sine causa desiderat. Garat.

nus quod in libro veteri deerat particula *ut*, in illo spatio inani putabat deesse verba interdicti. Lambinus explet his quinque verbis, « ejeci ego te, non dejeci ». Ego quia nullum vidi librum, in quo particula *ut* deesset, in quove spatium inane ullum appareret; contra detrahenda potius quædam conjicio. Primum illud, « aliqua ex parte » : vel ut est in aliis etiam mendosius, « quum aliqua ex parte », plane est totum supervacaneum interpretamentum vocis *aliquid*. Deinde hæc duo *illa res* nullius item usus hic sunt. Nam vox *utrum* absque illis explet abunde sententiam. Adde quod in libris impressis a Badio olim, et postea a Colinæo, et in Victorianis pro *illa res*, erat *ista re;* ut pro hoc, *ista re*, totidem, nec valde dissimilibus literis legendum videatur *in jure* hoc modo : « Quid ergo? hoc quam habet vim? ut in jure aliquid differre videatur, utrum pedem quum intulero, atque in possessionem vestigium fecero, tum expellar, atque dejiciar; an quum eadem vi, etc. » In jure autem hic dicitur, ut in hac ipsa pagina, « Id leve in jure civili judicabitur? » plura exempla videas infra ad illa verba *sic venire;* pro quibus ego item restituo, *sic in jure*. P. Faber.

Nihil ego censeo omissum esse. Sententia est, quod es hujus defensionis firmamentum, quod argumentum ?quomodo et cui umquam probabis differre, si vim respicies *ejici* et *dejici*. Græv.

Quam habet vim. *Vis* hic notionem significat. Pro Balbo « Adjunctum est in fœdere, majestatem populi romani comiter conservent. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior ». Cic. XI ad Div. ad Brutum : « Qui Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Hoc quam habeat vim t[e] existimare malo, quam me apertius scribere ». Sic in Top. « Ex vi nominis argumentum ducere ». Passer.

EXCURSUS VII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 14.

An in eadem vi atque iisdem armis. Veteres libri, « an cum eadem ». Hott. — Lambinus, sic emendavit nulla librorum suorum mentione facta, et in contextum recepit, « an cum eadem vi, atque iisdem armis », quod et sequutus est Gruterus, qui alioquin non facile Lambiniana probat, quum tamen et ipse in notis nullius codicis meminerit, in quo se sic reperisse doceret. Passeratius quoque id probat, aut pro *in* censet legi posse *ut*. Sed omnes tamen MSS et editi ante Lambinum, præter duos : « an in eadem vi atque iisdem armis », hoc est, eadem vi utentes, et similiter armati. Locutiones sunt antiquæ. *In vi* est vim adhibens, *in armis*, est armatus, ut apud Phædrum lib. V, « occasio in novacula » est manu novaculam gerens. Virgil. Æneid. V : « Acestes Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursæ », jacula gerens, et indutus pelle ursina. Apud alium poetam « juventus in remis » sunt remiges ; et Valer. Flacc. I, « trifida Neptunus in hasta », tridente armatus. Sic quidem tot librorum scriptura potest defendi, sed tamen quum diu post oblatus Erfurt. codex probet « an eadem vi », in illo conquiesco. *Cum* ἀπὸ κοινοῦ repetendum. Vereor tamen, ne exciderit hæc particula. Est enim insolentius istud loquendi genus, quod in editis habetur. Sane si *cum* reperissem in ullo libro, non respuissem. Græv. — Edit. 1480 non modo habet, « an in eadem vi » cum cæteris antiquis, verum etiam, « in iisdem armis » ; quod verius puto, et per se clarius, atque liquidius, quam ex Grævii explicatione, qui et hoc implicatum reddit, et τὸ *cum* sine causa desiderat. Garat.

EXCURSUS VIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 15.

Loco sæpe, et certo de statu demovet. Dimovet est in pluribus libris, quod verbum, vel magis disturbare adversarium significet; utrumque est commodum. In lib. I de Officiis proverbium, « de gradu dejici », idem est: *statum* autem vocant etiam ϛάσιν Græci; quod nomen usurpatum a rhetoribus græcis et latinis sæpe, maxime autem in Partitionibus et in Topicis. Illos ipsos, qui usurparent, testantur Hermogenes et Quintil. unde ductum id esset, *dubitavisse*. Docuerat autem Æschines in orat. contra Ctesiph. his verbis: Ὥσπερ οὖν ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς ϛάσεως πρὸς ἀλλήλους διαγωνιζομένους, οὕτω καὶ ἡμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ περὶ τῆς τάξεως αὐτοῦ τοῦ λόγου μάχεσθαι. « Quemadmodum igitur in gymnicis agonibus videtis pugiles de statu invicem certantes, ita et nos per totam diem de civitate, ac de ipso causæ statu pugnamus. » Interpres quoque vetus Hermogenis ϛάσιν apud rhetores ait esse, ἴδιον τῶν πυκτευόντων. Sed in verbis Æschinis ubi est περὶ τῆς τάξεως corrigo et lego, ut in priore parte collationis, περὶ τῆς ϛάσεως· et sic auctor est Quintilianus in lib. III, cap. 6, legisse veteres, qui *vertit* περὶ τῆς ϛάσεως τοῦ λόγου, de ipso causæ statu: χῶρον vocat Homerus in singulari certamine Paridis et Menelai lib. *III* Iliadis, ubi vetus interpres ad illa verba, χῶρον μὲν πρῶτον διεμέτρεον, adnotat: Ἀναγκαίως διεμέτρουν πᾶν τὸ χωρίον ἐν ᾧ ἔμελλον μονομαχήσειν, ὥϛε μὴ μόνον τὸν διὰ τῶν ὅπλων ἡττηθέντα νενικῆσθαι, ἀλλὰ τὸν ἀπολιπόντα τὸ ἀποδεδειγμένον χωρίον· ὅπερ γίνεται καὶ ἐπὶ τῶν ἀθλητῶν. « Necessario omnem locum mensi sunt, ubi singulare certamen secum erant inituri, ut non modo qui armis *inferior* esset, verum etiam qui definitum pugnæ statum relinqueret, vinceretur: non secus atque inter athletas fieri *solet*. »

Sic apud Plautum: « In statu stat senex »: paratus videlicet ad pugnam. Sic Q. Claudius apud Gellium in lib. IX, cap. 13, quum describit certamen illud nobile Manlii cum Gallo: « Manlius animo magis, quam arte confisus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scutum scuto percutit, atque iterum de loco hominem dejicit ». Hic quidem statum, ut illic, interpretatur locum; et res tota cujusmodi sit, ex illo planissimum est. Dixi pluribus, quod sciebam fore, ut et ratione verbi sic exquirenda, et historia ista, valde delectari quis queat. P. Faber.

De statu est sua sede dejicit, et firmitudine ac ratione. Laberius : « Movere potuit in juventa de statu ». Mox: « Ut facile labefecit loco ». Horat. « Mente quatit solida ». Cic. Parad. « Voluptas quo major est, eo magis mentem ex sua sede et statu dimovet ». Virgil. « Casuque animum concussus amici ». Catull. « Externata mente ». Passer. — *Dimovet*, ante Lambinum edd. quas vidi, omnes, post illum unus dedit Olivetus. Est plane ab emendantis manu, non a MSS: nisi quod, quum hic locus a Quintiliano recitetur, Inst. Orat. VIII, 3, in eo *demovet* emendavit summus Burmannus, pag. 618, ex cod. Almelov. quem vide. De hoc verbo jam multa diximus ad Act. I in Verr. 17 : neque hic unum Fabii codicem temere sequerer, licet ejus lectionem non improbem. Vide Torrenium ad Val. Maxim. III, 2, 8, qui adversus decem codices recte defendit verbum *dimoto*, pro quo illi *demoto:* ex sensu quidem ibi : sed, ut appareat, codices in hanc quoque partem errasse. Garat.

EXCURSUS IX

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 19.

Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium. Budæus locum sic explanat, « id est biennio fundum usucapit ». Adsentior eruditissimo viro, et omnium, qui sua ætate fuerunt, mea quidem opinione, diligentissimo. Quare sententiam meam testatus, verendum, credo, non erit, ne quid pudore meo et observantia, qua semper summi viri auctoritatem singulariter colui, alienum faciam, si quæ mihi in mentem venerunt, hujusce loci sententiam accuratius perpendenti, breviter exponam. Primum igitur ut *auctoritatis* vocabulo *usucapionem* intelligimus, quemadmodum quidem ipse voluit, tametsi testimonio in eam rem utatur non admodum idoneo, prius illud verbum *usus* quorsum pertineat, consideremus. Cui namque probari poterit ita loquutum fuisse Ciceronem, ut diceret, « Biennium esse usum et usucapionem fundi? » quid enim illo dicendi genere insolentius, ne dicam ineptius? Quod si huic quoque vocabulo eamdem vim ac significationem tribuamus, qualis illa tandem enuntiatio, aut quæ sub illa sententia subjecta est? « Biennium est usucapio fundi » : vel illa, « Usucapio fundi est biennium ». Quid si tamen hoc exponamus modo : « Lex jubet usum esse », id est, durare biennium? Primum nova locutio, « usus esto biennium », pro, « biennis »; deinde absurda sententia, « usus et auctoritas esto biennium ». Quid enim? an auctoritas, id est, jus usucapione comparatum biennio circumscriptum est? Nam *auctoritatis* verbo jus illud intelligitur, quo rem aliquam jure civili acquisitam, nostram esse affirmamus; ut quum in lege Atinia scriptum est, « Si quid surreptum erit, ejus

rei æterna auctoritas esto»: hæc, opinor, sententia sub illis verbis subjecta est, «in rem furtivam jus domini æternum esse, néque ulla alterius quamvis diuturna possessione labefactari posse»: et illud in Officiorum primo, «Adversus hostem æterna auctoritas esto», id est, ut ne peregrinus civis romani bona quantumvis diuturna usu acquirere et usucapere possit : sed jus dominii integrum et inviolatum semper permaneat. Scævola similiter in l. ultima, D. de pig. act. «Quum controversia de latitudine ei moveretur, quod alias probare non poterat, petit a creditore, ut instrumentum a se traditum auctoritatis exhiberet». Ex quibus locis, et aliis præterea innumeris hanc esse hujus legis, de qua meminit Cicero, sententiam existimamus, ut quum aliarum rerum usus annuus auctoritatem, id est, jus dominii bona fide possidenti afferat, fundi nonnisi biennis usus afferre possit; ut mihi quidem hoc in loco non *biennium*, sed *biennem* potius legendum esse videatur, et in illo Topicorum persimili, *biennis:* quasi in lege scriptum hoc modo fuisset : «Usus, auctoritas fundi, biennis esto. Ceterarum rerum, annuus esto». Quorum verborum sensus hic est apertissimus : Usus biennis esto auctoritas fundi, ceterarum rerum, annuus: ut si quæratur, quod jus sit in eam rem possessori : et, ut modo loquimur, quis titulus : respondere possit, quia bona fide annum aut biennium ea re usus sit; quam conjecturam Venuleii verba confirmant, qui *auctoritatis* verbo, pro jure ex usucapione quæsito, perspicue usus est in l. ult. D. de evictionibus : «Si alienam rem mihi tradideris, et eamdem pro derelicta habuero, amitti auctoritatem placet». Et Ciceronis paullo infra : «Aquæ ductus, haustus, iter, actus, a patre: sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur». Et item in orat. pro Domo sua : «Multæ sunt domus in hac urbe, atque haud scio, an pæne cunctæ jure optimo, sed jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi». Nam *auctoritatis* verbum ipse etiam Bu-

dæus eo in loco similiter interpretatur. Confirmat præterea nostram opinionem, quod in Topicis, in libris quidem omnibus, quos adhuc viderim, sine conjunctione locus sic legitur, quemadmodum hunc nostrum legendum esse suspicamur : « Quoniam usus auctoritas fundi biennium est ». Item illud : « Et sunt ceterarum omnium, quarum annuus est usus ». Subauditur enim verbum antecedens, *auctoritas;* ut ordo et sensus hic sit, quoniam usus biennis fundi, est rata ipsius auctoritas : sic etiam ædium, at in lege ædes non appellantur ; et sunt ceterarum rerum omnium, quarum annuus usus est rata auctoritas, id est, quarum annua possessio ratam auctoritatem, hoc est, jus dominii fixum et firmum afferre solet. Nam *annuus* et *biennis* comparare atque opponere videtur : ut Plinius lib. II, cap. 82 : « Utpote, inquit, quum quidam annuo et bienni spatio duraverint ». Quæ quamvis ita sese habeant, nihil tamen affirmare volumus, sed assensionem nostram sustinebimus, dum alii majoris auctoritatis viri conjecturam hanc nostram bona aliqua et probabili ratione aut confirment, aut repudient. Nos disputandi finem faciemus, si unum illud addiderimus, non videri absurdam oportere verborum implicationem, qua usum esse Tullium suspicamur, quum sic diceret, «Lex usum, auctoritatem fundi jubet esse, biennium »: quod videlicet *legis* verborum notissimum ordinem sequeretur, in qua, ut diximus, scriptum hoc modo fuisse arbitramur: « Usus, auctoritas fundi, biennis esto. Ceterarum rerum, annuus esto ». Ac de hoc quidem verbo *auctoritas*, quæ sit ipsius origo ac notatio, paullo supra in hanc ipsam orationem explicavimus : itemque in fragment. XII tabb. Hott.

Lex usum et auctoritatem fundi. Lege, quæ adnotavimus ad similem locum in Topicis. Lamb. — *Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium. Usum et auctoritatem* cum copula dicit hic ; in Topicis vidi sine copula dici, « Quoniam usus auctoritas fundi biennium est ». Nec aliter apud

Boetium est, qui hæc duo conjuncta bene interpretatur *usucapio;* quum utrumque nomen separatim et *usus* et *auctoritas* usucapionem significet. De usu vidimus in Topicis. De *auctoritate* in hac oratione notum exemplum est. Conjuncte vero hæc duo nomina quod sic dicantur, non magis conturbare debuit doctissimos homines, quam illud, « pactum conventum ». Quod item cum copula et sine copula dici docui. Nec vero magis necessarium puto *biennis*, quomodo vult legi Hottomannus, reponere pro *biennium*, quod hic et in Topicis et in Commentario Boetii scriptum est, quam in Asinaria Plauti mutare decet, « Hic dies summu'st apud me inopiæ excusatio ». Possis etiam hic quærere, cur in illa lege Cicero *jumentum* potius, quam *vehiculum* dixerit, quum præsertim Paullus jurisconsultus in lege 23, de servitutibus prædiorum rusticorum, dicat: « Via constitui vel latior octo pedibus, vel angustior potest: ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire potest ». Gellius explicat in lib. XX, cap. I. In lege item XII tabb. « Jumentum quoque, inquit, non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur: veteres nostri jumentum a jungendo dixerunt». P. Faber.

Usus est jus possessionis quæsitum, quod exprimit auctoritas. Apud Festum Ælius Gallus definit possessionem usum agri, aut ædificii. Horat. « Quædam, consultis si credis, mancipat usus». Plaut. « Pugnis usu fecisti tuum ». An *usus et auctoritas* est ἓν διὰ δυοῖν pro usus (genitivo casu) auctoritas. Orat. pro Cœl. « Jure auctoritatis tenere ». Passer.

In omnibus libris tam editis quam scriptis, quot et ipse et alii viderunt, legitur « usum et auctoritatem fundi ». Perperam sane, ut jam viderunt docti viri. Recte in aliis Ciceronis locis, quæ laudat Hottomannus, scribitur sine copula, idque ratio evincit. Nam hic est ordo verborum hujus legis: « usus fundi biennium auctoritas est», hoc est, usus,

seu usura fundi per biennium parit jus possessionis legitimæ. Usus non est usucapio, ut alibi nonnumquam, sed ipsa utendi facultas et potestas; Ciceroni aliter usura dicitur, ut in Tuscul. I: « Natura dedit usuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præstituta die ». *Usus biennium* est utentes per biennium, si quis utitur fundo duos annos, ut in VII ad Div. « Annos multos nihil aliud commentaris »; per annos multos. Et ad Attic. VIII, 14: « Neque Romæ quidquam auditur novi, nec in his locis, quæ a Brundusio absunt propius, quam tu, biduum, aut triduum ». An non omnium est in ore, « annos tres; biennium abfuit? » Vides igitur concidere emendationem Hottomanni, explicationem Fabri et Passeratii, qui retinent connectendi particulam. *Auctoritas* est evictio, sive potius id quod actionem parit, pro evictione, ut erudite docuit Salmasius de Usuris; et dein ipsa actio evictionis; denique quod acquiritur actione illa jus possessionis, id quod male negat Salmasius in loco laudato. Hæc pluribus confirmarem, nisi esset res liquida. Clarissime quoque patet, biennium pertinere ad τὸ *usum*, non ad auctoritatem ex iis, quæ apud Ciceronem in Topicis hæc verba, « quoniam usus auctoritas fundi biennium est », sequuntur, « et sunt ceterarum omnium, quarum annuus est usus », hoc est, mobilium, quibus annum tantum sumus usi, auctoritas est. GRÆV.—Sine copula edidit Lallem.

EXCURSUS X

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 19.

Si tam vere homines verba consectarentur, quam rem, etc. Quid est « vere consectari verba? » Licet *vere* interpreteris juste, juste tamen verba consectari quid sit, nemo dixerit. Fortasse scripsit Cicero, « si tam severe homines verba consectarentur ». Nihil sani elicies ex hac periodo, si advertes animum. Quid enim hic sibi vult, « quam rem non considerarent? » Nisi Erfurtensis nobis succurrisset, etiam nunc in tenebris et mendis hic locus jaceret. In illo vero scribitur pulchre : « ut rem, cujus causa verba sunt, non considerarent ». Vides nunc omnia liquida esse. GRÆV.

Si tam severe... ut rem. Ita ex cod. Erfurtensi Grævius : vulgati : « si tam vere... quam rem », nullo sensu. LALL.

At qui *severe* conjecit, non in eo MS invenit, neque recepit Grævius. Cautius egit Olivetus, qui codicem illum cum Grævio in verbis edendis plane sequutus est. Est tamen Grævio antiquior illa conjectura ; notavit enim Lambinus in marg. alios legere, « tam severe ». Sed hoc nullibi editum eo tempore inveni. Mihi, quandoquidem codices nihil juvant, placeret etiam, « si tantopere homines verba consectarentur, ut rem, etc. » De Offic. I, 11 : « In quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, etc. » GARAT.

Quam rem, cujus causa verba sunt, non considerarent. Insolens locutio : cujus similem non memini me legisse : « Quam non considerarent », pro, « ut non considerarent ». HOTT. — Leg. *ut* pro *quam;* vide not. præced. GRÆV. — Manutius pervertit sententiam, dum tollere negationem jubet, ut fiat apertior. Duæ illæ particulæ, « tam, quam », conjungunt duo diversa membra eodem plane modo, quo

ipsa conjunctio *et*, ut simul aut affirmationem importent, aut negationem. Infra cap. 20: « Jam restitues, si tuus me libertus dejecerit... quam si procurator... Tam restitues, si unus servulus, quam si familia, etc. » Et cap. 31 similiter, et ita passim. Jam vero Appius Cæcus quempiam præsentem convenire non potuisset. Quam ob causam? quia illum, contra quem agebat, *conspicere* non poterat. Quando absurdum hoc necessario contingere oportebat? Si homines rem ac sensum verborum non considerarent, consectarentur autem ipsa tantummodo verba, h. e. si putarent non satis esse, ut præsens adversarius sit, licet non conspiciatur, ac vellent reipsa conspici illum debere. Hinc optime Cicero: « Si tam vere homines verba consectarentur, quam rem, cujus causa verba sunt, non considerarent: (si revera homines et verba... et rem, etc.) » ut enim illud absurdum consequatur, utrumque debet contingere, ut homines et verba consectentur, et rem non considerent. FERR.

EXCURSUS XI

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 20.

Quum sibi hoc proposuerint, ut me restituas; sive tu dejeceris, etc. Præclare a me hic locus restitutus est, ope veteris codicis, quum in libris vulgatis *restituas* desideraretur: pronomen *me* esset loco suo motum, et in alieno positum, in quo sic legitur: « quum sibi hoc proposuerint, ut me restituas, sive tu dejeceris, etc. » LAMB.

Quum sibi hoc proposuerint, uti. Locum corruptum liberius, ut mihi videtur, corrigit vir doctus. Particula *ut* inculcata videtur post *proposuerint;* ex illius verbi duabus

literis ultimis ob similitudinem, ut sæpe fit: quia *ut*, quod huic verbo redditur, positum inferius est ante nomen *servos;* aut certe dictum fuerit eadem forma, quam notavi in Lucullo in his verbis, «ut Calliphontem sequar», et quæ sequuntur. Cetera hic constant. Et paullo post, «non quo» recte dicitur, ut a Terentio in Eunucho: «Non, pol, quo quemquam plus amem, etc.» Et sic sæpe alibi, ubi corrigi quidquam est nefas. Neque magis corrigendum paullo post, «an tuus colonus»: recte enim respondet illi *utrum*, quod præcedit «utrum me tuus procurator». Neque præterea quidquam in hac tota pagina mutandum esse video. P. Faber.

Quum hoc sibi proposuerint, ut sive metu, etc. Quæ Lambinus hic infersit, non inveni in Pall. et puto nuspiam gentium scripta. Grut.

Ut non est delendum, ut censet Faber, sed interdum geminatur, quamvis sententia non desideret: ut superius: «Quum majores nostri tanta diligentia prudentiaque fuerint, ut omnia omnium non modo tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum jura statuerint, persequutique sint, ut hoc genus unum, vel maxime prætermitterent. Græv.

Est plane alia ejus loci ratio cap. 12, ut ibi vidimus. Negari tamen non potest, *ut* aliquando παρέλκειν. Verum longe plus vidit Lambinus, cui Faber et Gruterus iniqui sunt, quasi optimam lectionem ipse confinxerit, et quod in Palatinis non est, in alio esse codice non potuerit. Quid enim agimus? Id ne fuit in interdicto conscribendo propositum, ut servi numero non distinguerentur? etc. Quin tu mecum lege ex MS Lambini: «Quum sibi hoc proposuerint, ut me restituas, sive tumet (ita enim egregie Ven. 1483, non, *me tu*) dejeceris», etc. Hoc etenim omnino est, quod postulat «ratio juris, interdictique vis, etc.» Reliqua plana, et liquida fient omnia. Non ego unico MS facile servio, sed persæpe Grævius; ex quo saltem hoc didici, locos esse

nonnullos, ut hic est, quibus non deceat errare cum pluribus. GARAT.

EXCURSUS XII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 21.

Sed perinde valebit, quasi ornatissimi fuerint. In hanc sententiam Ulpianus in l. 3 sic scribit: « Armis dejectum, quomodo accipimus? Arma sunt omnia tela: hoc est, et fustes et lapides, non solum gladii, hastæ, et frameæ, id est, romphæa; plane et si unus, vel alter fustes, vel gladium tenuit, armis possessor dejectus videtur. Plus dicitur. Etsi inermes venerunt, si in ipsa contrectatione, qui inermes venerant, eo processerunt, ut fustes, aut lapides sumerent, vis erit armata. Qui armati venerunt, etsi non armis usi sunt ad dejiciendum; si dejecerint, armata vis facta esse videtur: sufficit enim terror armorum, ut videantur armis dejecisse ». HOTT.

Sed perinde. Hoc *perinde* mutat hic, ut alibi, immerito, vir doctus. « (H. e. Lambinus legens, *proinde.*) » Ostendi in Lucullo, et glossæ veteres satis docere potuerunt, et Donatus apud Terentium, atque adeo Terentius ipse. Nihil etiam mutandum in verbis, « Quod inermes armati judicarentur ». Repetit superius argumentum de iis, qui glebis, aut saxis, aut fustibus instructi sic inermes dicerentur; ut de uno armato reddidit, quum subjicit, « Commissa res esset ab uno ». Rectum item, « auctoritate retinetur ». *Re* enim sæpe abundare in verbis compositis, docuere etiam grammatici veteres. P. FABER.

Erfurt. « armatissimi », pro « ornatissimi », me non probante. GRÆV.

Sic tamen non ille solum codex optimus, verum etiam ed. 1480 Nauger. Hervag. Man. Lamb. atque ipse Hottomannus in collectione Coloniensi, qua utor, anni 1521, et ita edendum censeo. Nescio enim, unde Gruterus hauserit *ornatissimi*, neque de vetustissima editione monuit quidquam Grævius. Quod si hoc idoneis testibus niteretur, haud tamen hercle præferrem. Nunc vero eodem loco habeo, quo similem vocem, *paratissimi*, quam in edit. 1483 hic inveni. Cur enim vulgatam ante Gruterum, quem omnes postea pedibus sequuti sunt, non restituam, qua diserte respicitur illud interdicti verbum, ARMATISVE, de quo isthæc omnis est disputatio? Præcessit «arma militis», et «probet armatum». Varietas eadem in Tacito est, Hist. III, 63. Consule ibi omnino doctissimum Ernestium, eumdemque ad Sueton. Exc. XVIII, qui pertinet ad Titi vitam, cap. 9, ubi Cl. Oudendorpius, dum Gruteriana utitur hujus loci lectione, pæne jubet armis ad tegendum *ornatissimos* intelligere, telis exclusis, quæ vel præcipue requiruntur. Sed, quum *ornare* valeat instruere, hic eo sane verbo ex sensu, ac per consequens arma omnia comprehenderentur, quamvis *arma* et *ornatus* quum simul ponuntur, ut apud Sallust. Jug. XCIV, n. 1: «arma, ornatumque mutaverant», similiaque distingui cum viris doctis, et Oudend. ea ratione debeant. Tamen vel ex hoc ipso patet, quam præstet legere *armatissimi*, ne proprium verbum, cui prorsus insistendum est, deseramus, alio quæsito, quod sibi arma postulat subaudiri; eoque magis id postulat, quo latius ad res omnes opportunas ejus verbi *ornare* significatio porrigitur. GAR.

EXCURSUS XIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 23.

Jurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere. De jurisconsultorum auctoritate Justinianus sic loquitur in lib. Instit. juris I : « Responsa prudentum sunt sententiæ et opiniones eorum, quibus permissum erat jura condere : nam antiquitus constitutum erat, ut essent qui jura publice interpretarentur : quibus a Cæsare jus respondendi datum est, qui jurisconsulti appellabantur; quorum omnium sententiæ et opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere a responso eorum non liceret : ut est constitutum » : hæc ille. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, « quum præsertim homines plerumque (ut Quintilianus scribit) indocti, sæpe etiam rustici, judices darentur » : et, ut alibi testatur, « rure etiam plerumque arcesserentur » : cujusmodi tres isti fortasse recuperatores fuerunt : quos Cicero, nunquam sane valde honorifice appellavit. Judices ergo istius generis, imperiti homines, fere ad jurisconsultos confugiebant, qui sua eis responsa scripta dabant. Pomponius sub tit. de Origine juris : « Ante tempora Augusti publice respondendi jus non a principibus dabatur : sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant : neque responsa utique signata dabant, sed plerumque judicibus ipsis scribebant aut testabantur, qui illos consuluerant. Primus D. Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate ejus responderent ». Porro autem ut totam jurisconsultorum rationem breviter explicemus, illud intelligi oportet, « quum jus (ut idem Quintilianus scribit) aliud certum esset, nimirum quod scripto aut moribus constaret : aliud dubium, quod æquitatis regula examinandum

esset »; jurisconsultos in hoc uno genere responsa dedisse, jusque constituisse. « Juris autem omnis quæstio », ut idem alibi ostendit, « aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura continebatur » : veluti quum in hac causa quæreretur, an *dejecti* verbo etiam is, qui prohibitus esset accedere, contineatur, consulti jurisperiti sunt. Sed ad rem. Ex hac disputatione facile est existimare, jurisperitos a Cæcina consultos ejus causam probasse; quod etiam in peroratione ostendit his verbis, « Auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum » : opinor, quod Cæcinam possessorem fuisse, quum dejiceretur, existimarent. Scribit enim Paullus in l. Fulcinius, D. eod. « Vi possideri, et ob eam causam interdictum competere, etiamsi non dominus (quum tamen possideret) vi dejectus esset ». Verum igitur Pisonem Æbutii patronum, ne illorum auctoritas judicibus errorem objiceret, hanc disputationem instituisse, ut diceret, non semper jurisconsultorum responsa sequi oportere. Quod contra Cicero callide et astute defendens, jus civile universum collaudat, et ejus auctoritatem confirmat, quum contra unam illius partem, eamque infirmam adversarius diceret : sed hoc scilicet habuit rationis, quod omnia jura civilia per jurisperitos describerentur : ut in universo jure civili jurisperitorum nomen valere posse videatur. Hott.

Auctoritati obtemperari non oportere est JC. responsis non esse parendum. Sup. « consilium prudentum et auctoritas ». Vide Justinian. lib. I Institut. de responsis prudentum et auctoritate, quod jura condebant permissu Cæsaris. Pass.

EXCURSUS XIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 23.

Jurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere. De jurisconsultorum auctoritate Justinianus sic loquitur in lib. Instit. juris I : « Responsa prudentum sunt sententiæ et opiniones eorum, quibus permissum erat jura condere : nam antiquitus constitutum erat, ut essent qui jura publice interpretarentur : quibus a Cæsare jus respondendi datum est, qui jurisconsulti appellabantur ; quorum omnium sententiæ et opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere a responso eorum non liceret : ut est constitutum » : hæc ille. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, « quum præsertim homines plerumque (ut Quintilianus scribit) indocti, sæpe etiam rustici, judices darentur » : et, ut alibi testatur, « rure etiam plerumque arcesserentur » : cujusmodi tres isti fortasse recuperatores fuerunt : quos Cicero, nunquam sane valde honorifice appellavit. Judices ergo istius generis, imperiti homines, fere ad jurisconsultos confugiebant, qui sua eis responsa scripta dabant. Pomponius sub tit. de Origine juris : « Ante tempora Augusti publice respondendi jus non a principibus dabatur : sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant : neque responsa utique signata dabant, sed plerumque judicibus ipsis scribebant aut testabantur, qui illos consuluerant. Primus D. Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate ejus responderent ». Porro autem ut totam jurisconsultorum rationem breviter explicemus, illud intelligi oportet, « quum jus (ut idem Quintilianus scribit) aliud certum esset, nimirum quod scripto aut moribus constaret : aliud dubium, quod æquitatis regula examinandum

esset »; jurisconsultos in hoc uno genere responsa dedisse, jusque constituisse. « Juris autem omnis quæstio », ut idem alibi ostendit, « aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura continebatur » : veluti quum in hac causa quæreretur, an *dejecti* verbo etiam is, qui prohibitus esset accedere, contineatur, consulti jurisperiti sunt. Sed ad rem. Ex hac disputatione facile est existimare, jurisperitos a Cæcina consultos ejus causam probasse; quod etiam in peroratione ostendit his verbis, « Auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum » : opinor, quod Cæcinam possessorem fuisse, quum dejiceretur, existimarent. Scribit enim Paullus in l. Fulcinius, D. eod. « Vi possideri, et ob eam causam interdictum competere, etiamsi non dominus (quum tamen possideret) vi dejectus esset ». Verum igitur Pisonem Æbutii patronum, ne illorum auctoritas judicibus errorem objiceret, hanc disputationem instituisse, ut diceret, non semper jurisconsultorum responsa sequi oportere. Quod contra Cicero callide et astute defendens, jus civile universum collaudat, et ejus auctoritatem confirmat, quum contra unam illius partem, eamque infirmam adversarius diceret : sed hoc scilicet habuit rationis, quod omnia jura civilia per jurisperitos describerentur : ut in universo jure civili jurisperitorum nomen valere posse videatur. Hott.

Auctoritati obtemperari non oportere est JC. responsis non esse parendum. Sup. « consilium prudentum et auctoritas ». Vide Justinian. lib. I Institut. de responsis prudentum et auctoritate, quod jura condebant permissu Cæsaris. Pass.

EXCURSUS XIV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 23.

Tum illud quod dicitur derident. In lacuna sic libri veteres, *si veni be.* Locus est mutilus : quem restituere sine melioris ope codicis, non possumus. Quod si tamen ullus conjecturæ locus est : fortasse ipsa illa verba desiderantur, quæ eadem in re ad disputationem Antonius ex XII tabul. protulit in libro de Orat. I : « Uti lingua nuncupassit. Tu si, inquit, causam ageres militis, patrem ejus, ut soles, dicendo a mortuis excitasses, etc. » ut totum illud : « Uti lingua nuncupassit », non in XII tabb. sed in magistri carmine scriptum videretur. HOTT.

Tum illud, quod dicitur. Post hæc verba patet lacuna non magna in libris MSS, quam et impressi imitati sunt. Eam autem his verbis expleri posse existimat Hottomannus, « UTI lingua nuncupassit »; cui difficile est non assentiri : est enim probabilissimum, ac credibilissimum, hæc ipsa verba in hoc spatio fuisse scripta, et a librariis scriptoribus, vel quod majusculis literis essent perscripta, vel quod notis essent significata, esse prætermissa. Quod autem nonnulli ita conati sunt explere, illud, quod dicitur, *summo jure*, satius fuerat, eos tacere. LAMBIN.

Tum illud q. dicit. irrident. Scio aliter ab iis hanc lacunam repletam esse. Ant. Augustinus pro *sic venire,* ut est in aliquibus libris, corrigebat, *sic invenire*, ex loco inferiori, in quo est : « Sed ego invenio in interdicto verbum unum ». Sed ille locus proprius est hujus causæ, hic communis omnium. Quare Octav. Pantagathus ita legendum putabat: «Tum illud, quod dicitur, summo jure irrident » : nam paullo ante dixit : « Et ut dici solet summo jure contenditur » : ut idem sit hic,

quod dicitur, et supra, *ut dici solet*. Etiam in hoc inferiori: « Sed ego invenio in interdicto verbum unum ubi delitescam » : omnia dicunt εἰρωνικῶς : hic serio agitur. F. Ursin.

Quod dicitur uti lingua nuncupassit. Misere depravatum est. Ut mittam quos Fulvius Ursinus appellat, Augustinum et Pantagathum doctissimos viros, noster Hottomannus ait fortasse desiderari, « uti lingua nuncupassit ». Cui, inquit Lambinus, non assentiri difficile est. Itaque assensus est ipse, et tria illa verba huc inseruit, pro quibus erat impressum in libris Victorianis, « sic venire » : sine ulla litura; ubi veteres libros ait Hottomannus habere, « si veni Be » : non multum differt, literæ enim *B* et *R* valde sunt similes, ut alibi etiam notavimus. Ego in libris Victorianis scripturam video veram atque integram prope mansisse. Ergo pro « sic venire », aut « sic vinire », lego « sic in jure » : qua formula jurisconsulti ii, qui jus constituerent in verbis, responderent illis, qui ipsis *æquitatis* nomen opponerent : « sic est in jure », id est, in verbis interdicti; de qua re superius dictum est; quod eorum responsum contra irriderent, qui jus non in verbis interdicti, sed in æquitate ponerent. Etenim quod « in jure » dicit Bruto, exponenda causa Curii, hoc idem in lib. I de Orat. dicit, « in scripto », quod ibi *æquitati* opponitur. In utroque genere testatur in eodem Bruto Q. Mucium præstitisse : « Qui, inquit, quum pericutus esset ad excogitandum, quid in jure, aut in æquo verum esset, aut non esset, etc. » Quibus ex locis apparet Q. Mucium in causa Curii, quod in jure esset, id est, quod esset in scripto atque in verbis testamenti, defendisse. De qua causa hic etiam dicet pagina sequenti, et quid « in jure » significet, pluribus ostensurus est. Inferius etiam dicet, « in jure parum dejectum esse » ; ut docebo, pessime impressum est. Neque Ulpianus aliter loquitur in l. 45, de ritu nuptiarum : « in eo jure, quod dicit, invito patrono libertam, quæ ei nupta est, alii nubere non posse, etc. » P. Fab.

Quod dicitur, sive, nibe, *irrident*. Hæc est lectio Pall.

EXCURSUS XIV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 23.

Tum illud quod dicitur derident. In lacuna sic libri veteres, *si veni be.* Locus est mutilus : quem restituere sine melioris ope codicis, non possumus. Quod si tamen ullus conjecturæ locus est : fortasse ipsa illa verba desiderantur, quæ eadem in re ad disputationem Antonius ex XII tabul. protulit in libro de Orat. I : « Uti lingua nuncupassit. Tu si, inquit, causam ageres militis, patrem ejus, ut soles, dicendo a mortuis excitasses, etc. » ut totum illud : « Uti lingua nuncupassit », non in XII tabb. sed in magistri carmine scriptum videretur. Hott.

Tum illud, quod dicitur. Post hæc verba patet lacuna non magna in libris MSS, quam et impressi imitati sunt. Eam autem his verbis expleri posse existimat Hottomannus, « uti lingua nuncupassit » ; cui difficile est non assentiri : est enim probabilissimum, ac credibilissimum, hæc ipsa verba in hoc spatio fuisse scripta, et a librariis scriptoribus, vel quod majusculis literis essent perscripta, vel quod notis essent significata, esse prætermissa. Quod autem nonnulli ita conati sunt explere, illud, quod dicitur, *summo jure*, satius fuerat, eos tacere. Lambin.

Tum illud q. dicit. irrident. Scio aliter ab iis hanc lacunam repletam esse. Ant. Augustinus pro *sic venire,* ut est in aliquibus libris, corrigebat, *sic invenire*, ex loco inferiori, in quo est : « Sed ego invenio in interdicto verbum unum ». Sed ille locus proprius est hujus causæ, hic communis omnium. Quare Octav. Pantagathus ita legendum putabat : « Tum illud, quod dicitur, summo jure irrident » : nam paullo ante dixit : « Et ut dici solet summo jure contenditur » : ut idem sit hic,

quod dicitur, et supra, *ut dici solet*. Etiam in hoc inferiori: « Sed ego invenio in interdicto verbum unum ubi delitescam » : omnia dicunt εἰρωνικῶς : hic serio agitur. F. Ursin.

Quod dicitur uti lingua nuncupassit. Misere depravatum est. Ut mittam quos Fulvius Ursinus appellat, Augustinum et Pantagathum doctissimos viros, noster Hottomannus ait fortasse desiderari, « uti lingua nuncupassit ». Cui, inquit Lambinus, non assentiri difficile est. Itaque assensus est ipse, et tria illa verba huc inseruit, pro quibus erat impressum in libris Victorianis, « sic venire » : sine ulla litura; ubi veteres libros ait Hottomannus habere, « si veni Be » : non multum differt, literæ enim *B* et *R* valde sunt similes, ut alibi etiam notavimus. Ego in libris Victorianis scripturam video veram atque integram prope mansisse. Ergo pro « sic venire », aut « sic vinire », lego « sic in jure » : qua formula jurisconsulti ii, qui jus constituerent in verbis, responderent illis, qui ipsis *æquitatis* nomen opponerent : « sic est in jure », id est, in verbis interdicti; de qua re superius dictum est; quod eorum responsum contra irriderent, qui jus non in verbis interdicti, sed in æquitate ponerent. Etenim quod « in jure » dicit Bruto, exponenda causa Curii, hoc idem in lib. I de Orat. dicit, « in scripto », quod ibi *æquitati* opponitur. In utroque genere testatur in eodem Bruto Q. Mucium præstitisse : « Qui, inquit, quum pericutus esset ad excogitandum, quid in jure, aut in æquo verum esset, aut non esset, etc. » Quibus ex locis apparet Q. Mucium in causa Curii, quod in jure esset, id est, quod esset in scripto atque in verbis testamenti, defendisse. De qua causa hic etiam dicet pagina sequenti, et quid « in jure » significet, pluribus ostensurus est. Inferius etiam dicet, « in jure parum dejectum esse » ; ut docebo, pessime impressum est. Neque Ulpianus aliter loquitur in l. 45, de ritu nuptiarum : « in eo jure, quod dicit, invito patrono libertam, quæ ei nupta est, alii nubere non posse, etc. » P. Fab.

Quod dicitur, sive, nibe, *irrident*. Hæc est lectio Pall.

domus : item jura prædiorum rusticorum, velut via, iter, actus, et aquæ ductus : item servi et quadrupedes, quæ dorso, collove domantur, velut boves, muli, equi, asini: ceteræ res nec mancipi sunt. Mancipatio propria species alienationis est rerum mancipi : eaque fit certis verbis, libripende, et quinque testibus præsentibus. Res mobiles non nisi præsentes mancipari possunt, et non plures, quam quæ manu capi possunt: immobiles autem etiam plures simul, et quæ diversis locis sunt, mancipari possunt». Hæc Ulpianus. In capite proximo mendum est apertissimum: «Traditio propria est rerum»: addendum est enim «nec mancipi»: quod propter insequens simile verbum (ut alibi persæpe) omissum est: nam Ulpianus, «Mancipationem dicit esse propriam alienationem rerum mancipi : traditionem rerum nec mancipi : usucapionem, et in jure cessionem utrarumque communem». Est ergo «jus mancipii», jus dominii in iis rebus, quæ mancipi sunt, quæsitum (eo more quem Caius explicat in libro I Institutionum), quarum rerum nomine evictio præstatur, ut ab eo qui emisset, repeti non possent. Plautus in Curcul.

Capp. Memini, et mancupio tibi dabo. Curc. Egon' ab lenone quidquam
Mancupio accipiam? quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Qui abjurant, si quid creditum est? alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alienisque imperatis.
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.

Unde *manceps* etiam dicitur in eadem scena, ut *auctor*; qui quum in auctione emerit, et manu rem venditam ceperit, alteri postea mancipium suum, id est, jus dominii atque auctoritatem tradit.

Curc. Ego mancupem te nihil moror, nec lenonem alium quemquam.

Idem in Persa:

Dord. Iste qui tabellas affert, adduxit simul
Forma expetenda liberalem mulierem

Furtivam, adductam ex Arabia penitissima:
Eam te volo accurare, ut istic veneat.
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit. HOTT.

Si incertum sit omnia, quæcumque tua jure mancipii sint. Hunc locum ex vestigiis antiquæ scripturæ, a qua vulgata non admodum discrepat, præfiscine, feliciter sic restitui. Nam vulgata quidem, ferri omnino non potest, « si incertum sit, quæ quum omnino tua, etc. » LAMB.— *Quid enim refert ædes, aut fundum relictum a patre, aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit, quæ quum omnia tua jure mancipii sint, ea possis ne retinere.* Hottomannus corrigit, ut ipse fatetur contra omnium librorum auctoritatem, et legit, « Quæ tua communi jure mancipii sint ». Lambinus item et Sigonius recedunt longe a scriptura librorum. Ego in loco tam insigniter depravato literas V et A tantum video frustra ob similitudinem, ut fieri sæpe jam dixi, repetitas. De reliquo literis eisdem sententia verissima lego: « Quæ communita jure mancipii sunt, ea possis ne retinere? » addit ratione subjicienda, « Si parum sit communitum jus ». In qua iteratione ejusdem verbi, et venustatem quæsivit orationi, et gravius argumentum duxit ea causa, id est, ex ipso jure; quod si parum communitum est, illa, quorum id efficiens est, qui poterunt satis esse communita? hoc idem dicet paullo post sic: « Non solum quod hæc jure civili septa sint ». Et in oratione pro Domo sua: « Nullam domum aliam æque esse privato et publico jure munitam ». P. FABER. — *Si incertum sit, quæ quum omnia tua*, etc. Mordicus retinui vulgatam Palatinis nostris sustentatam: nam Manutii ac Lambini supposita nihil habent certi. Hottomannus tentabat, « quæ tua communi jure mancipii sint »: et certum quidem est legendum *mancipii:* sed quis intrusit illa alia? Gulielmius putabat extrito *quæ* constare lectionem. GRÆV. — In orat. de Harusp. responsis: « Nobis sunt domus in hac civitate jure mancipii, jure

nexus». Pro Muræna: «In iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt, periculum præstat, qui se nexu obligavit». Pass. — De rebus mancipi vide in primis Salmasium de Usuris, cap. 7. Mihi valde suspecta sunt illa verba, «quum omnia tua», ne a mala manu sint ingratiis Ciceronis adjecta. Ea si tollas, erunt omnia liquidiora, quum nunc nescio quid nubili illa obfuscet. Græv. — An tandem sanus est locus, et «quæ quum omnia» exponi debet, «quum hæc omnia?» Est quidam in hac locutione ἰδιωτισμὸς, qualem observasse mihi videor ad Act. I in Verr. 9. Utrobique summus est MSS consensus, quem sine maximis causis contemnere non licet. Garat.

EXCURSUS XVII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 27.

Tum statueritis vim in cæde solum, non etiam in animo. Omnes libri veteres, «Tu res si equos, vestes, si vim non in cæde solum, sed animo libidinis». Qui locus quemadmodum restitui possit, divinare non possum: sed hujus rei lectores admonere volui, ne lacunosum et hiantem locum in integri et sinceri loco numerarent. Hott. — *Restituere non debebis*, etc. Vestigiis antiquæ scripturæ insistens, hunc locum in libris vulgatis lacerum, et corruptum, in integrum restitui atque emendavi: sic enim vulgo legitur: «ita venientem repuleris, fugaris, averteris: non restitues: tum statueritis, vim in cæde solum, etc.» plane mendose: legendum autem: «averteris, restituere non debebis. Si vos hoc statueritis, statuetis vim esse in cæde solum». Præterea eum, qui proxime sequitur, qui haud multo minus erat mendosus, partim codicum antiquorum auctoritatem se-

quutus, partim conjectura ductus, prope perpurgavi : in quo, ut dicam quod sentio, videtur mihi hoc totum, «sed injuriam tantum», esse ex annotatione natum, neque a Cicerone positum: potest tamen ferri, ut est a nobis editum: ut autem vulgo legitur, «injuriarum delictum», quod profectum est a semidoctis, immo vero indoctis hominibus, non est ferendum. Lambin. — Octavius Pantagathus locum mala interpunctione subobscurum restitui posse existimabat, si ita interpungeretur : «Tum statueritis vim in cæde solum, non etiam in animo : nisi cruor appareat, vim non esse factam : injuriarum delictum esse, qui prohibitus sit: nisi ex eo loco ubi vestigium impresserit, dejici neminem posse: juris retinere sententiam et æquitatem plurimum valere oportere; verbo ne ac litera jus omne torqueri, vos statuite recuperatores, utrum utilius esse videatur». F. Urs.

Non restitues. Tum statuetis vim in cæde solum, non etiam in animo nisi cruor appareat, vim non esse factam. Sic erat impressum olim a Rob. Stephano, ut in editis Florentiæ doctissimi Victorii fide absque ulla litura. Scriptura librorum, quos memorat Hottomannus tota nihili est; etiam illa depravata est, quam sequitur ipse : «Tum statueritis vim in cæde solum, non in animo libidinis», ubi Lambinus reponit: «In animo et libidine»; verbum *libidinis* in illis libris aperte est addititium. Puto ex aliqua explicatione, quasi Cicero hoc diceret, cui et animus et libido sit aliquem dejicere, neque id conari audeat, quia viribus inferior sit, ab eo nihilominus vim esse factam. Id quam falsum sit, apparet ex eo quod superius dixit : «Ut dubium sit, quin major adhibita vis ei sit, cujus animus sit perterritus, quam illi, cujus corpus vulneratum sit». Non est, opinor, opus argumentis certioribus, ut constet nihil scriptura illa librorum Victorii et Rob. Stephani posse dici verius. Atque eadem est Labeonis sententia in lege 1, de vi et vi armata, quam superius etiam citavimus : «Idem Labeo ait, eum qui metu turbæ perterritus fugerit, videri dejectum». Eadem ibidem

Ulpiani sententia est; sed Pomponius ait, «Vim sine corporali vi locum non habere». Controversum ergo hoc jus fuit apud illos recentiores jurisconsultos. PASSER.

Sequutus sum cum Fabro, P. Victorii, qui castissime versatus est in Tullio recensendo, editionem, rescissis pannis, qui adsuti sunt a mangonibus. Quæ attulit Hottomannus ex MSS, reperiuntur etiam in Erfurt. P. Francii V. C. in Pall. et edd. primis. Unde vides quam interpolatus sit hic locus. Sane vox *libidinis* ter in Erfurt. paucis verbis interpositis repetitur, ut hic, dein «qui prohibitus sit libidinis»: tum: «plurimum valere libidinis»: ut appareat hanc vocem irrepsisse ex margine. GRÆV.

Repetitur item sic in binis Ven. antiquis. Corrupte omnino ante Naugerium omnes, qui tamen dedit *statueretis*, non *statueritis*. Hunc fatetur quidem Camerarius edidisse commodius, sed vereri se ait, ne locus ab eo fuerit persona quadam infectus. Quod Naugerii obtrectatores arripient cupidissime: qui si meliora proferent, atque certiora, gratam omnibus rem facient, qui Naugerianis interea contenti sunt. Camerar. edidit *statuetis*. GARAT.

Non in animo. Libri antiqui ut et editi plerique: «non in animo libidinis»; forte: «non in animo ac formidine». Superius: «vim afferri et corpori et animo». Cædes ad corpus, metus ad animum refertur. PASS.

Nisi cruor appareat, vim non esse factam. Quod contra jure civili constitutum est, ut si quis aliquem dejecerit ex agro suo, hominibus etiam sine armis congregatis, vis privatæ postulari possit, l. si quis, D. de vi privata, et l. pen. Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis enim est et tunc, quoties quis id quod sibi deberi putat, non per judicem reposcit. Sed hac defensione utebatur Æbutius, in retinenda possessione vim factam non intelligi, si, qui prohibitus est, non possidebat. Quod si aliter vim factam esse contenderet, quæ aut injuriarum actione, aut publica quæstione de vi publica aut privata vindicanda esset,

tum vim factam non putari, nisi res ad manus et ad pugnam venisset. HOTT.

Injuriarum delictum esse. Ne hic quidem locus est integer. ID. — *Sed injuriarum delictum esse, qui prohibitus sit, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, dejici neminem posse.* Insigne item hic est tam prope mendum alterum: ne te morer cujusquam sententia refellenda: in libris impressis Victorii et Roberti Stephani, omnia pæne integra remanserunt, in quibus pro «injuriarum delictum esse», erat «in jure parum delictum esse». In locum *I* literæ successerat *L*, quam similis, alibi dictum est: deinde ex *E* factum est *I*, mutatione item admodum levi. Sic ergo scripserat Cicero: «In jure parum dejectum esse, qui prohibitus sit». Quibus opponit illud, «Dejici neminem posse». Et repetit, quod proxime dixerat: «Vi hominibus armatis dejectum esse eum». Et inferius: «Non posse probari quemquam esse dejectum»: qui rem breviter explicare velit, dicat ἀνακεφαλαίωσιν esse brevem superioris defensionis; cujus extrema disputatio erat de jure, id est, de verbis interdicti. Piso igitur scripto et verbo se defendebat, quum diceret, «sic in jure», nempe «unde tu dejecisti»: ad quam illius defensionem Cicero hæc referebat, quum recuperatoribus diceret: «Tum statuetis vim in cæde solum, non etiam in animo, nisi cruor appareat, vim non esse factam: in jure parum dejectum esse, qui prohibitus sit, etc.» Dixit autem et hic, et superius in jure potius, quam in interdicto, ut Javolenus jurisconsultus in lege 198, de regulis juris dicit: «Neque in interdicto, neque in ceteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris»; ut invidiam conflaret adversario, qui jus in verbo ponebat, et gravius calumniam illam defensionis, «sic in jure», acriusque refelleret: quamquam etiam sine invidia recte id dici supra multis in locis vidimus: ut in lib. III de Nat. Deor. «In jure civili qui est de matre libera, liber est». Nam «dejectum esse», et hic, et tot aliis locis esse idem ac dejectum videri, ut jurisconsulti

Ulpiani sententia est; sed Pomponius ait, «Vim sine corporali vi locum non habere». Controversum ergo hoc jus fuit apud illos recentiores jurisconsultos. Passer.

Sequutus sum cum Fabro, P. Victorii, qui castissime versatus est in Tullio recensendo, editionem, rescissis pannis, qui adsuti sunt a mangonibus. Quæ attulit Hottomannus ex MSS, reperiuntur etiam in Erfurt. P. Francii V. C. in Pall. et edd. primis. Unde vides quam interpolatus sit hic locus. Sane vox *libidinis* ter in Erfurt. paucis verbis interpositis repetitur, ut hic, dein «qui prohibitus sit libidinis»: tum: «plurimum valere libidinis»: ut appareat hanc vocem irrepsisse ex margine. Græv.

Repetitur item sic in binis Ven. antiquis. Corrupte omnino ante Naugerium omnes, qui tamen dedit *statueretis*, non *statueritis*. Hunc fatetur quidem Camerarius edidisse commodius, sed vereri se ait, ne locus ab eo fuerit persona quadam infectus. Quod Naugerii obtrectatores arripient cupidissime: qui si meliora proferent, atque certiora, gratam omnibus rem facient, qui Naugerianis interea contenti sunt. Camerar. edidit *statuetis*. Garat.

Non in animo. Libri antiqui ut et editi plerique: «non in animo libidinis»; forte: «non in animo ac formidine». Superius: «vim afferri et corpori et animo». Cædes ad corpus, metus ad animum refertur. Pass.

Nisi cruor appareat, vim non esse factam. Quod contra jure civili constitutum est, ut si quis aliquem dejecerit ex agro suo, hominibus etiam sine armis congregatis, vis privatæ postulari possit, l. si quis, D. de vi privata, et l. pen. Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis enim est et tunc, quoties quis id quod sibi deberi putat, non per judicem reposcit. Sed hac defensione utebatur Æbutius, in retinenda possessione vim factam non intelligi, si, qui prohibitus est, non possidebat. Quod si aliter vim factam esse contenderet, quæ aut injuriarum actione, aut publica quæstione de vi publica aut privata vindicanda esset,

tum vim factam non putari, nisi res ad manus et ad pugnam venisset. Hott.

Injuriarum delictum esse. Ne hic quidem locus est integer. Id. — *Sed injuriarum delictum esse, qui prohibitus sit, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, dejici neminem posse.* Insigne item hic est tam prope mendum alterum: ne te morer cujusquam sententia refellenda: in libris impressis Victorii et Roberti Stephani, omnia pæne integra remanserunt, in quibus pro «injuriarum delictum esse», erat «in jure parum delictum esse». In locum *I* literæ successerat *L*, quam similis, alibi dictum est: deinde ex *E* factum est *I*, mutatione item admodum levi. Sic ergo scripserat Cicero: «In jure parum dejectum esse, qui prohibitus sit». Quibus opponit illud, «Dejici neminem posse». Et repetit, quod proxime dixerat: «Vi hominibus armatis dejectum esse eum». Et inferius: «Non posse probari quemquam esse dejectum»: qui rem breviter explicare velit, dicat ἀνακεφαλαίωσιν esse brevem superioris defensionis; cujus extrema disputatio erat de jure, id est, de verbis interdicti. Piso igitur scripto et verbo se defendebat, quum diceret, «sic in jure», nempe «unde tu dejecisti»: ad quam illius defensionem Cicero hæc referebat, quum recuperatoribus diceret: «Tum statuetis vim in cæde solum, non etiam in animo, nisi cruor appareat, vim non esse factam: in jure parum dejectum esse, qui prohibitus sit, etc.» Dixit autem et hic, et superius in jure potius, quam in interdicto, ut Javolenus jurisconsultus in lege 198, de regulis juris dicit: «Neque in interdicto, neque in ceteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris»; ut invidiam conflaret adversario, qui jus in verbo ponebat, et gravius calumniam illam defensionis, «sic in jure», acriusque refelleret: quamquam etiam sine invidia recte id dici supra multis in locis vidimus: ut in lib. III de Nat. Deor. «In jure civili qui est de matre libera, liber est». Nam «dejectum esse», et hic, et tot aliis locis esse idem ac dejectum videri, ut jurisconsulti

loquuntur sæpius in lege 1, de vi et vi armata, quam proxime citavimus: et Donatus interpretatur apud Terentium, ut nemini jam obscurum sit. Adverbium autem *parum*, quod hic addidit, merito censeat quis ad illam formulam, «parum cavisse videtur», quam exponit Festus, eum respexisse. P. Faber.

Quia multæ editiones «injuriam delictum esse», Lambinus legit, «sed injuriam tantum, qui prohibitus sit». Erfurt. «injuris delictum esse». Græv.

Cum hoc MS mendose alter Francii, et edit. 1472, de quibus in V. L. et utraque vetus Veneta. Lallemandus ingeniose reposuit «in jure parum delectum esse», Naugerium et Fabri notam sequutus, idque firmans Grævianis exemplis ad illud superius, «ingressum modo delegeris», quod ipse tamen non receperat. Garat.

EXCURSUS XVIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 27.

Vestræ defensionis esse dicitis. Nostræ defensionis Aldus et omnes libri veteres; quod qui corrigendum putavit, hallucinatus est. Significat enim Cicero suam causam C. Aquillio probatam esse; idcirco dicit: «Magnam a nobis initis gratiam, quum causam nostram tanto viro probari dicitis». Hottom.

Quum eum auctorem vestræ defensionis. Hanc nunc veram hujus loci scripturam esse arbitror, quamvis olim aliter senserim, et Hottomanni sententiam probarim. Dicebant enim adversarii, se, auctoritate C. Aquillii fretos, ita, ut defendebant, Æbutii causam defendere, eumque suæ defensionis

auctorem laudabant : et tamen iidem, propterea quod aliquid, quod Cæcinæ prodesset, responderat, negabant ei nimium credi oportere. Ideo autem suæ defensionis auctorem C. Aquillium nominabant, quod responderat, quibus quidque verbis actum, pronuntiatumque sit, spectari oportere : hoc est, verba spectanda esse, non res. Lamb.

Quum eum auctorem vestræ defensionis esse dicitis. Nihil hic mutandum fuit; sic infra dicet : « Quid ait iste vester auctor? » dicas, cur igitur tantam ineunt illi gratiam a Cicerone? quia jam dixerant *ejus*, id est, Aquillii « auctoritati concedi nimium non oportere ». Neque in his verbis, « Illud autem miror, cur vos aliquid contra me sentire dicatis, quum eum auctorem vos pro me appelletis, vestrum nominetis », ubi multa verba Lambinus addit, quidquam muto; nisi forte notam distinctionis : sic enim distinguo : « Cur vos aliquid contra me sentire dicatis; quum eum auctorem vos pro me appelletis, vestrum nominetis », ut sit ἀσύνδετον pro « et quum eum, etc. » ubi « auctorem vos appelletis pro me », valet auctorem faciatis ejus sententiæ, quæ meam causam adjuvat. Gravis hæc, ut vides, altera repugnantia notatur in illorum defensione; ut sic omnia conveniant, apparet e superioribus, et e paullo post sequentibus. P. Fab.

In Erfurt. tamen et Franc. est *nostræ*, ut et paullo inferius « nostrum auctorem ». Sed Victor. ed. præ se fert *vestræ* et *vestrum*. Græv.

Cum his MS plane faciunt Venetæ antiquæ, et cod. Jannoct. Sequitur illas summa fide Gruterus, Verb. Lall. Sed Olivetus prætulit « vestræ.... nostrum », nullo exemplo. Totus locus usque ad illa, « qui quum ista, etc. » valde dubius, qui varie trahitur : sed recte verba constitui ad sensum sine libris melioribus posse non puto. Tentavit aliquid ex MS Lallemandus : verum ego libentius ipsa ejus codicis verba perlegissem. Gar.

Contra me sentire. C. Aquillium. Hott.— « Illud autem miror cur vos, quem aliquid contra me sentire prædicetis, eum pro

me sentire dicatis; cur quem auctorem meum appelletis, ve strum nominetis ». Sententia hujus loci sic restituti facilis e plana est; ostendit enim M. Tullius, adversarios pugnanti loqui, quum dicunt, C. Aquillium contra Cæcinam, et pr Cæcina sentire : quum C. Aquillium et suum, et Cæcinæ au ctorem appellant. Fuerant autem prætermissa verba aliquot scriptore librario : quæ nos restituimus, vestigia scriptur veteris persequuti, et sensum Ciceronis, ratione duce, con sequuti. LAMBIN.

Cæcina causam suam tuebatur auctoritate Aquillii. Hu adversarii opponebant alium JCtum, de quo hic orator. Se locus in multis vexatus ab iis, qui sequentia de Aquillio dic existimabant. Libenter legeremus : « Illud autem miror, cu aliquem contra me sentire dicatis, quum eum auctore (scilicet Aquillium) vos pro me appelletis, nostrum nom netis. Verumtamen quid ait iste vester auctor? Quibus qui que verbis actum, pronuntiatumque sit, spectari conveni Ego ex isto genere consultorum pro me nominem, ut op nor, istum ipsum, quo vos auctore, etc. » Hanc lectione in pluribus firmat codex e nostris optimus. LALLEM.

Vestrum nominetis. « Nostrum nominetis », Aldus et omn tum scripti, tum impressi veteres. Et sic sine controvers corrigendum. HOTT.

Quid ait iste vester auctor. « Noster auctor », iidem om nes, uno Aldino excepto : quam scripturam, ut germana et incorruptam retineo. ID. — *Vester* est in Erfurt. et Fran GRÆV. — Item ed. 1483, Naug. etc. Sed *noster* ed. 148 Grut. et recentiores. GARAT.

Omnibus, *quidquid verbis actum pronuntiatumque si convenit*. Deest quiddam; ut tamen sensum conjicere po simus; hoc enim dixisse videtur : Placet, inquis, hoc om nibus (et subaudi *consultis*) : quibus quidque verbis actu pronuntiatumque sit, spectari convenit. Nisi forte *quib* pro *omnibus* sit reponendum. Et hoc est, quod dicit infra « Id verum, id æquum, id utile omnibus esse, spectari qu

consilio, et qua sententia, non quibus quidque verbis esset actum ». Huic autem illius objectioni sic respondet : « Ego in istum numerum consultorum, qui scilicet hoc responderunt, non adscribam, opinor, illum, qui tam dissimili ratione usus est » : et mox Aquillii responsum subjicit; qui rem et sententiam interdicti cum Cæcina facere dicebat. Conjecturam adjuvat locus infra : « Quia non quibus quidque verbis dicatur, quæritur; sed quæ res agatur ». Hott.

Quibus quidquid verbis, etc. Verba sunt Aquillii : *quidquid* autem positum, pro, *quidque* : quod usitatum est bonis scriptoribus, ut sæpe admonuimus. Etiam hic locus magna ex parte conjectura restitutus est, non tamen sine veterum codicum adjumento : in quorum uno bis scriptum reperi vocem, *nominem*. Ex isto genere autem consultorum, nempe eorum, qui dicunt spectari oportere, « quibus quidque verbis actum sit », non, quæ res agatur, id est, quæ voluntas fuerit contrahentium; multum est hoc in Pandectis juris civilis, « videndum, quid actum sit », seu, « quid egerint contrahentes », id est, videndum, quæ fuerit eorum mens, quæ voluntas. Lamb.

Omnibus quidquid verbis actum pronuntiatumque sit, convenit. Jurisconsultorum formula est vetus; credo ex illo capite legis : « Uti lingua nuncupassit, ita jus esto ». *Ita jus esto* prætermisit, quod essent omnibus nota : quam ob causam etiam in lib. I de Oratore, quum hanc eamdem legem recitaret, « Uti lingua nuncupassit », prætermisit, « ita jus esto »; quod Festus addidit in verbo *nuncupata*. In libris quoque de Legibus vide ut principia tantum ponat interdum legum, quas recitat, quamquam hic poterat etiam e sequentibus verbum *sequi*, aut *spectari* commode subaudiri. In libris Badii asteriscus est additus, fortassis ab eo, qui hanc consuetudinem ignoraret. Nam quod Lambino videtur nomen *omnibus* ferri non posse, ipse oblitus hoc dicit horum Gellii verborum ex antiquis actionibus : « Manu conserere est, de qua re disceptatur in re præsenti, sive ager,

sive quid aliud est, cum adversario simul manu prehendere, et in ea re omnibus verbis vindicare ». In his Probi notis : « Ejus hac omnibus lege nihilum rogari », aliter accipiatur : sed ea quoque explicatio conveniat ut e sequenti pagina intelligitur. P. FABER.

Legendum *dictum* potius, quod adjungit *pronuntiatum*; nam actum et pronuntiatum opponitur, ut verbis sententia. Pompon. l. sed Celsus, D. de contrah. empt. « In emptis et venditis potius id quod actum, quam id quod dictum sit sequendum ». Conjunge l. 2, § in hered. de hered. vel action. At Ulpianus l. solemus de Judiciis ex Celso docet, non in judicio spectandum de quo actum sit, ut veniret; sed de quo nominatim actum sit, ne veniret. An vero et *actum* et *pronuntiatum* dixit conjunctim de verbis et sententia ? Sed repugnat, quod Ulpianus ait, « nominatim actum ». Superius: « Non quibus quidque verbis dicatur, sed quæ res agatur, quæritur ». PASS.

EXCURSUS XIX

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 29.

Ex edicto restitutus. Aldus et omnes, puto, alii, *ex decreto;* sed hanc scripturam retineri posse, paullo ante docuimus. HOTT. — Erfurt. *ex decreto.* GRÆV. — Magni viri constantiam requiro. Nam quæ jusserant supra edere *decreto*, eædem prorsus hic quoque jubent auctoritates. Quibus Faber levibus sane de causis contradixit. Quid enim hoc est, edictum pro interdicto, totum pro parte, in tam subtili, et accurata, et juridica Tullii disceptatione ? Edicto interdicta promitti, quis ignorat ? Edictum, in quo est, « interdictum dabo », quis interdictum appellet ? Quis contra interdictum

ex edicto datum pro ipso habeat edicto? Certe vir Fabro major Cujacius; quo Obs. V, 17, et Jano a Costa ad IV Inst. 15, perlectis, ista confundi non posse constabit. Præclare vero Faber, qui Cujacio illam ipsam legem objicit, in qua vir summus adeo *edictum* legi debere perspexerat, ut in § 1, *edictum* pro *interd.* reponendum censuerit. Tum illa, c. 16, « ni adversus edictum pr. vis facta esset » non vidit Faber alio spectare : vis enim fit adversus edictum quoque : restitutio, nonnisi ex interdicto fieri potest. Denique lex 1, C. *de interd.* ab Hott. allata id tantum sibi vult, formulas interdictorum in albo cum edicto fuisse. Fuerint etiam in edicto, continenti scriptura : tamen, nisi prætor postulanti usum earum legitimum dederit, frustra ex edicto restitutiones peterentur. Hinc nominatim in causa Cæcinæ « P. Dolabella pr. interdixit, etc. » cap. 8, et mox h. c. Julianus eas formulas edicto perpetuo inseruisse, Ulpianusque ad illud edictum scribens illustrasse videtur. Verum in Pandectis ita permixta sunt omnia, ut formulas facies antiqua reliquerit. In hoc ipso interdicto Tullium compara cum l. 1, D. *de vi*, etc. Formula restitutoria secundam personam requirit : ita Cicero, et l. 1, § 10, D. ne quid in flum. etc. aliaque interdicta, ut in l. 1, D. de tab. exh. Ita nostra lex incipit, « unde tu » : pergit, « ad eum, qui vi dejecerit », desinitque in edicti verbis, « judicium dabo ». Tum illa certe in interdicto erant, « aut procurator tuus », ex Cic. c. 19, et, « eo restituas », ex cap. 30, et alia ex cap. 21, quæ in lege non sunt. Nimirum patet, interdicti formulam cum verbis edicti coaluisse. Hæc et sejuncta fuisse constat : et Cicero, quum edictum dicit, numquam interdictum intelligit, quod semper suo appellat nomine; et centies appellat. GARATON.

sive quid aliud est, cum adversario simul manu prehendere, et in ea re omnibus verbis vindicare ». In his Probi notis : « Ejus hac omnibus lege nihilum rogari », aliter accipiatur : sed ea quoque explicatio conveniat ut e sequenti pagina intelligitur. P. Faber.

Legendum *dictum* potius, quod adjungit *pronuntiatum;* nam actum et pronuntiatum opponitur, ut verbis sententia. Pompon. l. sed Celsus, D. de contrah. empt. «In emptis et venditis potius id quod actum, quam id quod dictum sit sequendum ». Conjunge l. 2, § in hered. de hered. vel action. At Ulpianus l. solemus de Judiciis ex Celso docet, non in judicio spectandum de quo actum sit, ut veniret; sed de quo nominatim actum sit, ne veniret. An vero et *actum* et *pronuntiatum* dixit conjunctim de verbis et sententia? Sed repugnat, quod Ulpianus ait, « nominatim actum ». Superius : « Non quibus quidque verbis dicatur, sed quæ res agatur, quæritur ». Pass.

EXCURSUS XIX

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 29.

Ex edicto restitutus. Aldus et omnes, puto, alii, *ex decreto;* sed hanc scripturam retineri posse, paullo ante docuimus. Hott. — Erfurt. *ex decreto.* Græv. — Magni viri constantiam requiro. Nam quæ jusserant supra edere *decreto*, eædem prorsus hic quoque jubent auctoritates. Quibus Faber levibus sane de causis contradixit. Quid enim hoc est, edictum pro interdicto, totum pro parte, in tam subtili, et accurata, et juridica Tullii disceptatione? Edicto interdicta promitti, quis ignorat? Edictum, in quo est, « interdictum dabo », quis interdictum appellet? Quis contra interdictum

ex edicto datum pro ipso habeat edicto? Certe vir Fabro major Cujacius; quo Obs. V, 17, et Jano a Costa ad IV Inst. 15, perlectis, ista confundi non posse constabit. Præclare vero Faber, qui Cujacio illam ipsam legem objicit, in qua vir summus adeo *edictum* legi debere perspexerat, ut in § 1, *edictum* pro *interd.* reponendum censuerit. Tum illa, c. 16, « ni adversus edictum pr. vis facta esset » non vidit Faber alio spectare : vis enim fit adversus edictum quoque : restitutio, nonnisi ex interdicto fieri potest. Denique lex 1, C. *de interd.* ab Hott. allata id tantum sibi vult, formulas interdictorum in albo cum edicto fuisse. Fuerint etiam in edicto, continenti scriptura : tamen, nisi prætor postulanti usum earum legitimum dederit, frustra ex edicto restitutiones peterentur. Hinc nominatim in causa Cæcinæ « P. Dolabella pr. interdixit, etc. » cap. 8, et mox h. c. Julianus eas formulas edicto perpetuo inseruisse, Ulpianusque ad illud edictum scribens illustrasse videtur. Verum in Pandectis ita permixta sunt omnia, ut formulas facies antiqua reliquerit. In hoc ipso interdicto Tullium compara cum l. I, D. *de vi*, etc. Formula restitutoria secundam personam requirit : ita Cicero, et l. 1, § 10, D. ne quid in flum. etc. aliaque interdicta, ut in l. 1, D. de tab. exh. Ita nostra lex incipit, « unde tu » : pergit, « ad eum, qui vi dejecerit », desinitque in edicti verbis, « judicium dabo ». Tum illa certe in interdicto erant, « aut procurator tuus », ex Cic. c. 19, et, « eo restituas », ex cap. 30, et alia ex cap. 21, quæ in lege non sunt. Nimirum patet, interdicti formulam cum verbis edicti coaluisse. Hæc et sejuncta fuisse constat : et Cicero, quum edictum dicit, numquam interdictum intelligit, quod semper suo appellat nomine; et centies appellat. GARATON.

EXCURSUS XX

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 30.

Unde dejectus est Cæcina? ex Urbe; unde dejecisti? ab Urbe. Complures tum impressi, tum manuscripti : « Unde dejectus est Cinna? ex Urbe; unde dejectus Carbo? ab Urbe ». Quod mihi majorem in modum arridet : nam illud quid valeat, aut quorsum pertineat, difficillime intelligitur. Quum autem exempla hæc afferri intelligamus, quibus id quod proxime dixit, confirmet, verisimile est ex historia sumpta esse potius, quam inepte et absurde conficta : ut illa de Gallis et Graccho, quæ proxime sequuntur. De Cinna autem nota est historia; quum consul esset, et legem, quam Marius de novis civibus promulgarat, per vim ferret, ab Octavio collega cum Sextio tribuno pl. pulsum esse, in ejusque locum L. Merulam creatum; pulsus est postea similiter una cum Mario, quum ope Appii Claudii tribuni pl. cui Janiculi custodia mandata erat, in Urbem ingressus, Janiculum occupasset. Sed de Carbone exemplum est obscurius; nam hoc eodem tempore simul cum aliis omnibus « ex Urbe dejectus est », hoc est, cum Cinna, Mario et Sertorio, quum, ut dixi, Janiculum occupassent; *ab Urbe* vero *dejectum* non memini. HOTTOM.

Unde dejectus est Cinna. Sic edendum curavi, nonnullos libros MSS et vulgatos emendatiores sequutus : quam lectionem historia comprobat. Constat enim Cinnam consulem a collega Octavio ex Urbe ejectum esse : vulgata autem : « Unde dejectus est Cæcina », ferri non potest : quod vidit et Hottomannus. LAMBIN.

Unde dejectus est Cinna. Sic esse testantur in pluribus libris et impressis, et scriptis. Nullum exemplum potuit afferri

commodius. Historia ignota non est. *Cæcina* autem, quod est in quibusdam libris, video in his exemplis locum habere non posse. P. Faber. — *Cinna* est etiam in Erfurt. Græv.

Unde dejecti Pœni? ab Urbe. Sic hunc locum emendavi. Neque vero dubium est, quin ita sit legendum : nam quod alii legunt : « Unde dejectus Carbo? ab Urbe » : errant; et quod est gravius, id faciunt contra fidem historiæ : nunc autem ex lib. XXVI Annalium T. Livii notum est, Annibalem post multas victorias, ad tertium ab Urbe lapidem supra Anienem castra posuisse : ipsum cum duobus equitum CIↃ usque ad portam Capenam obequitasse, ut urbis situm exploraret : inde postea a M. Marcello victum recessisse : deinde a M. Livio, et Claudio Nerone, Asdrubale intercluso, et superato, omnem spem Italiæ obtinendæ abjecisse : postremo ab ipsis Carthaginensibus, Scipione secundis præliis et victoriis eos urgente, et ad desperationem agente, ex Italia revocatum esse : annoque decimo sexto, postquam venerat, ex Italia discedentem in Africam trajecisse. Jam vero, quod vulgo legitur hic : « Unde dejecisti? » ferri nullo modo potest. Lambin.

Unde dejectus Carbo. « Unde dejecti Samnites », Pantagathus. F. Ursin.

Unde dejectus Carbo? ab Urbe. In libris impressis a Rob. Stephano, et postea a Carolo illius fratre pro his verbis est, « unde dejecisti ab Urbe? » corrupte : nemo neget, sed tamen quam longe ab illis, « unde dejectus Carbo? » Certe vix posse videtur historia de Carbone hic convenire. Lambinus conjicit legendum, « unde dejecti Pœni? ab Urbe ». Longe recedit a scriptura. Neque tamen Annibal aut repulsus, aut fugatus e locis tam propinquis urbis, atque Tarquinius Superbus. Video apud Livium, « Tarquinio clausæ portæ », quo tempore rex romanus, quomodo Cicero hic dejectum ab Urbe vult intelligi, certe ab urbe dejectus est; nisi quis ma-

lit intelligere de eo tempore, quum Porsenæ regis copiis urbem obsedit. Maro sic extulit, Æneid. VIII, 646 :

> Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
> Accipere, ingentique urbem obsidione premebat.

Nec sane probabile sit, in tam multis exemplis, exemplum tam aptum simul et nobile hic fuisse prætermissum, neque e notis *Tar.* aut *Tarq.* facere *Carbo*, librario difficile fuit. P. Faber.

Carbo sane, quod præ se fert P. Manutius, et alii recentiores editores, ferri non potest. Nam Carbonem non constat ab urbe Roma dejectum esse, sed Arimino tantum exercitu Pompeii, ut tradit Appian. lib. I Bell. Civil. Malui retinere quod in Erfurt. aliisque MSS exstat cum Victorio, et Car. Stephano, et Grutero, quam dubias et ancipites conjecturas cum Manutio et Lambino recipere. Græv.

Unde dejecti Galli? a Capitolio. Nota est historia : *Galli* Urbe capta et incensa, quum arcem unam Capitolii reliqui ex Romanis tenerent, nocte sublustri alii aliis innixi, sublevantesque invicem, in summum evasere. Clangore anserum M. Manlius excitatus primum Gallum, qui jam in summo constiterat, deturbat, cujus casus prolapsi quum proximos sterneret, tota prolapsa acies in præceps delata est. Hæc Livius, Plutarchus, et alii. Hott.



EXCURSUS XXI

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 30.

Qui postulat, ut a quo loco dejectus est, hoc est, unde dejectus est, restituatur. Mutilatum esse locum et ex verbis intelligitur, et ex litura librorum veterum perspicitur : in quibus hoc amplius legitur, « Hoc postulat, ut unde dejectus est, eo restituatur ». Ex quibus verbis restitui locus minimo negotio poterit, si sic legamus : « Qui postulat, ut a quo loco dejectus est, eo restituatur : hoc postulat, ut unde dejectus est, eo restituatur ». Nam hæc eo pertinent, ut quemadmodum hoc verbo *unde* duo illa *a quo* intelligi docuit, et in eam rem exemplum de dejecto a tempestate protulit; sic vicissim duo hæc *a quo*, hoc uno et singulari *unde* contineri demonstret : in quam rem etiam proxime exemplum de Pisone a suis ædibus dejecto proferet. Hot.

Qui postulat, ut, unde dejectus est, eo restituatur, hoc etiam postulat, ut, a quo loco, etc. Alii aliter, ego sic hunc locum legendum esse contendo : cujus lectionis sententia nisi esset apertissima, nisique seipsa tueretur, et probaret, ego ejus rationem pluribus verbis explicarem, atque exponerem. Lamb.

Sic quoniam vim verborum necessario similitudine rerum aucupamur, qui postulat, ut a quo loco dejectus est, hoc est, unde dejectus est, restituatur. Locus est aperte corruptus ille quidem, si tamen sit conjecturæ locus, ego conjiciam particulam *ut* esse addititiam, et vel repetitam a librario ex extrema syllaba verbi *postulat* ob similitudinem, vel additam, ut redderetur particulæ *sic*, quæ tamen non ad illam esset, sed ad antecedentia referenda : sic igitur lego, et distinguo : « Sic (quoniam vim verborum necessario similitu-

dine rerum aucupamur) qui postulat, a quo loco dejectus est, hoc est, unde dejectus est, eo restituatur». Hic «qui postulat» valebit, «qui igitur postulat», ut diximus scilicet, ut sit inductio : eo restituatur autem eadem formula dicitur, qua in Topicis, «valeat æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat». P. Faber.

Qui postulat, etc. Repræsentamus quod erat in editionibus antiquis : cui accedunt Pall. nam Hottomanni Lambinique supplementa non curo. Grut. — In hoc loco pessime habito restituendo sequutus sum codicem Erfurtensem, in quo sic legitur : «Qui postulat, ut a quo loco dejectus est, hoc est, unde dejectus est, eo restituatur : hoc postulat, ut in eum ipsum locum restituatur». Unde scilicet dejectus est. Unam tantum literam ex aliis codd. et edd. adjecimus. Nam pro «unde dejectus» in illo vitiose scribitur, «unde ejectus».Græv.

EXCURSUS XXII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 31.

Ut vero jam, recuperatores, etc. Hæc sunt, quæ appellantur μυστήρια Rhetorum; quæ melius fuisset sempiterna oblivione deleri, quam cum summo omnium incommodo a tam multis artis magistris enuntiari. Firmissimam et primam Æbutii defensionem in postremum locum, quasi jam enervata et afflicta ejus causa, conjicit : eamque leviter et negligenter, quasi ad rem minus pertinentem percurrit, quum in illa una totius causæ firmamentum statusque versetur. Qua de re lubet hujus ipsius verba ex oratione pro Cluentio subscribere, ex quibus ipsius in agendo fides atque integritas intelligatur: «Errat, inquit, vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras

consignatas se habere arbitratur; omnes enim illæ orationes causarum et temporum sunt : non hominum ipsorum, ac patronorum : nam si causæ ipsæ pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem; nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quæ nostra auctoritate constituantur, sed quæ ex re ipsa causaque ducuntur». Hott.

Vidit omnino Cicero, quantopere ad æquitatem defensionis suæ pertineret, Cæcinam possedisse. Itaque in narratione cap. 6, 7, et infra sic agit hanc rem, ut eam testibus probaturus facile videatur. Sed quoniam causa non apud Ulpianeos, aut omnino liberos judices agebatur, verum apud recuperatores interdicti formulæ maxime adstrictos, subsidiariam possessionis rationem tam ipse habere debuit, quam etiam Piso. Nam « prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum ut unde (Cæcinam) dejecisset (Æbutius), restitueret ». Sic cap. 8, quibus adde quæ hic, et c. 32, disputantur, illaque c. 11 : « Utrum, recuperatores, etc. » Hinc in Orat. 29, totam dicit hanc causam « de verbis interdicti » fuisse : hinc « obrutis rebus omnibus », h. e. sponsione in verba interdicti facta victum Æbutium ad possessionem confugere : hinc c. 32, « extra causam » dicit se Cæcinam de possessione defendere, « ut non minus hominem ipsum, quam jus commune defensum velitis ». Quod enim Cæcina possederit, erat hominis peculiare jus, ut eo magis restitueretur, quum esset tamen, etiamsi non possederit, restituendus. Statu causæ ita posito, jam omnis Hottomanni, quam passim obgerit, pro Æbutio defensio collabitur. Neque aliter sese potuit res habere. Si etenim quæstionis caput recuperatores in possessione constituissent, cur ampliaverant? Cur, ut eam dubitationem eximeret, Tullius non laboravit? Artificio ne aliquo? At hoc erat causam deserere. In eo enim, quod maxime urget adversarius, de quo a judice dubitatur, explanando, non in prætereundo, et negligendo ars defensoris versetur, oportet. Quum itaque Tullius in verbo *dejicere* totus sit, eoque

niti dicat Æbutium, de eo consultus Aquillius, aliique fuerint, de hoc potissimum dubitari constat. Confer quæ dixi ad cap. 11. Gar.

EXCURSUS XXIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 31.

Nisi qui in eo loco esset, nunc jam posse concedis, eum, qui non possideat, negas dejici posse. Sic Aldi liber. Alii, opinor, omnes: « Nisi qui in eo loco fuerit, nunc qui possideat, eum, etiam si non fuerit in eo loco, dejici posse concedis ». Quam lectionem haud scio qua de causa librarius cum hac corrupta et contaminata commutaverit. Sensus est enim illius apertissimus: antea semper negavit Æbutius dejectum Cæcinam ex fundo Fulciniano, quod in eo non fuisset; nunc hoc dicit: dejectum tantum qui possidet; cui Cicero sic refert: Possessio duplex est, aut animi scilicet aut corporis; absens enim corpore, animo tamen retinere possessionem potest. Finge nunc ejus, qui animo tantum possidebat, familiam dejectam esse: si nemo potest dejici, nisi qui in loco est, dejectus non dicetur; itaque sentire antea videbatur Æbutius: sin dejicitur quicumque possidet, ut modo defendit, dejectum quoque hunc dici necesse est: quare pugnantia loquitur Æbutius. Sed huic calumniæ facillime respondetur; nam quæ antea dixit Æbutius, de eo qui non possidet, intelligenda sunt: ut copiose supra multis in locis ostendimus, si quis enim quamvis non possideret, quum tamen in loco esset, ex eo vi armatis hominibus dejectus est, decreto prætoris restituendus est. Hott.

Quod negabas quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco fuerit. Nunc qui possideat, eum etiam si non fuerit in eo

loco, *dejici concedis*. *Cur*, etc. In libris Aldinis, Victorianis, impressis deinde a Rob. Stephano, item a Carolo fratre illius, est, « qui in eo loco esset. Nunc jam posse concedis : eum, qui possideat, negas dejici posse ». Cur horum librorum aliorumve auctoritatem repudiarint Hottomannus et Lambinus, non video : quod videatur obscurius dictum propter ἔλλειψιν « qui in eo loco esset », in eo facile subaudimus toties repetita verba, « unde dejiceretur ». Deinde, « nunc jam », cur quemquam offendere debeat, quod quinquies usurparit in una Adelphorum scena Terentius? quod Donatus quum explicat, ait jam, « incusationem esse tarditatis » : ut hac particula nihil his potuerit esse commodius. Cetera, opinor, sunt hic planissima omnia. P. Faber.

Hic locus in Erfurt. Franc. editione prima, et Mediolan. sic legitur, « te jam dejici posse, nisi indubium (ed. prim. *nisi dubium*) esse etiam posse concedis. Eum qui non possideat, negas dejici posse ». Suspicor Ciceronem scripsisse : « Quod negabas quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco fuerit, id indubium esse; nunc etiam posse concedis. Eum qui non possideat, negas dejici posse ». Græv.

EXCURSUS XXIV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 32.

Cæsenniam possedisse propter usumfructum, etc. Quis in jure civili rom. mediocriter versatus, non videt, hunc locum esse mendosum, neque dubium esse, quin, mortuo usufructuario, qui rem, cujus habebat usumfructum, vivus locaverat, heres fructuarii nihil juris in ea re habeat, quum ad dominum, seu (ut appellant) proprietarium, reverterit? Nam quod quidam dicunt, causæ servisse Ciceronem : quid minus credibile, quam ita causæ servisse, ut impudentis-

sime mentiretur? Hunc igitur locum mendosum esse contendo, atque ita legendum : « Cæsenniam possedisse per colonum non negas » : cui conjecturæ argumento sunt illa, quæ sunt supra non longe a principio in ipsa narratione : « Cæsennia fundum possedit, locavitque », et quæ proxime sequuntur, *qui colonus*, etc. ante, *qui*, debet scribi, comma, hoc pacto : « Cæsenniam possedisse per colonum non negas: qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum ». Unde igitur hæc verba, « propter usumfructum », nata sunt? ex adnotatiuncula hominis semidocti : quæ tandem a scriptore librario in contextum orationis relata sunt, iis rejectis, quæ Ciceronis erant. Lambin.

Possedisse propter usumfructum. Rectissime : naturaliter enim usufructuarius possidet, siquidem corpore fundo incumbat; si per colonum, civiliter; vel potius quasi civiliter; l. 12, l. penul. D. de acquir. poss. Quod quum Lambinus non intelligeret, reponendum putavit, « per colonum ». Hottom.

Cæsenniam possedisse propter usumfructum non negas. Hoc « propter usumfructum », rejicit merito Lambinus. Falsum est enim hac defensione Ciceronem umquam hic usum, qui tam multis supra disseruit, Cæsenniam, post filii mortem, hunc fundum in auctione emisse. In quo etiam clarissimum jurisconsultum mihi deceptum videri, ostendi pluribus. Error hic videtur natus ex alicujus explicatione, qui illam defensionem Ciceronis non satis attenderat. Meminerat autem illorum, quæ Cæcinæ objecerat Æbutius. Sed quod in horum trium verborum locum hæc duo « per colonum » sufficit idem Lambinus, nihil id facere necesse habuit : id e sequentibus intelligitur. Sic igitur lego et distinguo : « Cæsenniam possedisse non negas : quia colonus habuit conductum de Cæsennia fundum, quum idem ex eadem conductione fuerit in fundo. Dubium est, quin si Cæsennia tum possidebat, quum erat colonus in fundo, heres post ejus mortem eodem jure possederit? » Ait Paullus jurisconsultus in lege, quam etiam

supra citare memini : « Quod per colonum, inquit, possideo, heres meus nisi ipse nactus possessionem non poterit possidere ». At mihi non magis necesse est, qui huic velut ἀντινομίᾳ occurram, laborare, quam in tam multis illis, quæ supra exposui, in quibus jurisconsulti non magis a Cicerone, quam ipsi inter se dissentiebant. P. Faber.

Propter usumfructum. At in l. sciendum § eum verum D. Qui satisdare cogantur, Macer scribit, eum qui tantum usumfructum habeat, possessorem non esse ex sententia Ulpiani. Sed causæ servit Cicero. Pass.

Erat ejusmodi quæstio : Possederit ne Cæsennia fundum ex testamento viri, qui reliquerat illi usumfructum omnium bonorum, an emptionis jure, quod ab hasta in auctione fundum, de quo agebatur, emisset. Illud Piso affirmabat, hoc Cicero conatur adstruere c. 7. Si concederet Cicero, « propter usumfructum » Cæsenniam possedisse, nulla esset controversia. At supra quum id negasset, hic etiam negat. Sic autem argumentatur : Qui possidet ratione ususfructus, locatio ab eo colono facta nulla est, postquam ipse decesserit : qui emptionis ratione possidet, ab eo facta locatio valet etiam sub herede, post mortem testatoris. At colonus, qui fundum illum habuit conductum de Cæsennia, vi ejusdem conductionis obtinuit, illa mortua, sub herede Cæcina. Ergo fundum Cæsennia possedit ratione emptionis, non ususfructus : proindeque post illius mortem, Cæcina heres fundum jure possedit. Ferrat. — *Qui colonus habuit conductum*. Palatinus secundus *quoniam :* quod sane hic aptius. Grut.

Qui liber firmat emendationem P. Fabri. Græv.

Lallem. ex suo MS edidit *quia;* adde V. L. Tum « per colonum », ut ex Lamb. dederat etiam Olivet. Probat tamen Fabri emendationem. Quid tandem codices, et edd. deserimus, ut emendantibus obsequamur? Cave, quidquam mutes. Ferratius rem vidit : nisi quod hic non quæritur, an emptionis transmisso jure possederit Cæcina, sed tantum an possederit. Æbutius non negabat possedisse Cæsenniam ;

tantum addebat, « propter usumfructum ». Continuatio possessionis per colonum, et aditionem hereditatis manifesta est. Æbutii etenim partes erant, fundum vindicare, atque ad Cæsenniam solum usumfructum pertinuisse probare : quod ille tum demum facere instituit, quum vi Cæcinam depulit, qui, ut heres interea in veteris locationis jura successerat : et hoc est, quod dicitur, *eodem jure*. Gar.

EXCURSUS XXV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 33.

Si quid jus non esset rogari, ejus ea lege nihilum rogatum. Legum principium hoc erat : « Consul, vel prætor, vel alius magistratus, qui cum populo egerat, populum jure rogavit, populusque scivit ». Extremum illud : « Si quid jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum » : constat ex prima in Antonium, et lege quadam apud Frontinum de aquæ ductibus, et libro Valerii Probi de Notis Antiquis, in quo tamen quædam corrupta sunt : itemque et orat. pro Domo sua his verbis : « Quæ tua fuit consecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret, quid non exceperas ; ut si quod jus non esset rogare, ne esset rogatum? » Etiam in epist. ad Atticum, libro III, Epistola : *Ad* v *kal.* ubi rogationem de se restituendo scriptam commemoravit, his notis utitur, quæ hoc significant, *E. H. L. N. R.* ubi tamen *I.* pro *L.* corrupte legitur. Verum ut ad rem revertamur, quid ita Sullæ non fuit jus id rogare? hoc intelligitur ex eadem oratione : « Quum hoc, inquit, juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis rom. aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit. » Et paullo post : « Jus a majoribus nostris ita comparatum est, ut civis rom. liber-

tatem nemo possit invitus amittere». Et pro Balbo : «Jure nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque, si velit, mutare non potest». Et eadem rursus orat. «O jura præclara, atque divinitus jam inde a principio romani nominis a majoribus nostris comparata; ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus; hæc enim fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque juris et retinendi, et dimittendi esse dominum». Et multa in hanc sententiam. Hott.

Erfurt. *rogarier.* Recte. In legibus enim amant uti antiquis flexionibus, et etiam vocibus obsoletis. Græv.

Quid est, quod rogari jus non sit. Hunc locum sic esse restituendum, vincit ratio : vincunt illa, quæ antecedunt : « si quid jus non esset rogari » : sequitur deinceps, « quod populus jubere, aut vetare non posset ? » ubi repetendum e superiore *quid*, hoc modo : « quid quod populus jub. aut vet. non possit ? » aut, si malis, exprimendum, et reponendum, idque mihi ita videtur. Lamb.

Quid est quod jus non sit. Nihil addo, repeto ex lege verbum *rogari* et distinguo sic : « Quid est, quod jus non sit ? quod populus jubere, aut vetare non possit ? » nihil planius. P. Faber.

EXCURSUS XXVI

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 33.

Perspicis hoc nihil esse, ut in ceteris, quæ rogavi. Scripti libri pro « Ut in ceteris », « et ea terris, quæ inter ». Melior aliquis quærendus : et tantisper asterisci nota in margine relinquenda. Hott.

Ut in ceteris, quæ rogavit. Rogavit, nempe Sulla : nihil

video in hoc loco esse difficultatis, aut mendi : nisi forte in voce *ceteris*, pro qua libri manuscr. habent, *et ea teris* : ego tamen interea *ceteris* retineo et probo. Verba autem illa superiora, « Perspicis hoc nihil esse », hoc significant, Perspicis ratum non futurum, neque quidquam valiturum, si populus jusserit, aut, me tuum servum esse, aut te meum. LAMB.

Perspicis hoc nihil esse, ut in ceteris, quæ rogavit? Primum. Valde mendose legitur in libris Victorianis aliisque impressis : etiam, ut testatur, in scriptis. Hi minus meo judicio depravati, in quibus tantum pro *ut* lego *at*, sic : « Perspicis hoc nihil esse? At in ceteris, quæ rogavit? Primum, etc. » Proxime quasi objecerat : « At enim Sulla legem tulit? » qua scilicet municipiis civitatem ademit, ut est in orat. pro Domo. Hic simili arte occupatione utitur altera : « At in ceteris, quæ rogavit »; quibus scilicet libertas non adimitur, « quid rogatum non est? » id est, ut recte est interpretatum in Glossis, κυρωθὲν, ut Cicero interpretatur hic « jussum, ratum, firmum », quum *rogavit* alibi sit in eisdem glossis εἰσένεγκεν : item rectissime responsio incipit a verbo *primum*, ubi docetur multis, ut ratæ fuerint aliæ Sullæ leges omnes, hanc tamen, qua civitatem municipiis ademit, ratam esse non posse. P. FABER.

Ut in ceteris quæ rogavit. P. Victor. habet, « et fateris, sed qui primum, etc. » Propius ad MSS et veteres edd. « et ea teris quæ inter primum ». GRUT.

In Erfurt. Franc. ed. prim. legitur, ut Gruterus et Hottomann. in suis repererunt. Quum id primo deprehendissem in Erfurtensi, non inspecto Grutero, statim conjiciebam legendum esse, ut edidit Victorius, *et fateris*. Nam in veteribus libris, qui majusculis literis scripti sunt, fuit FATERIS : quam facile potuit ab oscitante librario F mutari in E; illa *quæ rogavit*, unde irrepserint in editiones, nondum potui pervestigare. Videtur aliquis, *quum fateris* mutatum esset in *in ceteris*, ne nulla hujus loci esset sententia, adscripsisse,

quæ rogavit. Hæc eo sunt ableganda, quo huc pervenerunt. Petri Fabri commentum acutum est, ut cetera illius viri, sed non expediunt nodum. Restitui itaque veterum librorum lectionem, una literula immutata. Verbis *quæ inter* apposui asteriscum. Quædam enim, quæ sequebantur, interciderunt, quod etiam ex iis, de quibus statim disputat, videre licet, ut animadvertit Hottomannus. Græv.

Ut in ceteris, quæ rogavi. Vides, tam hoc esse absurdum, quam reliqua omnia, de quibus te supra interrogavi. Ferr.

Tamen erat sensus non inconcinnus in Naug. lectione quam firmat cod. Jann. Ferratius ita legit, ut edidit P. Manutius an. 1540, et Hott. ipse. Naugerio adhæsit quoque Camerarius, addita interrogatione, ut sit *qui* adverbium : « sed qui primum... deinde... civitas possit? » Gar.

EXCURSUS XXVII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 33.

Si civitas adimi non possit. Nam eorum, qui in colonias deducebantur, partim rerum capitalium damnati erant, ut mox dicemus : quare inviti civitatem amittere videbantur. Hott.

In colonias latinas sæpe nostri cives profecti sunt. Qua profectione media capitis diminutio contingebat : ut scribit Boetius : civitas enim amittebatur; ut ex simili loco intelligitur, quem ex orat. pro Domo sua subscribemus : « Qui cives rom. inquit, in colonias latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant : qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant. Id au-

tem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti et aquæ, et ignis interdictione faciebant ». Hæc ille. Deducebantur igitur coloniæ eorum hominum, qui aut sua voluntate nomen dederant, civitatemque mutabant : aut quibus tecto, aqua, et igni interdictum erat : nam (ut scribit Polybius) « qui erant rerum capitalium damnati, in colonias latinas, ut Præneste, Tibur, Neapolim in exsilium proficiscebantur ». Sunt autem *coloniæ latinæ* coloniæ in Latium deductæ, quibus tum quidem jus civitatis romanæ concessum non erat. Nam antiquitus *Latini* neque suffragia ferebant, neque magistratus petere poterant : unde etiam *liberti* alii dicuntur *cives rom.* alii *Latini Juniani* : veluti qui inter amicos manumissi erant, aut ab iis manumissi, qui tantum in bonis, non etiam ex jure Quiritium servum illum habebant. *Latini* autem quibus modis jus Quiritium consequerentur, tradit Ulpianus in Titulis, capite tertio. Hott.

Coloniæ Latinæ habebant tantum jus Latii. Vide de iis Sigon. de antiquo jure Italiæ, II, cap. 3. Quum scribit Hottomannus deductos esse in colonias, qui damnati erant, falsum est : non eo deducebantur, sed sponte illuc proficiscebantur, ut pœnam effugerent Romæ. Græv.

Aut sua voluntate. Ante hæc verba nota puncti desideratur. Sua autem voluntate proficiscebantur, qui auctores erant, suumque nomen profitebantur. Hott. — *Sua voluntate* auctores erant et suum nomen dederant. Græv.

Aut legis multa. Quum eis tecto, aqua, et igni esset interdictum. Hott.

Quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent. Alii nonnulli « noluissent, tum manere » : quod falsum est, ut ex simili loco intelligitur hac ipsa pagina : « Qui in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam amitterent ». Nam tecto illis, et aqua, et igni interdicebatur : ac certa pœna sanciebatur, si quis eos tecto recepisset, aquave et igni juvisset : quod si de civitate exire nollent, quamdiu aere et vesci, et tegi possent, tamdiu

eis in civitate manere licebat. IDEM. — *Sufferre* pati, *ut pœnas suffert* in Catil. et pro Flacco. PASSER.

EXCURSUS XXVIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 34.

Quem pater patratus dedidit. Pater patratus, fetialium princeps, qui, si quid cum hostibus patrandum, id est, aut belli, aut pacis causa transigendum esset, populi romani nomine patrabat. Dedebatur autem hostibus, qui cum eis pacem fecerat, quam populus romanus ratam habere nollet. Eam deditionem *pater patratus*, ex fetialium collegio creatus, patrabat. De deditione exemplum est notum omnibus de T. Veturio, et Sp. Postumio, qui dediti a Samnitibus repudiati sunt: apud Livium lib. IX. De Mancino etiam nota est historia ex Plutarcho in Gracchorum vita, Livio lib. LV et LVI; Valerio lib. I, cap. 6, et Cicerone, lib. de Offic. III, in Topicis, et lib. de Oratore I, his verbis : « Si C. Mancinum nobilissimum atque optimum virum, ac consularem, quum propter invidiam Numantini fœderis pater patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius M. F. tribunus pl. de senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse : quia memoria sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium ». Et apud Pomponium JCtum l. ult. D. de legat. « Eum, inquit, qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, utilius esse solitus est respondere : quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an civis rom. remaneret : quibusdam existimantibus rema-

niti dicat Æbutium, de eo consultus Aquillius, aliique fuerint, de hoc potissimum dubitari constat. Confer quæ dixi ad cap. 11. GAR.

EXCURSUS XXIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 31.

Nisi qui in eo loco esset, nunc jam posse concedis, eum, qui non possideat, negas dejici posse. Sic Aldi liber. Alii, opinor, omnes: « Nisi qui in eo loco fuerit, nunc qui possideat, eum, etiam si non fuerit in eo loco, dejici posse concedis ». Quam lectionem haud scio qua de causa librarius cum hac corrupta et contaminata commutaverit. Sensus est enim illius apertissimus: antea semper negavit Æbutius dejectum Cæcinam ex fundo Fulciniano, quod in eo non fuisset; nunc hoc dicit: dejectum tantum qui possidet; cui Cicero sic refert: Possessio duplex est, aut animi scilicet aut corporis; absens enim corpore, animo tamen retinere possessionem potest. Finge nunc ejus, qui animo tantum possidebat, familiam dejectam esse: si nemo potest dejici, nisi qui in loco est, dejectus non dicetur; itaque sentire antea videbatur Æbutius: sin dejicitur quicumque possidet, ut modo defendit, dejectum quoque hunc dici necesse est: quare pugnantia loquitur Æbutius. Sed huic calumniæ facillime respondetur; nam quæ antea dixit Æbutius, de eo qui non possidet, intelligenda sunt: ut copiose supra multis in locis ostendimus, si quis enim quamvis non possideret, quum tamen in loco esset, ex eo vi armatis hominibus dejectus est, decreto prætoris restituendus est. HOTT.

Quod negabas quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco fuerit. Nunc qui possideat, eum etiam si non fuerit in eo

loco, *dejici concedis*. *Cur*, etc. In libris Aldinis, Victorianis, impressis deinde a Rob. Stephano, item a Carolo fratre illius, est, « qui in eo loco esset. Nunc jam posse concedis: eum, qui possideat, negas dejici posse ». Cur horum librorum aliorumve auctoritatem repudiarint Hottomannus et Lambinus, non video: quod videatur obscurius dictum propter ἔλλειψιν « qui in eo loco esset », in eo facile subaudimus toties repetita verba, « unde dejiceretur ». Deinde, « nunc jam », cur quemquam offendere debeat, quod quinquies usurparit in una Adelphorum scena Terentius? quod Donatus quum explicat, ait jam, « incusationem esse tarditatis »: ut hac particula nihil his potuerit esse commodius. Cetera, opinor, sunt hic planissima omnia. P. FABER.

Hic locus in Erfurt. Franc. editione prima, et Mediolan. sic legitur, « te jam dejici posse, nisi indubium (ed. prim. *nisi dubium*) esse etiam posse concedis. Eum qui non possideat, negas dejici posse ». Suspicor Ciceronem scripsisse: « Quod negabas quemquam dejici posse, nisi qui in eo loco fuerit, id indubium esse; nunc etiam posse concedis. Eum qui non possideat, negas dejici posse ». GRÆV.

EXCURSUS XXIV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 32.

Cæsenniam possedisse propter usumfructum, etc. Quis in jure civili rom. mediocriter versatus, non videt, hunc locum esse mendosum, neque dubium esse, quin, mortuo usufructuario, qui rem, cujus habebat usumfructum, vivus locaverat, heres fructuarii nihil juris in ea re habeat, quum ad dominum, seu (ut appellant) proprietarium, reverterit? Nam quod quidam dicunt, causæ servisse Ciceronem: quid minus credibile, quam ita causæ servisse, ut impudentis-

sime mentiretur? Hunc igitur locum mendosum esse contendo, atque ita legendum : « Cæsenniam possedisse per colonum non negas » : cui conjecturæ argumento sunt illa, quæ sunt supra non longe a principio in ipsa narratione : « Cæsennia fundum possedit, locavitque », et quæ proxime sequuntur, *qui colonus*, etc. ante, *qui*, debet scribi, comma, hoc pacto : « Cæsenniam possedisse per colonum non negas : qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum ». Unde igitur hæc verba, « propter usumfructum », nata sunt? ex adnotatiuncula hominis semidocti : quæ tandem a scriptore librario in contextum orationis relata sunt, iis rejectis, quæ Ciceronis erant. LAMBIN.

Possedisse propter usumfructum. Rectissime : naturaliter enim usufructuarius possidet, siquidem corpore fundo incumbat; si per colonum, civiliter; vel potius quasi civiliter; l. 12, l. penul. D. de acquir. poss. Quod quum Lambinus non intelligeret, reponendum putavit, « per colonum ». HOTTOM.

Cæsenniam possedisse propter usumfructum non negas. Hoc « propter usumfructum », rejicit merito Lambinus. Falsum est enim hac defensione Ciceronem umquam hic usum, qui tam multis supra disseruit, Cæsenniam, post filii mortem, hunc fundum in auctione emisse. In quo etiam clarissimum jurisconsultum mihi deceptum videri, ostendi pluribus. Error hic videtur natus ex alicujus explicatione, qui illam defensionem Ciceronis non satis attenderat. Meminerat autem illorum, quæ Cæcinæ objecerat Æbutius. Sed quod in horum trium verborum locum hæc duo « per colonum » sufficit idem Lambinus, nihil id facere necesse habuit : id e sequentibus intelligitur. Sic igitur lego et distinguo : « Cæsenniam possedisse non negas : quia colonus habuit conductum de Cæsennia fundum, quum idem ex eadem conductione fuerit in fundo. Dubium est, quin si Cæsennia tum possidebat, quum erat colonus in fundo, heres post ejus mortem eodem jure possederit? » Ait Paullus jurisconsultus in lege, quam etiam

supra citare memini : « Quod per colonum, inquit, possideo, heres meus nisi ipse nactus possessionem non poterit possidere ». At mihi non magis necesse est, qui huic velut ἀντινομίᾳ occurram, laborare, quam in tam multis illis, quæ supra exposui, in quibus jurisconsulti non magis a Cicerone, quam ipsi inter se dissentiebant. P. Fabri.

Propter usumfructum. At in l. sciendum § eum verum D. Qui satisdare cogantur, Macer scribit, eum qui tantum usumfructum habeat, possessorem non esse ex sententia Ulpiani. Sed causæ servit Cicero. Pass.

Erat ejusmodi quæstio : Possederit ne Cæsennia fundum ex testamento viri, qui reliquerat illi usumfructum omnium bonorum, an emptionis jure, quod ab hasta in auctione fundum, de quo agebatur, emisset. Illud Piso affirmabat, hoc Cicero conatur adstruere c. 7. Si concederet Cicero, « propter usumfructum » Cæsenniam possedisse, nulla esset controversia. At supra quum id negasset, hic etiam negat. Sic autem argumentatur : Qui possidet ratione ususfructus, locatio ab eo colono facta nulla est, postquam ipse decesserit : qui emptionis ratione possidet, ab eo facta locatio valet etiam sub herede, post mortem testatoris. At colonus, qui fundum illum habuit conductum de Cæsennia, vi ejusdem conductionis obtinuit, illa mortua, sub herede Cæcina. Ergo fundum Cæsennia possedit ratione emptionis, non ususfructus : proindeque post illius mortem, Cæcina heres fundum jure possedit. Ferrat. — *Qui colonus habuit conductum.* Palatinus secundus *quoniam :* quod sane hic aptius. Grut.

Qui liber firmat emendationem P. Fabri. Græv.

Lallem. ex suo MS edidit *quia;* adde V. L. Tum « per colonum », ut ex Lamb. dederat etiam Olivet. Probat tamen Fabri emendationem. Quid tandem codices, et edd. deserimus, ut emendantibus obsequamur? Cave, quidquam mutes. Ferratius rem vidit : nisi quod hic non quæritur, an emptionis transmisso jure possederit Cæcina, sed tantum an possederit. Æbutius non negabat possedisse Cæsenniam ;

tantum addebat, « propter usumfructum ». Continuatio possessionis per colonum, et aditionem hereditatis manifesta est. Æbutii etenim partes erant, fundum vindicare, atque ad Cæsenniam solum usumfructum pertinuisse probare : quod ille tum demum facere instituit, quum vi Cæcinam depulit, qui, ut heres interea in veteris locationis jura successerat : et hoc est, quod dicitur, *eodem jure*. Gar.

EXCURSUS XXV

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 33.

Si quid jus non esset rogari, ejus ea lege nihilum rogatum. Legum principium hoc erat : « Consul, vel prætor, vel alius magistratus, qui cum populo egerat, populum jure rogavit, populusque scivit ». Extremum illud : « Si quid jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum » : constat ex prima in Antonium, et lege quadam apud Frontinum de aquæ ductibus, et libro Valerii Probi de Notis Antiquis, in quo tamen quædam corrupta sunt : itemque et orat. pro Domo sua his verbis : « Quæ tua fuit consecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret, quid non exceperas; ut si quod jus non esset rogare, ne esset rogatum? » Etiam in epist. ad Atticum, libro III, Epistola : *Ad* v *kal.* ubi rogationem de se restituendo scriptam commemoravit, his notis utitur, quæ hoc significant, *E. H. L. N. R.* ubi tamen *I.* pro *L.* corrupte legitur. Verum ut ad rem revertamur, quid ita Sullæ non fuit jus id rogare? hoc intelligitur ex eadem oratione : « Quum hoc, inquit, juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis rom. aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit. » Et paullo post : « Jus a majoribus nostris ita comparatum est, ut civis rom. liber-

tatem nemo possit invitus amittere ». Et pro Balbo : « Jure nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque, si velit, mutare non potest ». Et eadem rursus orat. « O jura præclara, atque divinitus jam inde a principio romani nominis a majoribus nostris comparata; ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus; hæc enim fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque juris et retinendi, et dimittendi esse dominum ». Et multa in hanc sententiam. HOTT.

Erfurt. *rogarier*. Recte. In legibus enim amant uti antiquis flexionibus, et etiam vocibus obsoletis. GRÆV.

Quid est, quod rogari jus non sit. Hunc locum sic esse restituendum, vincit ratio : vincunt illa, quæ antecedunt : « si quid jus non esset rogari » : sequitur deinceps, « quod populus jubere, aut vetare non posset? » ubi repetendum e superiore *quid*, hoc modo : « quid quod populus jub. aut vet. non possit? » aut, si malis, exprimendum, et reponendum, idque mihi ita videtur. LAMB.

Quid est quod jus non sit. Nihil addo, repeto ex lege verbum *rogari* et distinguo sic : « Quid est, quod jus non sit? quod populus jubere, aut vetare non possit? » nihil planius. P. FABER.

EXCURSUS XXVI

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 33.

Perspicis hoc nihil esse, ut in ceteris, quæ rogavi. Scripti libri pro « Ut in ceteris », « et ea terris, quæ inter ». Melior aliquis quærendus : et tantisper asterisci nota in margine relinquenda. HOTT.

Ut in ceteris, quæ rogavit. Rogavit, nempe Sulla : nihil

video in hoc loco esse difficultatis, aut mendi : nisi forte in voce *ceteris*, pro qua libri manuscr. habent, *et ea teris :* ego tamen interea *ceteris* retineo et probo. Verba autem illa superiora, « Perspicis hoc nihil esse », hoc significant, Perspicis ratum non futurum, neque quidquam valiturum, si populus jusserit, aut, me tuum servum esse, aut te meum. LAMB.

Perspicis hoc nihil esse, ut in ceteris, quæ rogavit? Primum. Valde mendose legitur in libris Victorianis aliisque impressis : etiam, ut testatur, in scriptis. Hi minus meo judicio depravati, in quibus tantum pro *ut* lego *at*, sic : « Perspicis hoc nihil esse? At in ceteris, quæ rogavit? Primum, etc. » Proxime quasi objecerat : « At enim Sulla legem tulit? » qua scilicet municipiis civitatem ademit, ut est in orat. pro Domo. Hic simili arte occupatione utitur altera : « At in ceteris, quæ rogavit »; quibus scilicet libertas non adimitur, « quid rogatum non est? » id est, ut recte est interpretatum in Glossis, κυρωθὲν, ut Cicero interpretatur hic « jussum, ratum, firmum », quum *rogavit* alibi sit in eisdem glossis εἰσένεγκεν : item rectissime responsio incipit a verbo *primum*, ubi docetur multis, ut ratæ fuerint aliæ Sullæ leges omnes, hanc tamen, qua civitatem municipiis ademit, ratam esse non posse. P. FABER.

Ut in ceteris quæ rogavit. P. Victor. habet, « et fateris, sed qui primum, etc. » Propius ad MSS et veteres edd. « et ea teris quæ inter primum ». GRUT.

In Erfurt. Franc. ed. prim. legitur, ut Gruterus et Hottomann. in suis repererunt. Quum id primo deprehendissem in Erfurtensi, non inspecto Grutero, statim conjiciebam legendum esse, ut edidit Victorius, *et fateris.* Nam in veteribus libris, qui majusculis literis scripti sunt, fuit FATERIS : quam facile potuit ab oscitante librario F mutari in E; illa *quæ rogavit*, unde irrepserint in editiones, nondum potui pervestigare. Videtur aliquis, *quum fateris* mutatum esset in *in ceteris*, ne nulla hujus loci esset sententia, adscripsisse,

quæ rogavit. Hæc eo sunt ableganda, quo huc pervenerunt. Petri Fabri commentum acutum est, ut cetera illius viri, sed non expediunt nodum. Restitui itaque veterum librorum lectionem, una literula immutata. Verbis *quæ inter* apposui asteriscum. Quædam enim, quæ sequebantur, interciderunt, quod etiam ex iis, de quibus statim disputat, videre licet, ut animadvertit Hottomannus. Græv.

Ut in ceteris, quæ rogavi. Vides, tam hoc esse absurdum, quam reliqua omnia, de quibus te supra interrogavi. Ferr.

Tamen erat sensus non inconcinnus in Naug. lectione quam firmat cod. Jann. Ferratius ita legit, ut edidit P. Manutius an. 1540, et Hott. ipse. Naugerio adhæsit quoque Camerarius, addita interrogatione, ut sit *qui* adverbium : « sed qui primum... deinde... civitas possit? » Gar.

EXCURSUS XXVII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 33.

Si civitas adimi non possit. Nam eorum, qui in colonias deducebantur, partim rerum capitalium damnati erant, ut mox dicemus : quare inviti civitatem amittere videbantur. Hott.

In colonias latinas sæpe nostri cives profecti sunt. Qua profectione media capitis diminutio contingebat : ut scribit Boetius : civitas enim amittebatur; ut ex simili loco intelligitur, quem ex orat. pro Domo sua subscribemus : « Qui cives rom. inquit, in colonias latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant : qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant. Id au-

tem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti et aquæ, et ignis interdictione faciebant ». Hæc ille. Deducebantur igitur coloniæ eorum hominum, qui aut sua voluntate nomen dederant, civitatemque mutabant : aut quibus tecto, aqua, et igni interdictum erat : nam (ut scribit Polybius) « qui erant rerum capitalium damnati, in colonias latinas, ut Præneste, Tibur, Neapolim in exsilium proficiscebantur ». Sunt autem *coloniæ latinæ* coloniæ in Latium deductæ, quibus tum quidem jus civitatis romanæ concessum non erat. Nam antiquitus *Latini* neque suffragia ferebant, neque magistratus petere poterant : unde etiam *liberti* alii dicuntur *cives rom.* alii *Latini Juniani* : veluti qui inter amicos manumissi erant, aut ab iis manumissi, qui tantum in bonis, non etiam ex jure Quiritium servum illum habebant. *Latini* autem quibus modis jus Quiritium consequerentur, tradit Ulpianus in Titulis, capite tertio. Hott.

Coloniæ Latinæ habebant tantum jus Latii. Vide de iis Sigon. de antiquo jure Italiæ, II, cap. 3. Quum scribit Hottomannus deductos esse in colonias, qui damnati erant, falsum est : non eo deducebantur, sed sponte illuc proficiscebantur, ut pœnam effugerent Romæ. Græv.

Aut sua voluntate. Ante hæc verba nota puncti desideratur. Sua autem voluntate proficiscebantur, qui auctores erant, suumque nomen profitebantur. Hott. — *Sua voluntate* auctores erant et suum nomen dederant. Græv.

Aut legis multa. Quum eis tecto, aqua, et igni esset interdictum. Hott.

Quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent. Alii nonnulli « noluissent, tum manere » : quod falsum est, ut ex simili loco intelligitur hac ipsa pagina : « Qui in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam amitterent ». Nam tecto illis, et aqua, et igni interdicebatur : ac certa pœna sanciebatur, si quis eos tecto recepisset, aquave et igni juvisset : quod si de civitate exire nollent, quamdiu aere et vesci, et tegi possent, tamdiu

eis in civitate manere licebat. Idem. — *Sufferre* pati, *ut pœnas suffert* in Catil. et pro Flacco. Passer.

EXCURSUS XXVIII

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 34.

Quem pater patratus dedidit. Pater patratus, fetialium princeps, qui, si quid cum hostibus patrandum, id est, aut belli, aut pacis causa transigendum esset, populi romani nomine patrabat. Dedebatur autem hostibus, qui cum eis pacem fecerat, quam populus romanus ratam habere nollet. Eam deditionem *pater patratus*, ex fetialium collegio creatus, patrabat. De deditione exemplum est notum omnibus de T. Veturio, et Sp. Postumio, qui dediti a Samnitibus repudiati sunt: apud Livium lib. IX. De Mancino etiam nota est historia ex Plutarcho in Gracchorum vita, Livio lib. LV et LVI; Valerio lib. I, cap. 6, et Cicerone, lib. de Offic. III, in Topicis, et lib. de Oratore I, his verbis : « Si C. Mancinum nobilissimum atque optimum virum, ac consularem, quum propter invidiam Numantini fœderis pater patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius M. F. tribunus pl. de senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse : quia memoria sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium ». Et apud Pomponium JCtum l. ult. D. de legat. « Eum, inquit, qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, utilius esse solitus est respondere : quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an civis rom. remaneret : quibusdam existimantibus rema-

nere, aliis contra : quia quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur; sicut faceret, quum aqua et igni interdiceret; in qua sententia videtur P. Mucius fuisse ». Id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt; de quo tamen lex postea lata est, ut esset civis rom. et præturam quoque gessisse dicitur. Hott.

Aut suus pater vendidit. Hæc erat non vera, sed simulata, et ficta venditio; nam venditionem in emancipationibus, aut adoptionibus fieri solitam significat; de qua Caius sic scribit Inst. libro I : « Emancipatio autem, hoc est, manus traditio, quædam similitudo venditionis est : quia et in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est, manu tradit : a quo fiduciario patre naturalis pater unum aut duos nummos quasi in similitudinem pretii accipit, et iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit; hoc secundo et tertio fit; et sic de patris potestate exit... Tamen quum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut ei a fiduciario patre remancipetur, et a naturali patre manumittatur : ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius succedat ». Hæc Caius. Ulpianus autem in Titulis, cap. 10 : « Liberi, inquit, parentum potestate liberantur emancipatione : id est, si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus, sui juris fit; id enim lex XII tabularum jubet his verbis : Si pater filium ter venunduit, filius a patre liber esto. Ceteri autem liberi, præter filium, tam masculi, quam feminæ, una mancipatione, manumissioneque sui juris fiunt». Hæc quum ita sint, videndum an non commodius locus hic sic legeretur : « Si pater ter vendidit eum, etc. » Nam hoc mendo nihil esse in libris antiquis frequentius, nemo in iis versatus ignorat. Hott.

EXCURSUS XXIX

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 34.

Quibus lege aut romana civitas, aut libertas erepta sit. Cur ergo privilegia de Cicerone et Clodio lata sunt, ut exsularent? Responsio ex more et instituto intelligitur. Nam primum reo dies a tribuno pl. ad populum dicebatur : deinde citabatur, et ter ante intermissa die accusabatur, quam multa irrogaretur; itaque trinundino accusatus a populo aut morte, aut alia pœna damnabatur : cum eo tamen ut ne pœna capitis cum pecunia conjungeretur : id est, ne simul pecuniæ et capitis multa ei a tribuno diceretur. Magistratus autem sic populum rogabat : « Velitis, jubeatis, Quirites, ut Clodio, puta, aut M. Tullio, aqua et igni interdicatur ». Si populus juberet, pœna etiam sanciebatur, si quis M. Tullium tecto recepisset, et aqua aut igni ceterisve rebus, quibus vita continetur, juvaret. Non ergo ferebatur ut exirent : sed tantum, ne quis reciperet; quod si minus verbo esset civitatem adimere, re quidem vera nihil aliud erat. Hoc autem primum in eam rem valebat, ut ipsis manere in civitate liceret, siquidem aere solo vivere ac tegi vellent : deinde ut ne prius civitatem rom. amisisse viderentur, quam essent in eam recepti, quo *vertendi*, hoc est, *mutandi* soli causa venerant. Hæc Cicero disperse in orat. pro Domo sua. Hott. — *Quibus lege aut ratione civitas, aut libertas erepta sit.* Sic in veteribus libris. Pro *ratione* repositum est a Victorio et Manutio *romana;* sed magis placet Ant. Augustini conjectura, qui pro *ratione* emendat *rogatione*, quamvis idem fere sit. F. Ursin. — *Quibus lege aut romana civitas, aut libertas erepta sit.* Ursinus testatur in veteribus libris esse « lege aut ratione civitas » : quod minus probabile est, quum scriptura

altera nihil habeat incommodi. Alia porro, quæ corrigit Lambinus in hac pagina, mihi videntur integra omnia. P. Fabri.—Sane vett. Venetæ per compendium *rone*, et *roe*. Camerarius *romana* ex Naug. probavit, licet Hervag. *ratione*. Garat.

Exsilium enim non supplicium est. Hoc est, quod dicit in eadem oratione : « Exsilium per se ipsum calamitatis nomen esse, non turpitudinis. Quando igitur est turpe? re vera, quando est pœna peccati : opinione autem hominum, etiam si est pœna damnati ». Ex quibus verbis intelligimus duo fuisse exsilii genera : primum si quis sibi conscius ante damnationem sua sponte in exsilium proficisceretur, ut C. Verres, et L. Tubulus, de quo mentio fit in libro de Finibus II, aut post damnationem, quum lex ferretur, ut aqua, et igni damnato interdiceretur, ut Cn. Dolabellæ Verr. III. Prius exsilii genus etiam Athenis usurpari solitum apparet ex his Demosthenis verbis in orat. κατὰ Ἀριστοκρ. Τῷ δὲ φεύγοντι τὰ μὲν τῆς διωμοσίας, τοιαῦτα· τὸν πρότερον δὲ ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι, καὶ οὔθ' ὁ διώκων, οὔθ' οἱ δικάζοντες, οὔτ' ἄλλος ἀνθρώπων οὐδεὶς κύριος κωλῦσαι. « Reus autem calumniæ jusjurandum dat eodem modo : et licet, ut oratione priore loco dicta, cedat e medio, salutique suæ consulat : quod neque accusator, neque judices, neque aliorum hominum quisquam prohibere potest ». Et de Romanorum lege ac consuetudine verba Polybii subjicienda sunt; quæ hunc locum aperte, ac dilucide declarant : Κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος, καὶ διαφόρου πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα τῆς ἀδικίας, καὶ μάλιστα τοὺς τὰς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς· θανάτου δὲ κρίνει μόνος, καὶ γίνεταί τι περὶ ταύτην τὴν χρείαν παρ' αὐτοῖς ἄξιον ἐπαίνου καὶ μνήμης· τοῖς γὰρ θανάτου κρινομένοις, ἐπὰν καταδικάζωνται, δίδωσι τὴν ἐξουσίαν τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἀπαλλάττεσθαι φανερῶς, κἂν ἔτι μία λείπηται φυλὴ τῶν ἐπικυρουσῶν τὴν κρίσιν ἀψηφοφόρητος, ἑκούσιον ἑαυτοῦ καταγνόντα φυγαδείαν· ἔστι δ' ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσιν ἔν τε τῇ Νεαπολιτῶν καὶ Πραινεστίνων, ἔτι δὴ Τιβουρίνων πόλει, καὶ ταῖς ἄλλαις πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια. « Judicia igitur exercet populus, quum pecuniæ persæpe multa gravior malefico est irroganda, præsertim vero ubi res eorum agitur, qui magistratus eorum gesserunt : publica vero capitis solus,

quo in genere mos apud eos viget laude et commemoratione cum primis dignus; qui mos capitis accusatis potestatem facit, dum ipsorum celebratur judicium, abeundi palam, et in spontaneum secedendi exsilium : licet e tribubus, quæ ad peragendum judicium convenerunt, una etiamnum exstet, quæ suffragia necdum tulerit. Exsulibus autem impune degere licet Neapoli, Præneste, Tibure, item aliis in urbibus, quibus hoc jure fœdus intercedit cum Romanis ». Huc etiam illud Lactantii pertinet, ex lib. de Orig. erroris II, cap. 10 : « Exsulibus quoque ignis et aqua interdici solebat; adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines supplicio capitis afficere ». Hott.—Tusc. V : « Exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quærimus, quantum a perpetua peregrinatione differt, in qua ætatem suam nobilissimi philosophi consumpserunt ». Et in Parad. « Terribile exsilium iis, quibus quasi circumscriptus habitandi locus, non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse dicunt » Passer.

EXCURSUS XXX

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 35.

Derelinquo jam communem causam. Locus aperte mutilatus : hoc amplius veteres libri, pro « communem » *omnem*. Hott.

Derelinquo jam communem causam. In libris vulgatis legitur, « communem causam », in antiquis, « omnem causam ». Existimat Hottomannus, ante hæc verba, post verbum *concessit*, aliquid deesse; quod item mihi videtur. Quid desit autem, incertum. Hottomanno videtur deesse tale quiddam, « nunc in civitatis controversiam vocatur »; aliis

tale quiddam, « ideo in civitatis discrimen venit »; in quibus ego me esse profiteor. Alius preterea mihi subest scrupulus, quod hæc, quæ mox sequuntur, « is homo ita se probatum, etc. » usque ad, « Quapropter, etc. » videntur esse ponenda ante, « derelinquo jam, etc. » Lambin.

Qui quoniam, recuperatores, suum jus non deseruit, neque quidquam illius audaciæ petulantiæque concessit. Derelinquo jam communem causam. Locus aperte corruptus. Hottomannus conjecit aliquid desiderari. Lambinus inane spatium etiam reliquit. En quo progressa conjectura. Ego plus una litera esse dico, quam hic a Cicerone umquam pronuntiatum scriptumve sit. Quam frequenter titulus ille, qui vocali superpositus valet N. occurrat in libris, et impressis; et is quam sit similis illi velut apici literæ *i*, quid attinet dicere? At hoc animadverso quis non malit hic « de reliquo », quam « de relinquo », scribere? nemo profecto qui videat, quid hic sententia postulat, quidve in eamdem sententiam tam multis antea dictum sit. Quod si etiam exemplum hujus formulæ desideres, hæc una de plurimis fuerit, opinor, satis ex lib. I de Oratore: « Quoniam id, quod difficillimum videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assequuti sumus, de reliquo nostra culpa fuerit, etc. » Ergo ad Æneid. lib. II, Servius, « quod superest », bene interpretatur, « de reliquo », potuit « quod reliquum est », ut Græci dicunt τὸ λοιπὸν, potuit « de cetero ». Sed multus hic sum. P. Faber.

Nihil variant edd. quas vidi, omnes. Optime quidem Faber, sed non video, quid inepti sit in verbo, « derelinquo ». Reliqua ex superioribus firmissima. Garat.

EXCURSUS XXXI

AD ORATIONEM PRO CÆCINA, CAP. 36.

Multo etiam minus quæri, A. Cæcinæ fundus sit, etc. Sic olim hunc locum restitueram, Georgii Buchanani, Scoti, viri quum omni doctrina præstantis, tum poetæ optimi, auctoritatem sequutus: « Multo etiam minus quæri, A. Cæcina fundus sit, etc. » cujus verba edenda curavi: sic igitur ille: In oratione pro Cæcina extrema ita vulgo legitur: « Multo etiam minus quæri, A. Cæcinæ fundus sit, necne: me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cæcinæ ». At enim docere fundum esse Cæcinæ, non magnopere ad præsentem quæstionem pertinet: nec id Cicero uspiam docuit: nisi forte id docere quis vocet, quod in orationis narratione paucis rem verbis attigit: ut in pauca conferam, « testamento facto mulier moritur: facit heredem ex deunce et semuncia Cæcinam »: paullo vero inferius adeo se id non docuisse ostendit, ut de hoc agro tamquam controverso, et ambigui juris loquatur, his verbis: « Atque iste omnes introitus, qua adiri poterat, non modo in eum fundum, de quo controversia fuerat, sed etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos opponit ». Vides, ut de illo fundo controversia sit, de altero nihil ambigatur? ubi ergo docet Cicero fundum fuisse Cæcinæ? Nam inter argumenta causæ nulla de hac re mentio est, ubi maxime id oportuit doceri. Tum enim res controversa docetur, quum vel argumentis, vel testibus, vel multis, magnisque indiciis probatur. Quod si nusquam Cicero facit, cujus improbitatis est in causa præsertim tam multiplici ac perplexa, id in epilogo pro confirmato numerare, cujus nusquam in tota causa facta sit mentio? aut cujus negligentiæ est, quod in refutando fuit

postremum, in tota pæne causa firmissimum, quum cetera commemoraris, id in enumeratione præterire? Horum quum neutrum in Ciceronem convenire possit, hunc locum nimia castigantium audacia dicam, an inscientia, corruptum esse non dubito. Ego vero quum ad eum corrigendum nihil habeam, quod afferam, præter conjecturam, eam in medium proponam, ac suum existimaturis judicium relinquam. Sic igitur legendum censeo: « Multo etiam minus quæri, A. Cæcina fundus sit, necne: me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cæcinam ». Id ut ita esse existimem, quum illa, quæ supra adversus veterem lectionem disputata sunt, tum etiam capitum ordo, quibus hæc causa continetur, facit. Primum enim Cicero vim factam esse probat: deinde verbum illud, *unde*, cujus interpretatione causa adversariorum maxime nitebatur, secum facere contendit: tertio loco, Cæcinam possedisse ostendit: quarto loco civem esse Cæcinam, ac posse jure civium romanorum hereditates capere, neque legem Corneliam, quo minus id faceret, impedimento esse probat. Quatuor hæc, quibus tota causa continetur, capita, in peroratione, eodem, quo dixerat, ordine enumerat. Quod si ita legamus, ut habent vulgati codices, quartum quod erat in refutando caput, in epilogo videbitur plane præteriisse: sin, ut ego legendum puto, cum cetera oratione constabit epilogus. Nam quum fundi dicantur populi (ut alibi Cicero scribit) ii, in quibus jus romanum, velut in fundo, resedisset, non potest dubitari, quin coloni fundi essent, siquidem cives essent Rom. hoc est (ut Ciceronis verbis utar) quin lege agerent, et suum jus persequerentur, et omnes jure civili sine cujusquam aut magistratus, aut judicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione, uterentur. Igitur A. Cæcina quum colonus esset ejus coloniæ, cujus coloni cives essent: non dubium est, quin sit fundus, et jure civili romano utatur, suumque jus persequi, et hereditates civium romanorum capere possit: nec hoc jus ei quisquam per vim auferre potuerit. Legitimus ergo Cæsen-

niæ heres, ut, qui optimo jure, fuit A. Cæcina. Hæc omnia Cicero ut in epilogo breviter complecteretur, fundum esse Cæcinam dixit. Quod si quis pertinacius contra dicat, ac veteris lectionis fidem tueri velit, quod satis credat esse probatum, fundum esse Cæcinæ, quum sit demonstratum, eum Cæsenniæ esse heredem : ex iis, quæ supra disputavimus, satis perspicuum esse puto, alterum non statim sequi, si Cæcina heres sit Cæsenniæ, ideo fundum esse Cæcinæ, non magis, quam Fulcinii, qui ex duabus sextulis, aut Æbutii, qui ex una sextula, ejusdem scriptus fuerat heres; alterum vero necessario sequi, heredem esse Cæsenniæ non potuisse, qui fundus non esset. Postremo, si, ut ego censeo, hæc clausula orationis ultima legetur : et sensus Ciceronis erit apertissimus, et idem ordo in epilogo servabitur, qui fuit in argumentatione et confirmatione : quod enim in argumentatione quarto loco positum erat, id in epilogo quartum locum obtinebit. Sin vetus lectio retinebitur : neutrum, meo judicio, constabit. Hactenus Buchananus. Ego vel ita, ut Buchananus censet, legendum arbitror, vel hoc modo, quamvis a recepta scriptura remotius, « multo minus quæri, A. Cæcina, civis sit, necne, etc. » et paucis post, « civem esse Cæcinam ». Lamb.

Cæcinæ fundus sit, *necne*. Lambinus scribit Buchananum virum omnium judicio plane singularem legendum putare, *Cæcina :* ut *fundus* dicatur pro *colonus;* ea ratione qua *populus* dicebatur *fundus*. Buchanani judicio nemo plus tribuit, quam ego, sed quominus ei assentiri possim, hæc obstant, primum quod « fundum hominem » dici, pro *cive*, nusquam legi. Docui quidem Observ. II, c. 5, *fundum* eum dici, qui alicui rei auctor est; multaque in eam sententiam disputavi : sed *fundum* pro *cive*, pro eo qui juris civilis particeps est, nusquam legi. Præterea præcipua totius istius causæ vis in eo vertitur, utrum Æbutius, an Cæcina fundi istius controversi sit dominus. Nam si Æbutius dominus non fuit, certe injuste dominum aditu sui fundi prohibuit. Quod vero Bu-

chananus ait, nusquam nisi perleviter tactum fuisse, Cæcinam fundi dominum esse, videamus ne mendum sit memoriæ : quid enim aliud superius actum est, ubi Cicero multis verbis contendit, Æbutium non sibi, nec sua pecunia fundum illum emisse : sed Cæsenniæ, et de ipsius pecunia. Hottom.

Lambinus accuratam Buchanani disputationem affert, qua ille vir probare voluit pro his, « A. Cæcinæ fundus sit, necne », legendum esse « A. Cæcina fundus sit, necne » : ne ea quidem conjectura mihi satis firma esse videtur. Primum *fundus* pro eo, qui jus illud civitatis quod populus romanus dedisset ei municipio, cujus municipii Cæcina esset, adsciverit, ut ipse accipit ex oratione pro Balbo; sive, ut Festus interpretatur, is est auctor, quomodo hic satis convenire possit, ipse viderit. Deinde hac tota oratione Cicero numquam hoc nomen sic usurpavit pro *auctore*, quum pro « fundo illo Fulciniano » toties usus esset, « quem Cæsennia in auctione filii bonorum emisset » : qui fundus cur non idem in hac orationis conclusione intelligatur et repetatur, videre non possum. Ait se eum fundum Cæcinæ esse docuisse. Cur non docuerit? qui illic docuit a Cæsennia testamento relictum civi romano a cive romana? quum is fundus Cæsenniæ esset jam emptus in auctione, « quasi quisquam, inquit, fuerit qui dubitarit, quin emeretur Cæsenniæ, quum id plerique scirent, omnes fere audissent », et quæ sequuntur. Nam quod hoc leviter sic attingit, atque in judicium venire negat, facit ut antea, quum de sponsione ex interdicto hic judicium esse dixit : « P. Dolabella prætor interdixit de vi hominibus armatis, ut unde dejecisset, restitueret : restituisse se dixit. Sponsio facta est. Hac de sponsione vobis judicandum est ». Et postea in Oratore : « Tota nobis causa pro Cæcina de verbis interdicti fuit ». Quo in libro etiam tum causæ illum sic inservire dicere, satis, ut opinor, sani non sit. P. Faber.

Aulus Cæcina fundus sit, nec ne... fundum esse Cæcinam.

Ita Buchananus legendum conjecerat (ut *fundus* sit *auctor*, quæ et *fundi* notio est), idque in contextum receperat Lambinus : ex quo hic locus ita prorsus a multis, in hac præsertim notione, productus fuit. At ea lectio nullo scripto codice fulta, sed ex ingenio conficta, merito est rejicienda, ac legendum utroque loco Cæcinæ patrio casu, uti et membranæ ostendunt. Hæc eo monui, ut ostenderem, Tullium non alibi, quam in Corneliana, nomen *fundi* usurpasse (de hominibus eo sensu) contra quod nonnulli viri doctissimi sentiunt, qui hunc locum adferunt, ut suam tueantur sententiam. Mazoch. *in Tabb. Heracl.* pag 471, n. 146.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO M'. FONTEIO

ARGUMENTUM.

Tandem ad harum unam orationum pervenimus, quæ temporis injuria ad hanc diem truncæ, nunc demum aliqua saltem parte auctæ tum primum in Gallia prodeunt. Clarissimus nempe B. G. Niebuhr ill. Angeli Maii vestigiis insistens tum nonnullarum Ciceronis orationum, tum maxime Fonteianæ fragmentum ex illo nobilissimo bibliothecæ Vaticanæ codice, eruit, qui Tobiæ, Judithæ, Jobi atque Estheris libros continet, et unde detracta posteriori scriptura, celebratissimum T. Livii Historiarum fragmentum detexerunt viri diversa eruditionis laude præclari, Paulus Brunsius et Vitus Juvenatius. Qua autem ratione ad tantum finem pervenerit Cl. Niebuhr, in præfatione huic suo volumini præfixa pluribus explicuit, nos ea tantum quæ ad M'. Fonteii orationem pertinent, et ab eodem doctissime disputantur, recitabimus.

Postrema omnium inventa est orationis pro Fonteio pars, et quidem tam sero, ut ea caruerint primi editores Veneti: propter quam eamdem causam raro in codicibus collectarum comparet, atque, ubi exstat, ultimum fere in illis locum tenet. Ipse autem codex in quo servata fuit adhuc superest, in tabulario Basilicæ Vaticanæ asservatus: quem illic, cum paucis aliis nobilis bibliothecæ reliquiis, ex cladibus direptionibusque Urbis toties repetitis evasisse, pæne miramur. Jam vero in illo fragmentum hujus orationis cum oratione pro L. Flacco, sive potius ejus parte aliqua, coaluit : librarius enim, supra quam credi potest illiteratus homo, et qui, propter prodigiosam mendorum multitudinem quæ singulis prope versibus intulit, nihil prorsus eorum quæ scribebat intellexisse videri potest, non animadvertit, seu quaternionem integrum, seu plagulas aliquot, ex oratione pro Flacco, quæ alteram ex ordine præcessisse videtur, in mediam pro Fonteio injectas fuisse : quam integram fortasse, aut certe ejus initium haberemus, nisi quatuor primi quaterniones perissent, ita ut quintus a verbis «literarum si veras» cap. 17 pro Flacco incipiat. Nam ne credamus orationem pro Flacco in iis quæ perierunt exstitisse, eique mutilæ ex

ultima parte Fonteianam ab initio mutilam adhæsisse, vetat inscriptio paginarum quæ etiam in fragmento orationis pro Flacco *pro Fonteio* est. Ne tamen nimis doleamus hac librarii socordia factum esse, ut majore orationis pro Fonteio parte careamus quam qua frui his membranis superstitibus potuissemus, hoc amplius dico, illi errori deberi, quod ingens in Flacciana lacuna suppleta sit. Scilicet, ut nihil ante cap. 9 desideretur, tribus in locis codex ille, ex quo ista oratio, Poggii ut equidem arbitror ævo, transcripta fuit, grandibus fœdabatur lacunis: quarum prima ante hos paucos annos, Mediolanensium ope membranarum, non expleta quidem est, sed tamen notabili accessione levior facta: altera in editione Cratandrina ex codice Germanico suppleta fuit: tertia in longe majore numero librorum manuscriptorum, qui omnes recentissimi sunt, conspicitur. Quippe in decem Lagomarsinianis, Palatinis sex, libris S. Victoris et Gruteri, ac Franciano primo, capitis 20 dimidia pars, a verbis *Fufis persolvisse*, tum capita 21 et 22, denique capitis 23 prima vocabula septem deficiunt: a qua lacuna sex Lagomarsiniani, duo Palatini, Francianus secundus, et editiones antiquæ immunes sunt; non quod ex integriore codice totius orationis manaverint, sed quia, inventis membranis Vaticanis, eorum archetypa inde suppleta fuerunt. Quum enim isti libri in reliquis quæ fragmento Vaticano continentur, plurimum ab illo discrepent, in hac parte nullam lectionis diversitatem exhibent, fœdissima autem ejus menda repræsentant. Quæ quidem res facit, ut ego quoque de Henrici Stephani fide dubitem; qui in hac parte, sicut aliis locis, ad codicem provocat, quod autem ex illo profert nihil aliud est quam quod Naugerius, quem in hac oratione integrioribus libris destitutum fuisse certissimum est, infelici conjectura invenerat. Illud etiam observatu dignum est, quod hoc loco atque illo qui in Cratandrina redintegratus fuit, idem versuum numerus exciderat, repositusque fuit: nam quæ extremo cap. 32 addita fuerunt in margine exstabant: quæ autem inter utramque lacunam leguntur, triplicem uniuscujusque versuum numerum implent: scilicet hinc consequitur, aut ex quinquernione duo extrema foliorum paria ablata fuisse, tribus mediis superstitibus, aut utramque lacunam interitu integri quaternionis antiquissimæ grandissimæque scri-

pturæ ortam: quod tamen minus quam illud alterum probabilitatis habet. Hunc codicem contulit olim Gabriel Faernus, vir propter eruditionem, acumenque ingenii, vel in splendido illo literarum ævo conspiciendus: is pro more temporis satis negligenter de codice loquitur, cujus tamen insigne pretium optime intelligebat; antiquissimum enim appellat atque unice ad ejus auctoritatem provocat; id vero docere oblitus est, ceteros ex illo ad unum omnes transcriptos, atque ad eum comparatos pro nihilo habendos esse. Idem porro, quum non semper satis distingueret inter ea quæ in codice legeret et ea quæ ipse inveniret, posteros nonnumquam incertos reliquit; neque varias lectiones omnes enotavit: unde factum est, ut pluribus in locis emendata codicis lectione careamus: quæ res me permovit, ut illius archetypi lectiones varias in hoc volumine proponerem, exclusis tamen mendis horridioribus, quorum infinita multitudo, quæ ab initio necessitatem emendandi imposuerat primis editoribus non nimis doctis, temeritatem ultra modum auxit.

Atque hoc fragmentum quum ab initio longe majore parte totius orationis deficiatur, aliam deminutionis speciem, quæ tamen falsa est, in medio præfert, ubi adnotatur «omnia de crimine vinario, de bello Vocontiorum, de dispositione hibernorum, deesse»: quorum quidem capitum tituli in antiquissimo codice minio scripti sunt. At ne forte credamus desidiam librarii cladem fecisse, transilientis quæ homini indocto tædium moverent, obstat primum quidem incredibilis hominis stupor; qui, quum sine ullo sensu omnia scriberet, ejusmodi rationibus certe non movebatur: deinde, ut concedamus fieri potuisse ut ante eum alius, qui suæ delectationi laboraret, id sibi permiserit; a C. Plinio juniore (Epist. I, 20, 7) docemur, Ciceronem sæpius, quæ plene dixisset, in scribendo titulis tantum argumentorum indicasse. Nam quod ille nonnisi orationum pro Muræna et pro Vareno nominatim meminerit, ubi id factum esset, sane id non obstat quominus idem de aliis valuisse credamus. Quis enim, præsertim quum ad amicum scribit, exempla omnia in hujusmodi re conquirat? Sed quoniam in hunc locum incidi, haud inutile esse videtur monere, locum illum Plinii ne ab optimis quidem Murænianæ interpretibus et criticis animadversum esse. Ea enim mutila in codicibus superesse perhibetur, pro-

pterea quod illa desunt quibus orator Ser. Sulpicio adolescenti et Cn. Postumio, de divisorum indiciis, de pecuniis deprehensis, de equitum centuriis, respondit: at nullus alius est in tota oratione locus ad quem Plinii verba referri possint. Res autem omissæ, quæ talibus locis explicari debuissent, peti poterant ex commentariis causarum, quos, a patrono diligenter confectos, Tiro ediderat: quorum quam insignis utilitas ad intelligendas orationes esset, ex illa particula perspicitur, qua, ab Arusiano Messo, sive is Fronto est, servata, ad III, in Verrem, acc. II, cap. 33, præclare usus est Fulvius Ursinus. Ceterum, quod ad hanc universam rationem pertinet exponendorum sola commemoratione, non explicandorum oratione, hujusmodi capitum, quæ ad nitorem tractando perducere operæ pretium oratori non visum est, ea non a Cicerone invecta, sed jam a Lucio Crasso adhibita fuit. (Brut. cap. 44.)

Ea porro fragmenta quæ hic prodeunt, Ciceronis quidem nomine atque omnino paginarum titulo carent: sed nemo erit qui dubitet illa ad eamdem cum majore fragmento orationem M. Tullii pertinere. Et multum quidem honoris illis decedit ex eo quod ne inter se quidem continuantur; quid? quod non satis evidens videri potest sitne primum secundo, an hoc illi præponendum: nam de tertio certa res est. Sed hoc sequutus sum quod tam in illo, quod secundum feci, quam in tertio, de testibus furti contra M'. Fonteii quæsturam sermo est; in primo autem de re multum diversa, scilicet de solutione quadrantaria secundum legem Valeriam, disputatur.

Ex his demum fragmentis perspicitur, postulato M'. Fonteio a Gallis lege repetundarum, M. Plætorium accusatorem, quod in accusando Verre fecerat Cicero, universam rei vitam per omnes quos gesserat magistratus, persequutum esse. Quum igitur Fonteius triumviratu et quæstura, Marianis Cinnanisque temporibus, functus esset, accusator pecuniarum per vim atque injuriam captarum conciliatarumque crimen in utrumque magistratum contulerat: neque fortasse a Gallia provincia prorsus aliena quæsturæ ratio erat: tametsi hic magistratus in Urbe gestus fuisse videatur. At in his quæ nunc postliminio redeunt, id agit patronus, ut quæsturæ crimina diluat: triumviratus ra-

tio, quam se similiter reddidisse ait, tota periit. Atque ne id quidem liquido apparet, cui muneri procurando triumvir creatus fuerit Fonteius, monetalisne an coloniis deducendis : nam de aliis hujus nominis magistratibus propter « pecuniæ » mentionem, « in qua maxima tractanda procurandaque versatus sit », omnino non cogitandum est. Sed illud in utrumque triumviratum cadere, de monetali quidem perspicuum, de altero, coloniis deducendis vel agris dividundis, æque compertum est; quo qui fungerentur agros publicos vendebant, privatos emebant, prout res exigeret. Ac sane probabile est L. Cinnam hoc delenimento divisionis agrorum, quorum post sociale bellum maxima copia erat, militum atque plebis egenæ animos sibi conciliare voluisse; neque, quominus legem agrariam latam esse credamus, id obstat quod nulla ejus mentio fiat in tam jejunis illius temporis annalibus : nonne enim M. Bruti coloniam Campanam, quæ sine dubio ad eosdem annos pertinet, nisi Cicero ejus meminisset, omnino ignoraremus? Neque hujusmodi assignationis vestigia manere poterant, quum, rescissis per Sullam victorem actis Cinnæ, quicumque sive in coloniis, sive viritim agros acceperant, iis iterum pellerentur, ut Sullanis militibus cederent; quorum filios eadem calamitas manebat, quo veteranis Julianis sedes pararentur. Sed, quamquam res certo definiri nequeat, Maniique Fonteii nomen in nummis non compareat, tamen, quia Cicero eum magistratus « ante oculos civium » gessisse dicit, de monetali potius quam de agrario triumviratu cogito.

Quæstura Fonteii post consulatum L. Cinnæ et L. Flacci collocanda est, Cicerone diserte profitente eum in solvendo secundum legem Valeriam superiorum quæstorum morem sequutum esse : tum vero ante Scipionem et Norbanum coss. in quem annum Hispaniensis legatio incidit. Utrum autem anno ab U. C. 667 secundum Catonianas rationes, quas sequi soleo, an potius sequenti adscribenda sit, quando de anno præturæ disputabimus, disquirendum erit.

Hispaniensi legatione Fonteius functus est, quo tempore Sertorius se in Hispaniam contulit. Scilicet pro quæstore in illam provinciam legatus, ut ex ejus temporis usu colligitur. Legatio Macedonica sequuta est, in qua provinciam a Thracum depopulatione defendit (pro Fonteio, cap. 16); qui, revulsis semel

per Archelai irruptionem claustris, cum Dardanis aliisque finitimis Barbaris miseram provinciam diripiebant. Ædilitatem transmisisse arbitror, neque enim hujus muneris gratiam in peroratione silentio præterisset patronus; idque, quum octoni ex lege Cornelia crearentur prætores, ædilitate autem curuli bini tantum quotannis perfungerentur, ab homine non omnino primarii ordinis sine populi offensione fieri poterat, quam Mamercus Æmilius, maximis divitiis et summa nobilitate, quum id faceret, incurrit.

Præturæ annus aliquantum habet difficultatis. Primum enim, quod Manutius statuit, Fonteium peracta in Urbe prætura Galliæ præfuisse, id quidem secundum eam rationem est, quæ illis temporibus in republica plerumque obtinebat: attamen tunc quoque interdum ipso magistratus anno cum imperio ad exercitus mittebantur prætores; quod ut in M'. Fonteio potissimum decerneretur, eximia ejus laus imperatoria et difficillima reipublicæ tempora suadere poterant: quin plurima extra ordinem in illo genere facta esse credi licet, quo tempore eques romanus pro consule exercitum ducebat. De triennio quo Galliæ præfuit Fonteius hoc quidem certum est, eo imperante exercitum Cn. Pompeii in illa provincia hibernasse (pro Fonteio, cap. 3), id quod accidit Lucullo et Cotta coss. an. U. C. 678: ac superiore anno maximum frumenti numerum inde ad exercitus romanos advectum esse ipse Pompeius dicit in epistola, inter excerpta ex Sallustii Historiis, quam iisdem coss. initio anni ad senatum scripsit ex Vaccæis (conf. Plutarch. in Lucullo, pag. 494 E. in Sertorio, pag. 579 C. in Pompeio, pag. 628 E.): id autem Fonteio procurante factum est (pro Fonteio, cap. 2). Sed quum nulla de his annis controversia esse possit, illud quærendum restat, utrum ad explendum triennium is attribuendus sit qui præcesserit, an ille qui sequatur. Equidem Fonteium imperium in Galliis suscepisse arbitror L. Octavio et C. Cotta coss. (677), quo ipso anno frumentum in Hispaniam misit: constat enim, fractos a Cn. Pompeio populos qui arma sumpserant, ab illo penitus subactos fuisse. Atque illud quoque manifestum est, si, quo tempore Pompeius Gallis arma intulit, Fonteius ei provinciæ præfuisset, hujus rei mentionem facturum fuisse Ciceronem, qui hibernorum exercitus meminit, per quæ cognoscendi præ-

toris qui provinciæ præesset, facultas data militi fuerit. Videndum ergo est quibus consulibus ad bellum Sertorio inferendum profectus sit Pompeius. Ac nihil quidem ad hoc cognoscendum in historicorum narrationibus subsidii habetur; verum omnia expedit Pompeii epistola apud Sallustium, qui a profectione ad pugnas ad Turiam (ita enim in excerptis Sallustianis reponendum est, pro *Durium*) et ad Valentiam, unorum tantum hibernorum meminit, quæ receptis Gallis, Lacetanis, Indigetibus, sub Pyrenæis montibus in citeriore provincia collocata fuerant: quod quum ita sit, atque pugna ad Turiam ad annum 677 pertineat, minime audiamus Freinshemium, in horum temporum rebus gestis ordinandis flagitiosa levitate versatum, qui Pompeium D. Bruto et Mam. Æmilio coss. ab Urbe profectum esse, eodemque anno in Hispaniam pervenisse, statuit. Quid? quod tanta hominis negligentia est ut dicere sustineat, Fonteium illo anno, 675, Galliæ præfuisse, neque videat hoc pacto quadriennium, aut etiam amplius, ejus imperio tribui. Hæc ideo præsertim disputavi, quia in rebus quæ a valde paucis investigantur, habet quamdam Freinshemius auctoritatem qua incauti decipiuntur: Brossius autem quid de hac re senserit, diligens admodum et accuratus auctor, quum ejus libro caream, dicere non habeo. Ut redeam ad propositum: siquidem Fonteius anno 677 imperium in Gallia suscepit, necesse est, ut integrum ejus sit triennium, id illum per ann. 679 retinuisse. Accedit, quod ea erat his temporibus anni romani perturbatio, ut kalendæ januariæ a. 679 circa novembris Juliani proleptici initium inciderent, atque nullo modo statui possit exercitum romanum ante eas in hiberna discessisse. Jam quum per legem Corneliam annalem, nisi octo annis a quæstura intermissis, præturam gerere non liceret, sequitur, potuisse Fonteium, si ejus quæstura ad annum 667 pertinet, præturam in Urbe gerere anno 676, ut anno post in provinciam iret: contra, si sequente anno quæstor fuit, necesse est eum ipso præturæ anno in Galliam esse profectum.

Omnia incerta sunt de anno quo Cicero hanc causam defendit: id solum constat, quod optime vidit Hottomannus, actam esse post latam legem Aureliam. Itaque antequam reus fieret Fonteius, tres quatuorve anni transmissi sunt; neque quamdiu judicia apud senatores erant, cum aliqua spe accusari poterat

Sullanus imperator, quantumvis crudeliter provinciam sibi creditam lacerasset. Verum æquioribus judiciis, dissentientibusque inter se Sullanis, quum paullatim sese confirmassent olim victi, ille quoque, cum aliis earumdem partium hominibus, a veteribus inimicis oppugnatus est. Certe L. Hirtuleius, quem laudibus ornabat accusator Plætorius, idem est qui quæstor sub Q. Sertorio militavit, Marianarum partium vir: quem Romæ laudari potuisse, quum adversus imperatores senatus pugnans et vicisset plus semel et tandem occubuisset, manifestum testimonium est infractos fuisse crudelium belli civilis victorum spiritus, et potuisse peti ex iis ultionem, dummodo illa civilis furoris scelera silerentur, quæ multo maxime ad vindictam stimulabant.

SYNOPSIS.

Postquam orator, ut in omnibus repetundarum causis fieri solere animadvertit Asconius, et ex eo quod editum est fragmento facile perspicitur, totam rei vitam enarravit, 1-3, jam tria crimina pertractat, unum de Gallia ære alieno oppressa, alterum de quæstu e viarum munitione, tertium de portorio vini.

De primo Cicero negat ullum esse vestigium quo significetur Fonteio pecuniam datam; Fonteium Gallis odio esse, quod alios bello subegerit, alios ex agris, quibus essent multati, decedere coegerit, aliis stipendium, equos, frumentum imperaverit. A colonis romanis, in primis Narbonensibus et Massiliensibus, a negotiatoribus et sociis laudari Fonteium, ut optime de provincia, de imperio, de sociis et civibus meritum. His accedere multorum equitum, tribunorum, legatorum qui in exercitu fuerint testimonia, 4-6.

De viarum munitione, ostendit ejus rationem nihil ad Fonteium pertinere, sed ab ejus legatis C. Annio et C. Fonteio tractatam esse, quos nemo possit reprehendere, 7.

Sequitur locus de portorio vini a Fonteio in Gallia instituto, cujus maxima pars intercidit; quamquam, ut supra videre fuit, non scriptam a Cicerone fuisse doctiss. Nieb. arbitratur; quod non satis probatur, 8.

In extrema parte orationis testimonia Gallorum infirmat, ita

ut primum tesibus iratis et cupidis temere credendum esse neget, et fidei ejusmodi testibus non habitæ exemplis confirmet, 9-11. Præterea Gallos, in primis Induciomarum accusatorem, homines esse, qui in testimoniis dicendis nec religione jurisjurandi, nec metu deorum commoveantur, 12, 13. Præterea periculosum esse, si Fonteius Gallorum libidini dedatur, quod videri possent judices eorum minis potius quam testimoniis esse commoti, 14, 15.

Tum in pulcherrima et eloquentissima peroratione ostendit Fonteio nullum probrum, nullum facinus, quod a libidine, aut a petulantia natum, ab accusatoribus objici possit, 16. Innocentem igitur Fonteium retinendum in republica, præsertim quum multæ res sint, quæ judicum animos pro ejus salute permoveant; generis antiquitas, continuæ præturæ, recens memoria parentis, ipse autem quum in omnibus vitæ partibus honestus atque integer, tum in re militari, consilio, animo, usu clarissimus, 17, 18. Denique contra impetus Gallorum multa præsidia esse Fonteio in laudibus ac testimoniis Macedoniæ, ulterioris Hispaniæ, civitatis Massiliensium, coloniæ Narbonensis, omnium civium romanorum in Gallia viventium, publicanorum, agricolarum, pecuariorum, ceterorumque negotiatorum, 19. Quæ quum ita sint, judices etiam Fonteii matris, in primis autem sororis, virginis vestalis, lacrymis urget, et novissime monet ne ferocibus Gallorum minis cessisse videantur, 20.

Hoc habes Fonteianæ orationis summarium; quamvis autem, plus nimio jam creverint præmissi illi velut commentarii, non temperare animo possum, quin quædam Ciceronianis in hac causa argumentis ipse subjiciam, et Gallus Gallos ab vehementioribus, si non omnino iniquis, insectationibus vindicare studeam. Illud primo non sine quodam doloris sensu animadvertendum puto, illum eumdem oratorem qui tanto et ingenio et animo Siculorum causam defendit, tanta eloquentiæ vi miserrimam provinciarum omnium conditionem descripsit, ita ut nullum jam eis subsidium quam in populi rom. severis judiciis, esse diceret, nunc mutatis partibus, jam repetundarum reum defendere, et ita defendere, ut in ea saltem quæ ad nos usque

pervenit, parte, nullas æquas probationes afferat. Quid enim? Postquam in Verrina causa Mamertinos probris lacessivit, qui soli pro Verre stabant, nonnullius civitatis testimonium adversus totius provinciæ questus valere non posse ostendit, jam nobis Massiliensium laudationes, quasi ab eis tot questus obruerentur, opponit? Fonteium Gallis odio esse dicit, quod eis stipendia imperaverit, quasi non eadem Siculorum in Verrem odii causa exstaret? Alterum crimen sic diluit, ut illud ad quæstores pertinere ostendat, quasi non sæpius ministrorum scelera in primum magistratum redundare in Verrinis luculente explicuisset?

Jam vero quam imbecillis, quam omnium rationum expers mihi in ea parte videtur, qua Gallorum testimonia suspicionibus, aut jocis eludit? Præclaram sane Fonteii defensionem, quum Cicero Gallorum incessum, barbarum sermonem, vestitum ridiculo vertit; quasi non aliter quam romano more et vivere et dicere liceret. Miror cur non illos etiam irriserit, quod arma potius quam verba tractaverint; verum hoc quoque nomine ridentur, tamquam vana ingenia, quæ metum sub audacioribus verbis celant; quo in loco utra parte stet vanitas non difficile judicaveris; quum eos Sallustius Romanis fortiores prædicet (Catil. 57), quum omnes romani scriptores gallici illius ærarii mentionem habeant, quod in Gallorum tantum bellis recludi fas erat; quum ipse Cicero (Font. 19), « in bello gallico neminem esse civem dicat, qui sibi ulla excusatione utendum putet ». Verum et ipsi Gallos satis hoc crimine liberant Romanorum metus, et decem anni, quos in vincendis submittendisque Galllis integros consumpsit J. Cæsar, tantus imperator!

Perlectis demum et hac pro Fonteio et illis in Verrem orationibus, triste nescio quid animis infixum hæret, tacita quædam in illos gentium raptores exsurgit indignatio, qui insolenti victoria subnixi et vetere orbis famulatu ferociores dominatum, honestis saltem nominibus temperare infra se esse censebant, et victis in contemptum abutebantur.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO M'. FONTEIO.

ORATIO DUODECIMA.

Desunt permulta.

I......OPORTUISSE; an ita dissolvit, ut omnes alii dissolverunt [1]? Nam ita ego defendo M'. Fonteium, judices, itaque contendo [2], post legem [3] Vale-

I. 1. *Dissolverint.* Alio quoque loco in modo peccatum esse in his schedis constat, ac rescribi fortasse debuisset *dissolverunt.* Nam quæ proxime præcedebant hujusmodi fuisse quivis viderit : « Utrum jam vobis videbitur in solvendo aliam a Fonteio rationem teneri oportuisse, etc. » allato scilicet, uti ex sequentibus patet, Hirtuleii exemplo. NIEB.

2. *Itaque contendo.* Pro *et ita contendo :* pro C. Rabirio Postumo, c. 4, « ita contendo, neminem umquam, quo ea pecunia pervenisset, causam dixisse, qui in æstimandis litibus appellatus non esset »; quod non monerem nisi ab iis qui locutionis perraro obviæ non meminerint, dubium de interpunctione moveri posset. NIEB.

3. *Post legem Valeriam.* Hæc est illa lex Valeria turpissima, quæ creditoribus quadrantem solvi jussit, lata a L. Valerio Flacco, consule suffecto a. 666 : de qua vide Velleium Paterculum, II, c. 23, et Cortium ad Sallustii Catil. c. 33 : quam per aliquot annos valuisse ex hoc fragmento constat : mansisse autem donec lege Cornelia unciaria haud paullo mitius rei fœnerariæ remedium adhiberetur, conjicio. Hujus vero generis leges in iis tantum debitis valere possunt quæ ante eas latas contracta fuerint; nemo enim pecuniam crederet, nisi lege illis negotiis cautum esset quæcumque in posterum fierent : nisi forte acriore quadam improbitate hæc lex eas quoque solutiones comprehenderit, quæ, nulla ad

riam latam, a M'. Fonteio[4] quæstore usque ad T. Crispinum[5] quæstorem[6], aliter neminem solvisse; hunc

æs creditum relatione, in subsequens tempus stipulatæ antea fuerant; ex locationibus censoriis, verbi gratia. Utut hoc fuerit, quum ærarium P. R. per quæstores, haud secus quam privati, quadrante dissolveret, eique pariter solveretur, apparet quam ampla furto materies data fuerit, præsertim quum iisdem tabulis æs novum contineretur quod ex asse, et vetus, quod quadrante solveretur. Sane igitur optimo consilio L. Hirtuleius, quæstor, ut puto, ejus anni, quo lex Valeria lata est, duorum generum tabulas instituerat, et dodrantarias et quadrantarias: quoties enim quadrante dissolveret, assem quidem nomini expensum ferebat, dodrantem autem ejus in lucris ponebat: sin aliter, nihil in lucro: atque contraria ratione in illis utebatur quæ populo deberentur, et tum damnum dodrantis factum esse scribebat. Jam qui tabularum conficiendarum rationem tenet quas duplices vocant, Transalpini Italicas vocamus, is perspiciet hoc nihil aliud esse quam quod in re simili argentarii et negotiatores facturi essent: atque hinc apparet harum tabularum usum minime, ut ferunt, septingentis vel octingentis annis abhinc invectum esse, sed ab antiquissimis Romanorum temporibus in Italia perdurasse. Quod quidem eo quoque confirmatur, quod nulla fere res in hoc toto negotio occurrit, quæ non proprio suo vocabulo ex optimorum scriptorum usu latine dici possit; in quo tamen attenta lectio meliora suppeditabit quam lexica. Nieb.

4. *A M'. Fonteio.* In hac lacuna, quæ ex agglutinatione plicatæ paginæ orta est, interiit quæstoris nomen cum prænomine omnibus literis perscripto, ut mox *Tito* plene scriptum legimus: literæ vero TE ex nomine solæ supersunt. Fuisse autem ipsius M'. Fonteii vix dubitari potest: non ut ille primus quæstor secundum legem Valeriam dissolverit, sed ut superiorum auctoritatem sequutus sit. — Perpauca certe nobilium romanorum nomina sunt, quæ duas illas literas conjunctas exhibeant, neque illa ætate invenio de quibus cogitari possit præterquam Hortensium et Metellum Pium: at ne credamus de Hortensio sermonem esse, literarum numerus vetat: Metellum ætas excludit, quippe qui diu ante legem Valeriam quæstura functus fuerit necesse est. Nieb.

5. *Titum Crispinum.* Ut hic, sic in codice tabularii et aliis antiquioribus orationum, persæpe prænomina omnibus literis scribuntur, sed promiscue etiam sigla. Hujus T. Crispini, præter hunc locum, nulla memoria exstat: neque omnino alicujus ex Crispinorum familia per duo illa sæcula quæ inter bellum Hannibalicum et consulatum T. Crispini T. F. sub Augusto intercedunt. Niеb.

6. *Quæstorem.* Sic explico quod in codice est *que*, quod siglæ loco positum esse ex conjunctione literarum U et E apparet: si aliter esset, emendationem locus sibi posceret. Apicis ad dextram positi, ad significandum accusativum, nullum vestigium vidi. Hæc autem nota QUE pro *quæstore* vel *quæstorem* in libris notarum non comparet, video tamen ea usum esse librarium optimi codicis Lagomars. Verr. III, act. 2: in fragmento orationis pro Flacco *quæstores* (acc. pl.) significat: itaque ad omnes casus

omnium superiorum, hujus autem omnes[7], qui postea fuerint, auctoritatem dico sequutos. Quid accusas[8]? quid reprehendis? Nam quod in tabulis dodrantariis et quadrantariis[9], quas ait ab Hirtuleio[10] institutas, Fonteii officium desiderat, non possum existimare[11], utrum ipse erret, an vos in errorem ducere velit. Quæro enim abs te, M. Plætori, possitne tibi ipsi probata esse nostra causa, si, qua in re abs te M'. Fon-

obliquos exprimendos adhibita fuisse videtur. Nam nominativum sing. una litera Q significari Terentius Scaurus indicat. NIEB.

7. *Omnis*. Hanc terminationem in hac voce, aliisque qui sub canone sunt, hæc fragmenta constanter servant: Rabirianæ Roscianæque non item: unde, quam mature librariorum in hac re interpolatio inceperit, perspicitur. Sed optimi quique, et inter ceteros antiquissimi libri orationum, eam tam sæpe repræsentant, ut jamdiu Ciceroni ubique reddi debuisset, quomodo Lambino placebat, nisi quod vir magnus hunc sonum minus recte per *ei* exprimit: quod, præter unum Terentianum Maurum, contra grammaticos factum est. NIEB. — Ceterum satius esse duximus solitum scribendi morem sequi, ne oculos insolito apparatu fatigaremus, et legentibus oneri potius quam utilitati esse videremur. Sic paullo infra scriptum habet codex « accussas. »

8. *Quid accusas?* Inconcinnum quoddam hac in interrogatione animadvertit Niebuhr. Verum et hoc interrogandi more sæpius usum Ciceronem facile patet, et poterat etiam ad præcedentia referri.

9. MS « dodrantaris et quadrantareis », mira librarii in ultima voce inconstantia.

10. *Hirtuleio*. Firmatur hisce membranis vera hujus nominis scriptio, quam contra fragmentum Livianum, epitomen, et plurimos veterum librorum locos egregie stabilivit Juvenatius ad fr. Liv. p. 48. NIEB. — De illo Sertorii legato, non semel Sullanorum victore confer Plutarch. in Sertor. Flor. III, 22; Front. Strat. I, 5, 8; Aurel. Vict. de Vir. ill. 63; Eutrop. VI, 1; Oros. V, 23.

11. *Exeistumare*. Insolita est ista diphthongus ante positionem: verum, quum ex comicis manifestum sit nequaquam in vera et genuina enuntiatione latina syllabam, quæ natura brevis esset, per positionem productam fuisse, recte et ordine ita fecerunt, quo quantitatem indicarent. Huc pertinet quod codex tabularii *exhistumare* exhibet. U autem pro I, ubi id in his fragmentis poni videmus, Cicero procul dubio scribebat: contrarium enim usum a Divo Julio demum introductum esse post M. Varronem Cornutus docet (p. 2284). Neque hanc scribendi rationem ubique in Cicerone obliteraverunt: sed, ut hoc obiter moneam, codices qui emendatissimam exhibent recensionem, non ideo præ ceteris obsoletæ orthographiæ tenaces sunt: imo quandoque in optimis longe recentior regnat: scilicet quum Prisciano emendatos antiquissimæ scripturæ codices Ciceronis, non omnino antiquissimos requiramus. NIEB.

teius accusatur, auctorem habet eum, quem tu maxime laudas, Hirtuleium; qua in re autem laudas Hirtuleium, Fonteius idem fecisse reperitur? Reprehendis [12] solutionis genus : eodem modo Hirtuleium dissolvisse publicæ tabulæ coarguunt. Laudas illum, quod dodrantarias tabulas instituerit : easdem Fonteius instituit, et eodem genere pecuniæ. Nam ne forte sis nescius, et istas tabulas existimes ad diversam veteris [13] æris alieni rationem pertinere; ob unam causam et in uno genere sunt institutæ. Nam cum publicanis, qui Africam, qui Aquiliense [14] por*torium* [15] *conducta habebant.....*

II..... cite [1]..... Nemo, nemo, inquam, judices, reperietur, qui unum se in quæstura M'. Fonteio nummum [2] dedisse, aut illum ex ea pecunia, quæ pro ærario solveretur, detraxisse dicat : nullius in tabulis ulla hujus furti significatio, nullum in iis nominibus intertrimenti aut deminutionis vestigium reperietur. Atqui omnes ii [3], quos in hoc genere

12. MS *repræhendis;* supra, *reprændis.* J. V. L.

13. *Ad diversam veteris.* Ita supplevi lacunam ubi nihil exstat præter *.d.........e..ris :* in quo spatii exactissima ratio habita est : eadem lege alii conjecturas tentent. Nieb.

14. Forte *Aquileiense*, ut apud T. Liv. XXXIX, 45. Nempe urbis Aquileæ credit V. C. editor de portorio a M'. Aquillio agi, ut in Philippicis « de Julianis vectigalibus » dicitur; quid autem fuerit istud plane ignorare se fatetur. Verum si de Aquillio ageretur, certe « Aquillianum » scriptum esset, ut « Aquilliana definitio ». De Off. III, 15, et pass. J. V. L.

15. Duo verba et dimidium e conjectura sunt editoris, v. cl. J. V. L.

II. 1. (*Re*) *cite...* Aut *recitet*, aut *recitent*, aut *recitetur*, aut *recitentur* scriptum fuisse minime dubium est, ubi oculi nihil præter quatuor literas *cite* assequuntur : nam syllaba *re* cum alia pagina periit. Hujus autem paginæ latus universum ita erasum est, ut inter ea quæ, modo assiduam operam impenderis, legi tamen possunt, nihil difficilius occurrere credo. Nieb.

2. Sic MS. Non, ut multi, *numum*. J. V. L.

3. *Atqui omnes hi quos... videmus premuntur testibus.* Hæc quidem omnia vix leguntur : sæpe tamen instaurata investigatione ea quæ quadratis literis expressi, sic scripta esse præstare possum, ut stribliginis culpa in librarium conferenda sit. In his omnino

quæstionis accusatos et reprehensos videmus, premuntur testibus : difficile est[4] enim eum, qui magi-

contra morem est singularis litera Q cujus ductus rectus lineola transversa decussatur : quæ siglæ vice fungitur, et *quos* exprimere omnino debet. Quam vocem suspicor initio plene scriptam fuisse : omissa autem verba *in hoc*, quæ ita reposita sunt, ut illud minutis ductibus supra versum poneretur, posterius autem ex tribus ultimis vocabuli *quos* literis efficeretur. Itaque, quum ad conjecturas confugiendum sit, quibus schedarum antiquitas non obstare debet, locum integrum, pro eo quod mendosum est, « Atqui homines sei quos in hoc genere accusatos et reprehensos videmus, preimum testibus », ita constitui ut in ordine legitur. Pro Sex. Roscio, 1 : « Omnes hi qui sedent ». Pro Cluentio, 19: « Denique hoc loco causa testibus hominibus honestissimis premebatur ». Ac profecto in omnibus libris *nos* et *vos* vix sæpius commutantur quam *omnes* et *homines*. Nieb.

4. *Difficil' est*. Sic infra fr. 3, *consequuta 'st :* atque in fragmentis Rabirianæ : « nulla 'st, obsessio 'st, malum 'st » : in Roscianæ « sublata 'st » : denique in præstantissimo Philippicarum codice : « quæ illa barbaria 'st ? » Hoc sane novum, et hactenus præterquam apud comicos, quos hac synalœpha sæpissime uti pueris notum est, in libris vix compertum, neque in lapidibus ante Marinium animadversum (*Iscrizioni delle Ville Albani*, p. 141): qui, quum in laudatione *necessest* exstet, ex variis inscriptionibus « datast, relatast, vocitatast, subitast, antrost » collegit : ne ex antiquissimis quidem schedis Mediolanensibus affertur. Nam Gruterum non audio, qui ad c. 43, II, act. 2, in Verrem, ubi Metell. lectionem *probabilis* ex *probabilist* ortam esse contendit, talia in codicibus passim inveniri scribat: qui quidem, si in excerptis Gulielmii ejusmodi scriptionem ex longe optimis vetustissimisque aliquot orationum codicibus Germanis enotatam invenerat, vituperandus est quod hujusmodi variationes nullibi indicarit; id certissimum est, Palatinos omnes, recentes admodum, et, demptis secundo et nono, minimi pretii libros, ipsi tam prisca nullibi exhibuisse. Sed, puto, de Plauto, quem ad optimos codices recensuerat, cogitabat nimium festinabundus. Ego quidem neque ipse hujus rei vestigium præterquam uno illo ex Philippicis allato loco vidi, et Lagomarsinius, qui plane minima non negligeret, ejusmodi nihil adnotavit : neque ullam de hac synalœpha apud grammaticos veteres mentionem inveni, quum sedulo quæsiverim : ac ne proprie quidem secundum eorum definitionem synalœpha dicenda esset, si aliud artis vocabulum haberemus, quoniam in illa prima duarum vocalis litera eliditur : nisi quod Velius Longus, bonus auctor in primis et optimæ ætatis, quippe Quintiliano aut certe Suetonio suppar, in loco aliquatenus mutilato, p. 2238, scribit, esse etiam ubi vocales subducantur, si id aut decor compositionis, aut metri necessitas exigat : ut « adeo in teneris consuescere multum est ». Quid enim poetarum elisio ad orthographiam, nisi de hoc cogitaret, subductam secundam vocalem in scribendo omitti? Atque huic rationi persimile quiddam apud Florentinos obtinet, ubi dicunt « lo 'mperadore, la 'ncisa ». Et certe, etiam quando eadem vocalis

stratui pecuniam dederit, non aut induci odio, ut dicat, aut cogi religione[5]. Deinde, si qua gratia testes deterrentur[6], tabulæ quidem certe incorruptæ atque integræ manent. Fac omnes amicissimos[7] Fonteio fuisse; tantum hominum numerum ignotissimorum atque alienissimorum pepercisse hujus capiti, consuluisse famæ : res ipsa tamen, ac ratio literarum, confectioque tabularum, habet hanc vim, ut ex acceptis et datis quidquid fingatur, aut surripiatur, aut non constet, appareat. Acceptas populo romano pecunias omnes isti retulerunt : si protinus aliis æque magnas aut solverunt, aut dederunt, ut, quod acceptum populo romano est, id expensum cuipiam[8] sit,

est quæ bis posita colliditur, aliud aures sentiunt quum enuntiatur « difficile 'st », aliud quum « difficil' est ». Oratores igitur scribendi ratione significasse quomodo hæc enuntiari vellent, facile intelligitur : qui, quum ita agerent, fecerunt idem quod Græci oratores et Plato, qui sæpe apocopen præbent, quum ii, qui vivam loquentis vocem exprimere sibi non proponant, ea vix utantur. Atque hoc vel maxime conatum restituendæ orthographiæ vere Ciceronianæ inhibere potest; non enim semper ita scripsisse censendus est, qui profecto vocabula in eloquendo non semper ita conjungeret, id quod sæpe decori compositionis offecisset : quis igitur sciet quando id faciendum sit? Nieb.

5. *Religione*. Perforatis scalpro membranis, ex hac voce, atque ab altera parte in voce *literarum*, tres literæ perierunt. Itaque apparet unum tantum L fuisse, licet Cæsellius dicat oratores antiquos eam literam in hac voce cum poetis geminasse. Nieb.

6. *Deterrentur*. Cod. *deterentur*. Niebuhr.

7. *Amicissumos*. Membranæ, mendose sed perspicue, habent « amicis summas ». Plane eodem mendi genere unus inter Lagomarsinianos, in quo sincerissima summæ antiquitatis vestigia ubique conspiciuntur, Catil. III, c. 3, « scelerum improbis summum machinatorem », pro *improbissumum*, exhibet. Nieb.

8. *Expensum quoipiam*. Magnam hic locus vim habet ad probandum id, quod dixi, tabularum apud Romanos eamdem fuisse indolem quam earum, quas Italicas vocamus Germani. Fac enim illo modo institutas fuisse quo eæ quas in Germania « nostrates tabulas » nuncupamus, jam minime verum erit quod hic ait Cicero. At in Italicis nihil cuiquam acceptum referri potest quod non alii expensum referatur; quæ quidem propria earum vis est. Negotia enim ipsa haud secus quam homines nomina in iis sunt, tam in adversariis quam in codice : ut si quis a populo romano opus redemptum habebat, opus illud in quæstoriis tabulis nomen erat, et quodcumque eo nomine solveretur, id illi quæstor

certe nihil potest esse detractum. Sin aliqui domum tulerunt, ex eorum arca, e ra[9].....

..... Deorum hominumque fidem! testis non invenitur[10] in ducentis[11] et tricies sestertio[12]. Quam multorum hominum? sexcentorum[13] amplius. Quibus in terris gestum negotium est? illo, illo, inquam, loco, quem videtis[14]. Extra ordinemne[15] pecunia

expensum ferebat. Possumus igitur suspicari quid hoc loco intersit inter *solvere* et *dare*, modo eorum memores simus quæ in hac re aut ipsi facimus, aut ab aliis fieri quotidie videmus. Modo enim *solvitur*, quum de homine sermo est cui debetur, modo *datur*, negotio scilicet. Neque tamen contendam rejiciendam esse horum vocabulorum significationem consuetam. Id certe verissimum est, rite institutis tabulis nullo modo fieri potuisse ut lateret si quid *detractum* fuisset : omnis autem interpolatio, comparatione instituta, evidentissime arguebatur : quapropter rite confici tabulas ad communem utilitatem pertinebat. — *Quoius*, *quoi*, Ciceroni jure vindicatur. Nieb.

9. *Arca e ra...* Hæc ita divisi quia arca ad rem pecuniariam proprie pertinet, neque intelligere possum quid hoc loco sibi velit *arcera*, quamquam hanc vocem apud Ciceronem lectam fuisse Nonius significet, I, 270, et librarius diphthongo *æ* perperam ponenda aliquoties erraverit : deinde vero, quia præter verba *eradere* et *eradicare*, quæque ab iis derivantur, nulla sunt de quibus cogitari possit; atque profecto ne de his quidem. Syllaba *ra* prima alicujus nominis fuerit; *rationibus* verbi gratia. Nieb.

10. MS *inveneitur*, ut fere in ea litera, quum producitur, *cogei*, *deicat*, etc. J. V. L.

11. *Ducentis et triciens*. Ut alibi « sestertium vicies, quingenta millia », sic hoc loco ita protulit pro *bis et tricies*. — Numerorum adverbialium terminatio in *ens* quam Marius Victorinus p. 2469, tenere jubet, in optimis quibusque orationum codicibus servatur. Nieb.

12. *Ducentis et tricies s.* Ut alibi H-S. vicies, quingenta millia, sic hoc loco protulit pro « bis et tricies (circ. 6,191,000 fr.) »

13. *Sexcentorum*. Membr. vitiose *sescentorum*, ut apud Gruterum DXVI, 5, *sestus :* sic ubique vulgaris linguæ rudimenta in antiquitatis monumentis conspicimus. Nieb.

14. *Quem videtis*. Scilicet in foro atque ærario. Nam ex hoc loco, et illo qui paullo infra est, atque alio quem ibi afferam ex cap. 11 orationis, colligo Romæ quæsturam gessisse Fonteium, cujus rationes accusator in ærario excutere poterat. Nieb.

15. *Extra ordinem*. Extra ordinem pecunia datur quæ non a mensa numeratur : etenim a mensa publica solvebat quæstor (pro Flacco, c. 19), et ita rationes exigebantur ut demonstraretur a senatu, consulibus, prætoribus, solvere jussum esse quæstorem, a quæstore mensam : in qua re, sicut hodie, multis literis opus erat. Similiter autem, quando privati extra ordinem pecuniam dare dicuntur (pro Cluentio, c. 31 : « Judicem pecuniam

est data? imo vero nummus nullus sine literis multis commotus[16] est. Quæ est igitur ista accusatio, quæ facilius possit Alpes, quam paucos ærarii gradus[17] ascendere; diligentius Rutenorum[18], quam populi romani defendat ærarium; libentius ignotis, quam notis utatur, alienigenis[19], quam domesticis testibus; planius se confirmare crimen libidine barbarorum, quam nostrorum hominum literis arbitretur?

III. Duorum magistratuum, quorum uterque in pecunia maxima tractanda procurandaque versatus est, triumviratus[1] et quæsturæ, ratio sic redditur, judices, ut in iis rebus, quæ ante oculos gestæ sunt, ad multos pertinuerunt, confectæ publicis privatisque tabulis sunt, nulla significatio furti, nulla alicujus delicti suspicio referatur.

Hispaniensis[2] legatio consequuta est, turbulentis-

ab reo clam atque extra ordinem accepisse,) »·id ita intelligendum est, eum qui daret, fiscos domo sua misisse, non per argentarium solvisse. Nieb.

16. *Commotus*. Pro Fonteio, c. 1: « Nummus in Gallia nullus sine civium romanorum tabulis commovetur ». Pro Flacco l. c. « Ubi nummus nullus commovetur sine prætoribus, etc. » Nieb.

17. *Paucos ærarii gradus*. Nemini quidem qui Romæ versatur dubium esse potest, ærarium supra forum eminuisse, atque id per gradus ascensum fuisse: horum tamen graduum Nardinius certe nullam ex antiquis mentionem affert. Obiter moneo, cryptas quæ tam vastæ sub monte Capitolino actæ sunt, partim ad templum Jovis pertinuisse videri, quæ favissæ erant: partim ad tabularium, partim ad ærarium, ubi infiniti illi thesauri reponerentur. Sic intelligitur quid significet « cuniculos ad ærarium agere », de Officiis, III, c. 25. Nieb.

18. *Rutenorum*. Apparet inde Fonteii jurisdictionem adusque Rutenos pertinere; quæ gens anno 628 a M. Fulvio Flacco et aliis ducibus non semel victa, libertatem tamen ac leges servavit. Apparet etiam, auctore Cæsare de Bell. Gall. I, 45, 47, his populis longius a Narbone Martio, romanæ provinciæ capite, distantibus, a senatu concessum ut proprio jure uterentur. Nonnulli tantummodo Ruteni in romana provincia erant (Cæs. VII, 7), et ii sane sunt quos h. l. recitat orator.

19. *Alienigenis*. Sic infra 17: « Curate ut nostris testibus plusquam alienigenis credidisse videamini ».

III. 1. *Triumviratus*. Quo genere triumvir fuerit Fonteius, vide quid in argumento cl. Niebuhr. conjiciat.

2. *Hispaniensis*. In ulteriore provincia, quam Cicero orationis c. 16, inter Fonteii defensores constituit.

simo reipublicæ tempore, quum, adventu L. Sullæ[3] in Italiam, maximi exercitus civium dissiderent de judiciis ac legibus. Atque hoc reipublicæ statu desperato qualis[4] .....

IV..... Hoc prætore, oppressam esse ære[1] alieno Galliam. A quibus versuras[2] tantarum pecuniarum factas esse dicunt? a Gallis? nihil minus. A quibus igitur? a civibus romanis, qui negotiantur[3] in Gallia. Cur eorum verba non audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? Insector ultro, atque insto accusatori, judices; insector, inquam, et flagito testes: plus ego in hac causa laboris et operæ consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis. Audacter hoc dico, judices; non temere confirmo. Referta Gallia negotiatorum est, plena civium romanorum: nemo Gallorum sine cive romano quidquam negotii gerit; nummus in Gallia nullus sine

3. *Adventu L. Sullæ... de judiciis ac legibus.* Membr. « quum adventu L. Sullæ maximi exercitus in Italiam civium diss. judiciis ac legibus ». Quæ quum manifesto corrupta sint, duplex emendandi ratio erat; altera, quam ut lenissimam elegi; altera ut scriberetur « q. adv. L. S. maximi exercitus civium in Italia dis. » Ante *judiciis* præpositionem addidi, quæ abesse nullo modo potest. — De expeditione L. Sullæ contra patriam, ad mitigationem rei diræ, solemnis quodammodo usus est vocabuli *adventus*; neque is apud Ciceronem tantum, sed apud Velleium quoque, quod mireris, valet. Et Cicero quidem hanc vocem generatim de hostili irruptione ponit, quum hac ipsa oratione, c. 16, de «Thracum adventu in Macedoniam » loquitur. — *Exercitus dissidere* ejusdem euphemismi est, ut in Marcelliana « armis et castris dissidere » legimus... aliaque similia apud alios auctores. Nieb.

4. Hactenus nova fragmenta. Incipiunt veteres orationis reliquiæ.

IV. 1. *Ære alieno.* Jactant accusatores Fonteio præt. Galliam æs alienum multum fecisse; cujus æris alieni causam Galli in prætoris rapinas conferebant.

2. *Versuras.* A quibus illos tantum æris alieni contraxisse dicunt? A quibus tantam pecuniam fœnore sumpsisse? *Versuras facere* est pecuniam sub usuris mutuam accipere; sive alteri des, sive impendas aliis usibus. Aliud est *versura solvere*, qua pecuniam ab alio mutuamur, ut alteri debitori demus, ut doctissime demonstrarunt Græv. et Ernest.

3. *Qui negotiantur.* Præter publicanos qui postea nominantur, cives multi in Gallia negotiabantur, ut in Quintiana oratione videre fuit.

civium romanorum tabulis commovetur. Videte, quo descendam, judices; quam longe videar ab consuetudine mea, et cautione ac diligentia discedere. Unæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet, pecuniam Fonteio datam; unum ex toto negotiatorum, colonorum [4], publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant; vere accusatum esse concedam. Pro dii immortales! quæ est hæc causa? quæ defensio? Provinciæ Galliæ M'. Fonteius præfuit, quæ constat ex iis generibus hominum et civitatum, qui, ut vetera mittam, partim nostra memoria [5] bella cum populo romano acerba ac diuturna gesserunt; partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati [6], modo ab senatu agris urbibusque multati sunt; partim, qui cum ipso M'. Fonteio ferrum ac manus contulerunt, multoque ejus sudore ac labore sub populi romani imperium ditionemque ceciderunt. Est in eadem provincia Narbo Marcius, colonia nostrorum civium, specula populi romani ac propugnaculum, istis ipsis nationibus oppositum et objectum. Est item urbs Massilia, de qua ante dixi,

4. *Colonorum*. Romanorum qui in coloniam erant missi, ut Narbonenses qui sæpius hoc nomine appellantur. — *Pecuariorum*. Ii erant qui, pecora multa alendo et agros elocando, quorum multus in Gallia numerus ad remp. pertinebat, rem augebant. Ceterum de diversis hisce negotiatorum generibus fusius diximus in Verrinis passim.

5. *Nostra memoria*. Eorum memoria qui tum senes vivebant, de Gallis triumphaverat M. Fulvius Flaccus an. U. C. 630; C. Sextius Calvinus et Cn. Domitius Ahenobarbus anno 631; Q. Fabius Maximus anno 632; et C. Marius, Q. Catulus 652. Primi fuere Domitius ac Fabius qui victoriæ monumenta tropæa erexere, quorum aspectus ut victis populis cladis, sic ultionis memoriam revocabat. Cf. Flor. III, 2.

6. *Notati*. Nempe ignominia affecti. Intelligitur fornix Fabianus a Q. Fabio Maximo Allobrogico e manubiis Allobrogum, quos vicerat, exstructus, itemque turres saxeæ ab illo et Cn. Domitio Ahenobarbo, quum Arvernos et Allobroges vicissent, ipsis locis exstructæ, quibus dimicaverant.

fortissimorum fidelissimorumque sociorum, qui gallicorum bellorum pericula populo romano copiis armisque compensarunt [7]. Est præterea numerus civium romanorum atque hominum honestissimorum.

V. Huic provinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, M'. Fonteius, ut dixi, præfuit. Qui erant hostes, subegit; qui proxime [1] fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coegit; ceteris, qui idcirco magnis sæpe erant bellis superati, ut semper populo romano parerent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum [2] a populo romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum, imperavit. Is, hæc qui [3] gessit, in judicium vocatur : vos, qui in re non interfuistis, causam una cum populo romano [4] cognoscitis. Dicunt

7. *Armisque compensarunt.* Sic e cod. Faern. uno Paris. receperunt Oliv. Lallem. Schütz. Sensus est : Massilienses suis armis, quod de omni armamentorum genere intelligitur, et copiis ita populo rom. profuere, ut cum Gallis romano nomini infestis comparati, tanti ponderis essent ac momenti populo rom. ad eum defendendum, quanti hostes ad oppugnandum. Olim, « copiis armisque propulsarunt ». Gruter. e MSS Palat. « coriis remisque », cui vehementer obloquutus est Græv.

V. 1. *Proxime.* Qui paullo ante, qui novissime victi hostes a Mario et Fabio. Garaton. non de illis intelligit, sed probabilius de his qui modo a Pompeio in Hispaniam eunte fuerant fusi et fugati; cujus rei testem advocat Ciceronem in Manil. c. 11 : « Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum interitione patefactum est ». Hos senatus agris sane multaverat; quam rem exsequi Fonteius prætor debuit, et reliquos qui in armis erant plane subigere. Cf. cap. seq. not. 5. — Olim, « proximi ». Scil. hostibus. Sensu minus bono.

2. *Toto orbe terrarum.* Bellum hoc tempore gerebant Romani cum Sertorio, duce Pompeio; cum Isauris, duce Servilio; cum Dardanis in Thracia, duce Curione; cum Mithridate in Asia, duce Lucullo; cum Spartaco in Italia, duce Vareno.

3. *Is, hæc qui*, etc. Al. « hæc qui gessit ». J. V. L.

4. *Cum populo rom.* Præsente et inspectante populo rom. qui circum judicum subsellia coronam faciebat. Potest etiam dici populus rom. cum judicibus rem cognoscere; quum enim suo jure perpetuas quæstiones constituisset, tantum ejus *mandatarii* judices esse videbantur. — Faern. male, « cum prætore cognoscitis ».

contra, quibus invitissimis imperatum est; dicunt, qui ex agris ex M'. Fonteii [5] decreto decedere sunt coacti; dicunt, qui ex bello, cæde et fuga nunc primum audent contra M'. Fonteium inermem consistere. Quid coloni Narbonenses? quid volunt? quid existimant? Hunc per vos [6] volunt; se per hunc incolumes existimant esse. Quid Massiliensium civitas? hunc præsentem iis affecit honoribus, quos habuit amplissimos; vos autem absens orat atque obsecrat, ut sua religio, laudatio [7], auctoritas, aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur. Quid? civium romanorum quæ voluntas est? Nemo est ex tanto numero, quin hunc optime de provincia, de imperio, de sociis et civibus meritum esse arbitretur.

VI. Quoniam igitur videtis, qui oppugnent [1] M'. Fonteium; cognostis, qui defensum velint: statuite nunc, quid vestra æquitas, quid populi romani dignitas postulet; utrum colonis [2] vestris, negotiatoribus vestris, amicissimis atque antiquissimis sociis, et credere et consulere malitis; an iis, quibus neque, propter iracundiam, fidem, neque, propter infidelitatem [3], honorem habere debetis. Quid? si majorem hominum etiam honestissimorum copiam affero, qui

5. *Ex M'. Fonteii.* In plerisque MSS et edd. legitur « Cn. Pompeii », quod servavit Beck. et Schütz. et pro lectione hac facit quod supra de bello hoc dicebamus, quod Pompeius per Galliam iter faciens, gesserat. Ejus enim decreto quum nonnulli nondum paruissent, a M'. Fonteio coacti sunt agris decedere.

6. *Hunc per vos.* Hunc a vobis servari postulant, qui eos sua virtute servaverit.

7. *Laudatio.* De provincialium legatis a civitate missis qui reum laudarent, sæpius in Verr. contrario sensu dixit Cicero.

VI. 1. Alii, « oppugnatum ».—Olim etiam « cognoscitis ».

2. *Colonis.* Nempe Narbonensibus. —*Negotiatoribus.* Civibus romanis.—*Sociis.* Massiliensibus.

3. *Propter infidelitatem.* Scilicet quia belli jure Romanis restiterunt, ideo infidi dicendi? Eodem nomine vocavit Horatius Epod. « Novis rebus infidus Allobrox ».

hujus virtuti atque innocentiæ testimonio possint esse; tamenne plus Gallorum consensio valebit, quam summæ auctoritatis[4] hominum? Quum Galliæ Fonteius præesset, scitis, judices, maximos populi romani exercitus in duabus Hispaniis, clarissimosque imperatores[5] fuisse. Quam multi equites romani, quam multi tribuni militum, quales, et quot, et quoties legati ad eos? Exercitus[6] præterea Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus hiemavit in Gallia, M'. Fonteio imperante. Satisne vobis multos, satis idoneos testes et conscios videtur ipsa fortuna esse voluisse earum rerum, quæ M'. Fonteio prætore gererentur in Gallia? Quem ex tanto hominum numero testem in hac causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor[7] placeat? eo nos jam laudatore et teste utemur.

Dubitabitis etiam diutius, judices, quin illud, quod initio vobis proposui, verissimum sit, aliud per hoc judicium nihil agi, nisi ut, M'. Fonteio oppresso testimoniis eorum, quibus multa reipublicæ causa invitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum ceteri sint, quum videant eos oppugnari, quibus oppressis populi romani imperium incolume esse non possit[8]?

VII. Objectum est etiam, quæstum M'. Fonteium

4. *Summæ auctoritatis.* Olim « summa auctoritas ». Lambinus dubitabat an legendum esset « summæ auctoritates ».

5. *Imperatores.* Q. Metellum Pium, Numidici filium, et Cn. Pompeium.

6. Olim « ad eos exercitus? Præterea Cn. Pompeius max. » Quod insulsum ediderunt Verburg. et Olivet. quamvis duo MSS contra facerent. Credit Ernest. post « ad eos » omissum verbum « profecti sunt », quod sensus postulare videtur.

7. *Auctor.* Testis, cujus auctoritatem sequimur, et cui fidem habendam putetis.

8. *Esse non possit.* Sic ab utili disputat Cicero; non jam durare posse populi rom. imperium sublatis vectigalibus, quæ re ipsa pereunt, si in eos animadvertitur, qui ea paullo severius exegerunt.

ex viarum munitione fecisse; ut aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum esset, ne improbaret[1]. Si et coacti sunt munire omnes, et multorum opera improbata sunt : certe utrumque falsum est, et ob vacationem[2] pretium datum, quum immunis nemo fuerit; et ob probationem, quum multa improbata sint. Quid? si hoc crimen optimis nominibus[3] delegare possimus, et ita, ut non culpam in alios transferamus, sed uti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suum et præstare et probare possunt[4]; tamenne vos omnia in M'. Fonteium, iratis testibus freti, conferetis? Quum majoribus reipublicæ negotiis M'. Fonteius impediretur, et quum ad rempublicam pertineret, viam Domitiam muniri[5], legatis suis, primariis viris, C. Annio Bellieno et C. Fonteio negotium dedit. Itaque præfuerunt : imperaverunt pro dignitate sua, quod visum est, et probaverunt[6]. Quod vos, si nulla alia ex re, ex literis quidem vestris, quas scripsistis[7], et missis, et

VII. 1. *Improbaret.* De prætoris probatione aut improbatione ita sæpe in Verr. dictum est, ut legentibus grave esset non semel dicta repetere.

2. *Ob vacationem.* Ne munire cogerentur.

3. *Optimis nominibus.* Sic dicuntur debitores locupletes, qui æs alienum dissolvere et possunt, et volunt. Delegare igitur crimen optimis nominibus, in eos est transferre crimen, qui facile possunt probare se omni culpa vacare, qui possunt facillime criminis sibi illati onus sustinere aut refellere. Male in Junt. ed. errore operarum « hominibus ».

4. Ern. *possent.* J. V. L.

5. *Viam Domitiam.* Quam straverat Cn. Domitius, qui in Gallia proconsul cum Gallis et Allobrogibus bellum gessit. — Olim « munire ».

6. *Probaverunt.* Pertinent hæc ad veterem illam, qua in operibus publicis utebantur, inscriptionum formulam : COERAVERUNT EIDEMQUE PROBAVERUNT.

7. *Vestris, quas scripsistis.* Vulgata lectio non captu facilem sensum præbet. Sive enim judices, sive accusatores Ciceronem alloqui h. l. credamus, quomodo ex istis a senatu ad Fonteium scriptis literis intelligi potest, quid ille de via Domitia ad legatos mandaverit? Unice mihi vera lectio Faerni videtur « nostris, quas exscripsistis », quæ ad accusatores relata manifesto sensu patet. Vidimus enim act. prim. in Verr. 38, 57 et pass.

allatis, certe scire potuistis. Quas si antea non legistis, nunc ex nobis, quid de iis rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. LITERÆ AD C. ANNIUM LEG. AD C. FONTEIUM LEG. LITERÆ A C. ANNIO LEG. A C. FONTEIO LEG.

Satis opinor[8] esse perspicuum, judices, hanc rationem munitionis neque ad M'. Fonteium pertinere, et ab iis esse tractatam, quos nemo possit reprehendere.

VIII. Cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi invidiosissimum et maximum esse voluerunt. Crimen a Plætorio, judices, ita constitutum est: Fonteio non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueret, sed hac in Italia proposita ratione, Roma profectum; itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse; Croduni[1] Porcium et Numium ternos victoriatos[2]; Vulchalone Servæum binos victoriatos[3]; atque in his locis ab his[4] portorium esse

accusatori, ex prætoris decreto, datam facultatem obsignandi, exscribendi per se aut alios, quidquid ad accusationem pertinere arbitraretur. Sic Fonteii accusator has etiam literas de viarum munitione exscribendas curaverat, quas quum in judicio non protulisset, per jocum et ironiam Cicero, eas ab illo perlectas non fuisse fingit, ut ex ea posset occasione recitare. Hunc sensum in Gallica interpretatione sequutus est J. V. L. quamvis vulgatam servet. Nos etiam servavimus, nescio an nimio obsequio.

8. *Satis opinor.* Quamvis contra auctorem dicere, non nostri sit instituti, tamen non mirari non possumus qam tenuem, et exsilem ad h. l. argumentorum umbram afferat orator.

VIII. 1. *Croduni.* Quod loci nomen est incogniti, ut infra recitatur Vulchalo et Cobiomachum, in Transalpina Gallia, non procul a Tolosa.

2. *Victoriatos.* De his nummis sic Plin. Hist. Nat. XXXIII, 3: « qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est; antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur; est autem signatus victoria, et inde nomen ». Porro idem erat ac semis denarius, seu bini sestertii (41 centes.). Conf. etiam Varr. de Ling. Lat. IX, 3.

3. Al. « binos H-S, et victoriatos mille », quod erat absurdum et correxit Manut. J. V. L.

4. *In his locis ab his.* Totus hic locus miserabilem in modum deprava-

exactum, si qui Cobiamacho, qui vicus inter Tolosam et Narbonem est, deverterentur, neque Tolosam ire vellent; Elesiodolum [5] tantum senos denarios ab his, qui ad hostem [6] portarent, exegisse. Video, judices, esse crimen, et genere ipso magnum (vectigal enim esse impositum fructibus nostris [7] dicitur, et pecuniam permagnam ista ratione cogi potuisse confiteor), et invidia [8]: vel maxime enim inimici hanc rem sermonibus divulgare voluerunt. Sed ego ita existimo, quo majus crimen sit id, quod ostendatur [9] esse falsum, hoc majorem ab eo injuriam fieri, qui id confingat: vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditus veritati relinquatur.

Omnia de crimine vinario, de bello Vocontiorum, de dispositione hibernorum, desunt [10].

IX. At hoc Galli negant. At ratio rerum [1], et vis argumentorum coarguit. Potest igitur testibus judex non credere? Cupidis [2], et iratis, et conjuratis, et ab religione remotis, non solum potest, sed etiam debet. Etenim si, quia Galli dicunt, idcirco M'. Fonteius nocens

tus jacet. Nos Ernest. sequimur. Olim legebatur « in his locis Servæum Crodnni et Vulchalone ab his, etc. » Oliv. Lallem. « Servæum » expunxerunt. Edit. Junt. sic habet « ternos victoriatos in his locis et Vulchalone ab his portorium, etc. »

5. *Elesiodolum*. Quod nomen est barbarum unius ex iis qui Fonteii nomine portoria exigebant. Olim « Elesiodolus.... exegisset ».

6. *Ad hostem*. Ad Hispanos, qui cum Sertorio contra Pompeium Metellumque militabant.

7. *Fructibus nostris*. Sociorum nostrorum, quorum ex proventu ad nos vectigalia redeunt. Ol. « frugibus ».

8. *Invidia*. Al. « invidiam ». J. V. L.

9. *Ostendatur*. Vatic. cod. et Pantagathus « ostendetur ».

10. Forte non desunt, sed ab ipso Tullio in orationis scriptione fuerant neglecta, quemadmodum fieri solitum esse docet Plinius, epist. I, 20, et olim fecerat Crassus, teste Cic. in Bruto, c. 44. J. V. L. — Ita sentit doctissimus Niebuhr. quem adi in argumento.

IX. 1. *Ratio rerum*. Sic Faern. e cod. Vatic. Olim, « actio rerum et vis argument. coargui potest ».

2. *Cupidis*. Sola cupiditate actis, quod optime gallice interpretamur *passionné*. Conf. in Verr. IV, 58.

existimandus est, quid mihi opus est sapiente judice? quid æquo quæsitore? quid oratore non stulto? Dicunt enim Galli [3]. Negare non possumus. Hic si ingeniosi, et periti, et æqui judicis has partes esse existimatis, ut, quoniam quidem testes dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit; Salus ipsa [4] virorum fortium innocentiam tueri non potest: sin autem in rebus judicandis non minimam partem ad unamquamque rem æstimandam, momentoque suo ponderandam, sapientia judicis tenet [5], næ multo vestræ majores gravioresque partes sunt [6] ad cogitandum, quam ad dicendum meæ. Mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogandus [7], et sæpe etiam non interrogandus; ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido [8] auctoritas attributa esse videatur. Vos et sæpius eamdem rem animis agitare, et diutius uno [9] de teste cogitare potestis; et, si quem nos interrogare noluimus [10], quæ causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. Quamobrem, si hoc judici præscriptum [11] lege aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio judice melior aut sapientior existimetur. Unum

3. *Dicunt enim Galli.* Sed tamen ita sequuntur Galli: objectio est, cujus proxime sequitur solutio.

4. *Salus ipsa.* Intelligitur dea Salus, quod vidit Hottom. qui apte comparavit Terentianum illud (Adelph. IV, 7, 43), « ipsa, si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam ». Et jam illam loquendi formulam, Verr. III, 57, adnotavimus.

5. *Non minimam partem...sapient. judic. tenet.* Recte verbum *tenet*, quod facillime explicatur, defendit Ernest. contra Lamb. cui placebat, « confert, s. valet, s. pertinet ».

6. Lamb. et alii, *videte, ne... partes sint.* J. V. L.

7. *Interrogandus.* Testes et ab ipsis accusatoribus et a defensoribus interrogari solitos, rarissime autem a judice, notum ex Asconii commentario. Conf. ad calc. prim. volum. Excurs. de judiciis publicis.

8. *Cupido.* Ne hominis, odio et ira instincti, testimonio pondus addatur.

9. Alii, *unoquoque.* J. V. L.

10. Alii, *nolumus.* J. V. L.

11. *Si hoc, judices, præscriptum.* Duo ultima jam e cod. Vatic. Faernus eruerat. J. V. L.

est data? imo vero nummus nullus sine literis multis commotus[16] est. Quæ est igitur ista accusatio, quæ facilius possit Alpes, quam paucos ærarii gradus[17] ascendere; diligentius Rutenorum[18], quam populi romani defendat ærarium; libentius ignotis, quam notis utatur, alienigenis[19], quam domesticis testibus; planius se confirmare crimen libidine barbarorum, quam nostrorum hominum literis arbitretur?

III. Duorum magistratuum, quorum uterque in pecunia maxima tractanda procurandaque versatus est, triumviratus[1] et quæsturæ, ratio sic redditur, judices, ut in iis rebus, quæ ante oculos gestæ sunt, ad multos pertinuerunt, confectæ publicis privatisque tabulis sunt, nulla significatio furti, nulla alicujus delicti suspicio referatur.

Hispaniensis[2] legatio consequuta est, turbulentis-

ab reo clam atque extra ordinem accepisse,) » id ita intelligendum est, eum qui daret, fiscos domo sua misisse, non per argentarium solvisse. Nieb.

16. *Commotus*. Pro Fonteio, c. 1: « Nummus in Gallia nullus sine civium romanorum tabulis commovetur ». Pro Flacco l. c. « Ubi nummus nullus commovetur sine prætoribus, etc. » Nieb.

17. *Paucos ærarii gradus*. Nemini quidem qui Romæ versatur dubium esse potest, ærarium supra forum eminuisse, atque id per gradus ascensum fuisse: horum tamen graduum Nardinius certe nullam ex antiquis mentionem affert. Obiter moneo, cryptas quæ tam vastæ sub monte Capitolino actæ sunt, partim ad templum Jovis pertinuisse videri, quæ favissæ erant: partim ad tabularium, partim ad ærarium, ubi infiniti illi thesauri reponerentur. Sic intelligitur quid significet « cuniculos ad ærarium agere », de Officiis, III, c. 25. Nieb.

18. *Rutenorum*. Apparet inde Fonteii jurisdictionem adusque Rutenos pertinere; quæ gens anno 628 a M. Fulvio Flacco et aliis ducibus non semel victa, libertatem tamen ac leges servavit. Apparet etiam, auctore Cæsare de Bell. Gall. I, 45, 47, his populis longius a Narbone Martio, romanæ provinciæ capite, distantibus, a senatu concessum ut proprio jure uterentur. Nonnulli tantummodo Ruteni in romana provincia erant (Cæs. VII, 7), et ii sane sunt quos h. l. recitat orator.

19. *Alienigenis*. Sic infra 17: « Curate ut nostris testibus plusquam alienigenis credidisse videamini ».

III. 1. *Triumviratus*. Quo genere triumvir fuerit Fonteius, vide quid in argumento cl. Niebuhr. conjiciat.

2. *Hispaniensis*. In ulteriore provincia, quam Cicero orationis c. 16, inter Fonteii defensores constituit.

simo reipublicæ tempore, quum, adventu L. Sullæ[3] in Italiam, maximi exercitus civium dissiderent de judiciis ac legibus. Atque hoc reipublicæ statu desperato qualis[4] .....

IV..... Hoc prætore, oppressam esse ære[1] alieno Galliam. A quibus versuras[2] tantarum pecuniarum factas esse dicunt? a Gallis? nihil minus. A quibus igitur? a civibus romanis, qui negotiantur[3] in Gallia. Cur eorum verba non audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? Insector ultro, atque insto accusatori, judices; insector, inquam, et flagito testes : plus ego in hac causa laboris et operæ consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis. Audacter hoc dico, judices; non temere confirmo. Referta Gallia negotiatorum est, plena civium romanorum : nemo Gallorum sine cive romano quidquam negotii gerit; nummus in Gallia nullus sine

3. *Adventu L. Sullæ... de judiciis ac legibus.* Membr. « quum adventu L. Sullæ maximi exercitus in Italiam civium diss. judiciis ac legibus ». Quæ quum manifesto corrupta sint, duplex emendandi ratio erat; altera, quam ut lenissimam elegi; altera ut scriberetur « q. adv. L. S. maximi exercitus civium in Italia dis. » Ante *judiciis* præpositionem addidi, quæ abesse nullo modo potest. — De expeditione L. Sullæ contra patriam, ad mitigationem rei diræ, solemnis quodammodo usus est vocabuli *adventus;* neque is apud Ciceronem tantum, sed apud Velleium quoque, quod mireris, valet. Et Cicero quidem hanc vocem generatim de hostili irruptione ponit, quum hac ipsa oratione, c. 16, de «Thracum adventu in Macedoniam » loquitur. — *Exercitus dissidere* ejusdem euphemismi est, ut in Marcelliana « armis et castris dissidere » legimus... aliaque similia apud alios auctores. Nieb.

4. Hactenus nova fragmenta. Incipiunt veteres orationis reliquiæ.

IV. 1. *Ære alieno.* Jactant accusatores Fonteio præt. Galliam æs alienum multum fecisse; cujus æris alieni causam Galli in prætoris rapinas conferebant.

2. *Versuras.* A quibus illos tantum æris alieni contraxisse dicunt? A quibus tantam pecuniam fœnore sumpsisse? *Versuras facere* est pecuniam sub usuris mutuam accipere; sive alteri des, sive impendas aliis usibus. Aliud est *versura solvere,* qua pecuniam ab alio mutuamur, ut alteri debitori demus, ut doctissime demonstrarunt Græv. et Ernest.

3. *Qui negotiantur.* Præter publicanos qui postea nominantur, cives multi in Gallia negotiabantur, ut in Quintiana oratione videre fuit.

civium romanorum tabulis commovetur. Videte, quo descendam, judices; quam longe videar ab consuetudine mea, et cautione ac diligentia discedere. Unæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet, pecuniam Fonteio datam; unum ex toto negotiatorum, colonorum [4], publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant; vere accusatum esse concedam. Pro dii immortales! quæ est hæc causa? quæ defensio? Provinciæ Galliæ M'. Fonteius præfuit, quæ constat ex iis generibus hominum et civitatum, qui, ut vetera mittam, partim nostra memoria [5] bella cum populo romano acerba ac diuturna gesserunt; partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati [6], modo ab senatu agris urbibusque multati sunt; partim, qui cum ipso M'. Fonteio ferrum ac manus contulerunt, multoque ejus sudore ac labore sub populi romani imperium ditionemque ceciderunt. Est in eadem provincia Narbo Marcius, colonia nostrorum civium, specula populi romani ac propugnaculum, istis ipsis nationibus oppositum et objectum. Est item urbs Massilia, de qua ante dixi,

4. *Colonorum*. Romanorum qui in coloniam erant missi, ut Narbonenses qui sæpius hoc nomine appellantur. — *Pecuariorum*. Ii erant qui, pecora multa alendo et agros elocando, quorum multus in Gallia numerus ad remp. pertinebat, rem augebant. Ceterum de diversis hisce negotiatorum generibus fusius diximus in Verrinis passim.

5. *Nostra memoria*. Eorum memoria qui tum senes vivebant, de Gallis triumphaverat M. Fulvius Flaccus an. U. C. 630; C. Sextius Calvinus et Cn. Domitius Ahenobarbus anno 631; Q. Fabius Maximus anno 632; et C. Marius, Q. Catulus 652. Primi fuere Domitius ac Fabius qui victoriæ monumenta tropæa erexere, quorum aspectus ut victis populis cladis, sic ultionis memoriam revocabat. Cf. Flor. III, 2.

6. *Notati*. Nempe ignominia affecti. Intelligitur fornix Fabianus a Q. Fabio Maximo Allobrogico e manubiis Allobrogum, quos vicerat, exstructus, itemque turres saxeæ ab illo et Cn. Domitio Ahenobarbo, quum Arvernos et Allobroges vicissent, ipsis locis exstructæ, quibus dimicaverant.

fortissimorum fidelissimorumque sociorum, qui gallicorum bellorum pericula populo romano copiis armisque compensarunt [7]. Est præterea numerus civium romanorum atque hominum honestissimorum.

V. Huic provinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, M'. Fonteius, ut dixi, præfuit. Qui erant hostes, subegit; qui proxime [1] fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coegit; ceteris, qui idcirco magnis sæpe erant bellis superati, ut semper populo romano parerent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum [2] a populo romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum, imperavit. Is, hæc qui [3] gessit, in judicium vocatur : vos, qui in re non interfuistis, causam una cum populo romano [4] cognoscitis. Dicunt

7. *Armisque compensarunt.* Sic e cod. Faern. uno Paris. receperunt Oliv. Lallem. Schütz. Sensus est : Massilienses suis armis,quod de omni armamentorum genere intelligitur, et copiis ita populo rom. profuere, ut cum Gallis romano nomini infestis comparati, tanti ponderis essent ac momenti populo rom. ad eum defendendum, quanti hostes ad oppugnandum. Olim, « copiis armisque propulsarunt ». Gruter. e MSS Palat. « coriis remisque », cui vehementer obloquutus est Græv.

V. 1. *Proxime.* Qui paullo ante, qui novissime victi hostes a Mario et Fabio. Garaton. non de illis intelligit, sed probabilius de his qui modo a Pompeio in Hispaniam eunte fuerant fusi et fugati; cujus rei testem advocat Ciceronem in Manil. c. 11 : « Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum interitione patefactum est ». Hos senatus agris sane multaverat; quam rem exsequi Fonteius prætor debuit, et reliquos qui in armis erant plane subigere. Cf. cap. seq. not. 5. — Olim, « proximi ». Scil. hostibus. Sensu minus bono.

2. *Toto orbe terrarum.* Bellum hoc tempore gerebant Romani cum Sertorio, duce Pompeio; cum Isauris, duce Servilio; cum Dardanis in Thracia, duce Curione; cum Mithridate in Asia, duce Lucullo; cum Spartaco in Italia, duce Vareno.

3. *Is, hæc qui*, etc. Al. « hæc qui gessit ». J. V. L.

4. *Cum populo rom.* Præsente et inspectante populo rom. qui circum judicum subsellia coronam faciebat. Potest etiam dici populus rom. cum judicibus rem cognoscere; quum enim suo jure perpetuas quæstiones constituisset, tantum ejus *mandatarii* judices esse videbantur. — Faern. male, « cum prætore cognoscitis ».

contra, quibus invitissimis imperatum est; dicunt, qui ex agris ex M'. Fonteii [5] decreto decedere sunt coacti; dicunt, qui ex bello, cæde et fuga nunc primum audent contra M'. Fonteium inermem consistere. Quid coloni Narbonenses? quid volunt? quid existimant? Hunc per vos [6] volunt; se per hunc incolumes existimant esse. Quid Massiliensium civitas? hunc præsentem iis affecit honoribus, quos habuit amplissimos; vos autem absens orat atque obsecrat, ut sua religio, laudatio [7], auctoritas, aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur. Quid? civium romanorum quæ voluntas est? Nemo est ex tanto numero, quin hunc optime de provincia, de imperio, de sociis et civibus meritum esse arbitretur.

VI. Quoniam igitur videtis, qui oppugnent [1] M'. Fonteium; cognostis, qui defensum velint: statuite nunc, quid vestra æquitas, quid populi romani dignitas postulet; utrum colonis [2] vestris, negotiatoribus vestris, amicissimis atque antiquissimis sociis, et credere et consulere malitis; an iis, quibus neque, propter iracundiam, fidem, neque, propter infidelitatem [3], honorem habere debetis. Quid? si majorem hominum etiam honestissimorum copiam affero, qui

5. *Ex M'. Fonteii.* In plerisque MSS et edd. legitur « Cn. Pompeii », quod servavit Beck. et Schütz. et pro lectione hac facit quod supra de bello hoc dicebamus, quod Pompeius per Galliam iter faciens, gesserat. Ejus enim decreto quum nonnulli nondum paruissent, a M'. Fonteio coacti sunt agris decedere.

6. *Hunc per vos.* Hunc a vobis servari postulant, qui eos sua virtute servaverit.

7. *Laudatio.* De provincialium legatis a civitate missis qui reum laudarent, sæpius in Verr. contrario sensu dixit Cicero.

VI. 1. Alii, « oppugnatum ».—Olim etiam « cognoscitis ».

2. *Colonis.* Nempe Narbonensibus. — *Negotiatoribus.* Civibus romanis.— *Sociis.* Massiliensibus.

3. *Propter infidelitatem.* Scilicet quia belli jure Romanis restiterunt, ideo infidi dicendi? Eodem nomine vocavit Horatius Epod. « Novis rebus infidus Allobrox ».

hujus virtuti atque innocentiæ testimonio possint esse; tamenne plus Gallorum consensio valebit, quam summæ auctoritatis[4] hominum? Quum Galliæ Fonteius præesset, scitis, judices, maximos populi romani exercitus in duabus Hispaniis, clarissimosque imperatores[5] fuisse. Quam multi equites romani, quam multi tribuni militum, quales, et quot, et quoties legati ad eos? Exercitus[6] præterea Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus hiemavit in Gallia, M'. Fonteio imperante. Satisne vobis multos, satis idoneos testes et conscios videtur ipsa fortuna esse voluisse earum rerum, quæ M'. Fonteio prætore gererentur in Gallia? Quem ex tanto hominum numero testem in hac causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor[7] placeat? eo nos jam laudatore et teste utemur.

Dubitabitis etiam diutius, judices, quin illud, quod initio vobis proposui, verissimum sit, aliud per hoc judicium nihil agi, nisi ut, M'. Fonteio oppresso testimoniis eorum, quibus multa reipublicæ causa invitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum ceteri sint, quum videant eos oppugnari, quibus oppressis populi romani imperium incolume esse non possit[8]?

VII. Objectum est etiam, quæstum M'. Fonteium

4. *Summæ auctoritatis.* Olim « summa auctoritas ». Lambinus dubitabat an legendum esset « summæ auctoritates ».

5. *Imperatores.* Q. Metellum Pium, Numidici filium, et Cn. Pompeium.

6. Olim « ad eos exercitus? Præterea Cn. Pompeius max. » Quod insulsum ediderunt Verburg. et Olivet. quamvis duo MSS contra facerent. Credit Ernest. post « ad eos » omissum verbum « profecti sunt », quod sensus postulare videtur.

7. *Auctor.* Testis, cujus auctoritatem sequimur, et cui fidem habendam putetis.

8. *Esse non possit.* Sic ab utili disputat Cicero; non jam durare posse populi rom. imperium sublatis vectigalibus, quæ re ipsa pereunt, si in eos animadvertitur, qui ea paullo severius exegerunt.

ex viarum munitione fecisse; ut aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum esset, ne improbaret[1]. Si et coacti sunt munire omnes, et multorum opera improbata sunt : certe utrumque falsum est, et ob vacationem[2] pretium datum, quum immunis nemo fuerit; et ob probationem, quum multa improbata sint. Quid? si hoc crimen optimis nominibus[3] delegare possimus, et ita, ut non culpam in alios transferamus, sed uti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suum et præstare et probare possunt[4]; tamenne vos omnia in M'. Fonteium, iratis testibus freti, conferetis? Quum majoribus reipublicæ negotiis M'. Fonteius impediretur, et quum ad rempublicam pertineret, viam Domitiam muniri[5], legatis suis, primariis viris, C. Annio Bellieno et C. Fonteio negotium dedit. Itaque præfuerunt : imperaverunt pro dignitate sua, quod visum est, et probaverunt[6]. Quod vos, si nulla alia ex re, ex literis quidem vestris, quas scripsistis[7], et missis, et

VII. 1. *Improbaret.* De prætoris probatione aut improbatione ita sæpe in Verr. dictum est, ut legentibus grave esset non semel dicta repetere.

2. *Ob vacationem.* Ne munire cogerentur.

3. *Optimis nominibus.* Sic dicuntur debitores locupletes, qui æs alienum dissolvere et possunt, et volunt. Delegare igitur crimen optimis nominibus, in eos est transferre crimen, qui facile possunt probare se omni culpa vacare, qui possunt facillime criminis sibi illati onus sustinere aut refellere. Male in Junt. ed. errore operarum « hominibus ».

4. Ern. *possent.* J. V. L.

5. *Viam Domitiam.* Quam straverat Cn. Domitius, qui in Gallia proconsul cum Gallis et Allobrogibus bellum gessit. — Olim « munire ».

6. *Probaverunt.* Pertinent hæc ad veterem illam, qua in operibus publicis utebantur, inscriptionum formulam : CORRAVERUNT EIDEMQUE PROBAVERUNT.

7. *Vestris, quas scripsistis.* Vulgata lectio non captu facilem sensum præbet. Sive enim judices, sive accusatores Ciceronem alloqui h. l. credamus, quomodo ex istis a senatu ad Fonteium scriptis literis intelligi potest, quid ille de via Domitia ad legatos mandaverit? Unice mihi vera lectio Faerni videtur « nostris, quas exscripsistis », quæ ad accusatores relata manifesto sensu patet. Vidimus enim act. prim. in Verr. 38, 57 et pass.

allatis, certe scire potuistis. Quas si antea non legistis, nunc ex nobis, quid de iis rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. LITERÆ AD C. ANNIUM LEG. AD C. FONTEIUM LEG. LITERÆ A C. ANNIO LEG. A C. FONTEIO LEG.

Satis opinor[8] esse perspicuum, judices, hanc rationem munitionis neque ad M'. Fonteium pertinere, et ab iis esse tractatam, quos nemo possit reprehendere.

VIII. Cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi invidiosissimum et maximum esse voluerunt. Crimen a Plætorio, judices, ita constitutum est : Fonteio non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini instituerèt, sed hac in Italia proposita ratione, Roma profectum ; itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse; Croduni[1] Porcium et Numium ternos victoriatos[2]; Vulchalone Servæum binos victoriatos[3]; atque in his locis ab his[4] portorium esse

accusatori, ex prætoris decreto, datam facultatem obsignandi, exscribendi per se aut alios, quidquid ad accusationem pertinere arbitraretur. Sic Fonteii accusator has etiam literas de viarum munitione exscribendas curaverat, quas quum in judicio non protulisset, per jocum et ironiam Cicero, eas ab illo perlectas non fuisse fingit, ut ex ea posset occasione recitare. Hunc sensum in Gallica interpretatione sequutus est J. V. L. quamvis vulgatam servet. Nos etiam servavimus, nescio an nimio obsequio.

8. *Satis opinor.* Quamvis contra auctorem dicere, non nostri sit instituti, tamen non mirari non possumus qam tenuem, et exsilem ad h. l. argumentorum umbram afferat orator.

VIII. 1. *Croduni.* Quod loci nomen est incogniti, ut infra recitatur Vulchalo et Cobiomachum, in Transalpina Gallia, non procul a Tolosa.

2. *Victoriatos.* De his nummis sic Plin. Hist. Nat. XXXIII, 3 : « qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est ; antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur ; est autem signatus victoria, et inde nomen ». Porro idem erat ac semis denarius,seu bini sestertii (41 centes.). Conf. etiam Varr. de Ling. Lat. IX, 3.

3. Al. « binos H-S, et victoriatos mille », quod erat absurdum et correxit Manut. J. V. L.

4. *In his locis ab his.* Totus hic locus miserabilem in modum deprava-

exactum, si qui Cobiamacho, qui vicus inter Tolosam et Narbonem est, deverterentur, neque Tolosam ire vellent; Elesiodolum[5] tantum senos denarios ab his, qui ad hostem[6] portarent, exegisse. Video, judices, esse crimen, et genere ipso magnum (vectigal enim esse impositum fructibus nostris[7] dicitur, et pecuniam permagnam ista ratione cogi potuisse confiteor), et invidia[8]: vel maxime enim inimici hanc rem sermonibus divulgare voluerunt. Sed ego ita existimo, quo majus crimen sit id, quod ostendatur[9] esse falsum, hoc majorem ab eo injuriam fieri, qui id confingat : vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditus veritati relinquatur.

Omnia de crimine vinario, de bello Vocontiorum, de dispositione hibernorum, desunt[10].

IX. At hoc Galli negant. At ratio rerum[1], et vis argumentorum coarguit. Potest igitur testibus judex non credere? Cupidis[2], et iratis, et conjuratis, et ab religione remotis, non solum potest, sed etiam debet. Etenim si, quia Galli dicunt, idcirco M'. Fonteius nocens

tus jacet. Nos Ernest. sequimur. Olim legebatur « in his locis Servæum Crodoni et Vulchalone ab his, etc. » Oliv. Lallem. « Servæum » expunxerunt. Edit. Junt. sic habet « ternos victoriatos in his locis et Vulchalone ab his portorium, etc. »

5. *Elesiodolum*. Quod nomen est barbarum unius ex iis qui Fonteii nomine portoria exigebant. Olim « Elesiodolus.... exegisset ».

6. *Ad hostem*. Ad Hispanos, qui cum Sertorio contra Pompeium Metellumque militabant.

7. *Fructibus nostris*. Sociorum nostrorum, quorum ex proventu ad nos vectigalia redeunt. Ol. « frugibus ».

8. *Invidia*. Al. « invidiam ». J.V. L.

9. *Ostendatur*. Vatic. cod. et Pantagathus « ostendetur ».

10. Forte non desunt, sed ab ipso Tullio in orationis scriptione fuerant neglecta, quemadmodum fieri solitum esse docet Plinius, epist. I, 20, et olim fecerat Crassus, teste Cic. in Bruto, c. 44. J. V. L. — Ita sentit doctissimus Niebuhr. quem adi in argumento.

IX. 1. *Ratio rerum*. Sic Faern. e cod. Vatic. Olim, « actio rerum et vis argument. coargui potest ».

2. *Cupidis*. Sola cupiditate actis, quod optime gallice interpretamur *passionné*. Conf. in Verr. IV, 58.

existimandus est, quid mihi opus est sapiente judice? quid æquo quæsitore? quid oratore non stulto? Dicunt enim Galli [3]. Negare non possumus. Hic si ingeniosi, et periti, et æqui judicis has partes esse existimatis, ut, quoniam quidem testes dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit; Salus ipsa [4] virorum fortium innocentiam tueri non potest: sin autem in rebus judicandis non minimam partem ad unamquamque rem æstimandam, momentoque suo ponderandam, sapientia judicis tenet [5], næ multo vestræ majores gravioresque partes sunt [6] ad cogitandum, quam ad dicendum meæ. Mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogandus [7], et sæpe etiam non interrogandus; ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido [8] auctoritas attributa esse videatur. Vos et sæpius eamdem rem animis agitare, et diutius uno [9] de teste cogitare potestis; et, si quem nos interrogare noluimus [10], quæ causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. Quamobrem, si hoc judici præscriptum [11] lege aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio judice melior aut sapientior existimetur. Unum

3. *Dicunt enim Galli.* Sed tamen ita sequuntur Galli: objectio est, cujus proxime sequitur solutio.

4. *Salus ipsa.* Intelligitur dea Salus, quod vidit Hottom. qui apte comparavit Terentianum illud (Adelph. IV, 7, 43), « ipsa, si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam ». Et jam illam loquendi formulam, Verr. III, 57, adnotavimus.

5. *Non minimam partem...sapient. judic. tenet.* Recte verbum *tenet*, quod facillime explicatur, defendit Ernest. contra Lamb. cui placebat, « confert, s. valet, s. pertinet ».

6. Lamb. et alii, *videte, ne... partes sint.* J. V. L.

7. *Interrogandus.* Testes et ab ipsis accusatoribus et a defensoribus interrogari solitos, rarissime autem a judice, notum ex Asconii commentario. Conf. ad calc. prim. volum. Excurs. de judiciis publicis.

8. *Cupido.* Ne hominis, odio et ira instincti, testimonio pondus addatur.

9. Alii, *unoquoque.* J. V. L.

10. Alii, *nolumus.* J. V. L.

11. *Si hoc, judices, præscriptum.* Duo ultima jam e cod. Vatic. Faernus eruerat. J. V. L.

est enim et simplex aurium judicium [12]; et promiscue et communiter stultis ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor et credulus ab religioso et sapienti judice? Nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur a testibus, conjecturæ et cogitationi traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur.

X. An vero vos id in testimoniis hominum barbarorum dubitabitis [1], quod persæpe, et nostra et patrum memoria, sapientissimi judices de clarissimis nostræ civitatis viris dubitandum non putaverunt? qui Cn. et Q. Cæpionibus [2], L. et Q. Metellis [3] testibus in Q. Pompeium, hominem novum [4], non crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis, fidem et auctoritatem in testimonio, cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogavit. Ecquem hominem vidimus, ecquem vere [5] commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis, M. Æmilio Scauro [6] fuisse? tamen hujus, cujus injurati nutu

12. *Aurium judicium*. Hinc illud Hadriani præclare dictum, « testibus se, non testimoniis crediturum ».

X. 1. *Dubitabitis*. Testimoniis eorum credendum non esse.

2. *Cn. et Q. Cæpionibus*. Fratribus Serviliæ gentis, quorum Cneius consul fuit cum hoc ipso, in quem testimonium dixit, Q. Pompeio, anno 612; Quintus anno sequenti cum C. Lælio.

3. *L. et Q. Metellis*. L. Metello Calvo, qui consul fuit, anno U. C. 11; Q. Metello Macedonico, consule ann. 610. — *Q. Pompeium*. Ille, gesto jam consulatu, accusatus repetundarum, quum in eum supra dicti consulares acerrime testimonium dixissent, tamen est absolutus. Val. Max. VIII, 5.

4. *Hominem novum*. Cujus ideo, propter genus obscurum, pejor erat causa, accusantibus nobilissimis Romæ viris.

5. *Vere*. Gulielm. conjiciebat *vero*. J. V. L.

6. *M. Æmilio Scauro*. Hic est Scaurus, unus e maximis reip. viris, cujus pater, quamvis patricius, carbonariam per paupertatem exercebat; qui, nullo

prope terrarum orbis regebatur, jurati testimonio, neque in C. Fimbriam[7], neque in C. Memmium creditum est. Noluerunt ii, qui judicabant, hanc patere inimicitiis viam, quem quisque odisset, ut eum testimonio posset tollere. Quantus in L. Crasso[8] pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cujus etiam sermo testimonii auctoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis judicibus divinum ac singulare, judices, consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste judicare arbitrabantur, quid fictum, quid a fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe aut metu depravatum, quid a cupiditate aliqua aut inimicitiis profectum videretur. Quæ si judex non amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circumspiciet; si, ut quidque ex illo[9] loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur : profecto satis erit, id quod dixi antea, non surdum judicem huic muneri atque officio præesse; nihil erit, quamobrem ille, nescio quis, sapiens homo, ac multarum rerum peritus, ad res judicandas requiratur.

XI. An vero illi equites romani[1], quos nos vidimus[1], qui nuper in republica judiciisque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum robo-

fortunæ præsidio, sed labore et virtutibus, ad summos quosque magistratus et senatus principatum est provectus. Conf. Val. Max. VIII, 5, 2.

7. *In C. Fimbriam*. Iste cum C. Mario consul, de repetundis, ut C. Memmius, est accusatus. Conf. Valer. Max. VIII, 5, 2.

8. *In L. Crasso pudor*. Fuit enim, ait Cicero, in libro primo de Oratore, mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.

9. *Ex illo loco*. E subsellio in quo sedebant testes, et quod loquens digito indicabat.

XI. 1. *Equites rom*. Illi, lege Gracchana, soli judices instituti, postea omnino a Sulla remoti, tunc temporis a L. Aurelio Cotta in judiciorum partem revocabantur, quæ jam inter

ris, ut M. Scauro testi non crederent: vos Volcarum [2] atque Allobrogum testimoniis non credere timetis? Si inimico testi credi non oportuit, inimicior Marcello Crassus, aut Fimbriæ Scaurus ex civilibus studiis, atque obtrectatione domestica, quam huic Galli? Quorum, qui optima in causa [3] sunt, equites, frumentum, pecuniam semel atque iterum, ac sæpius invitissimi, dare coacti sunt; ceteri, partim ex veteribus bellis agro multati, partim ab hoc ipso bello superati et oppressi. Si, qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non convenit: credo majus emolumentum Cæpionibus et Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeii damnatione, quum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cunctæ Galliæ ex M'. Fonteii calamitate; in qua illa provincia prope suam immunitatem [4] ac libertatem positam esse arbitratur. An [5], si homines ipsos spectare convenit (id quod in teste profecto valere plurimum debet), non modo cum summis civitatis nostræ viris, sed cum infimo cive romano quisquam amplissimus Galliæ comparandus est? Scit Induciomarus, quid sit testimonium dicere? movetur eo timore, quo nostrum unusquisque, quum in eum locum productus est?

eos, et senatores atque ærarii tribunos communicabantur.

2. *Volcarum*. Quæ Allobrogibus vicina gens est, et quam sic appellant Cæsar, de Bell. Gallic. VI, 24, VII, 64; Tit. Liv. XXI, 26; Mela, II, 5. Vulgo olim *Belgarum*. Quam lectionem frustra defendit Ferratius, quod Induciomarus Trevirorum princeps fuerit, adeoque Belgarum. Bene autem monuit Ernestius Induciomarum Cæsaris, qui de principatu in civitate Trevirorum contendebat (Bell. Gall. V, 3) huc non pertinere, nec illo tempore Treviros partem provinciæ rom. fuisse.

3. *Optima in causa*. Qui minus de odio sunt suspecti.

4. *Immunitatem*. Queritur enim inter cetera, vini portorium a Fonteio tum primum institutum.

5. *An, si homines*, etc. Quam superbe, quam contumeliose cum victis Romani agerent, vel ex his Tullii verbis pateret, si togatæ gentis ferociam, avaritiam, crudelitatemque in subjectos, plurimi historicorum loci non testarentur.

XII. Recordamini[1], judices, quantopere[2] laborare soleatis, non modo quid dicatis pro testimonio, sed etiam, quibus verbis utamini, ne quod minus moderate positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur : vultu, denique, laboratis, ne qua significari possit suspicio cupiditatis; ut et, quum proditis, existimatio sit quædam tacita de vobis pudoris ac religionis, et, quum disceditis, ea diligenter conservata ac retenta videatur. Credo hæc eadem Induciomarum in testimonio timuisse, aut cogitasse : qui primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, ARBITROR[3], quo nos etiam tunc utimur, quum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. Verebatur[4] enim videlicet, ne quid apud vos populumque romanum de existimatione sua deperderet; ne qua fama consequeretur ejusmodi, Induciomarum, talem virum, tam cupide, tam temere dixisse. Non intelligebat, se in testimonio nihil præter vocem, et os, et audaciam neque civibus suis, neque accusatoribus nostris præstare debere.

An vero, istas nationes religione jurisjurandi ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis

XII. 1. *Recordamini*. Hic incipit præclarissimus de dicendo testimonio locus, sed qui non maxime ad rem facit, quippe qui ridiculi gallicos testes, sed non mendacii arguat.

2. Alii, ut passim, *quanto opere*. J. V. L.

3. *Arbitror*. Ea erat Græcorum et Romanorum gravitas, ut nihil per se, quamvis jurati, affirmarent, et eodem formulæ genere ipsi uterentur judices, qui, quum reum damnarent, *fecisse videri* pronuntiabant. Præclarus est locus Ciceronis in Acad. Quæst. II, 47 : « Majores primum jurare ex sui animi sententia quemque voluerunt; deinde ita teneri, si sciens falleret, quod inscientia multa versaretur in vita; tum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret etiam quod ipse vidisset; quæque jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut *videri* pronuntiarent ».

4. *Verebatur enim*. Ironia : quod enim alii testes apud nos vereri solent, is nihil prorsus tale verebatur.

commoveri arbitramini, quæ tantum a ceterarum gentium more ac natura dissentiunt? Quod ceteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones [5]. Illæ in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem ac veniam petunt; istæ cum ipsis diis immortalibus bella gesserunt.

XIII. Hæ sunt nationes, quæ quondam tam longe ab suis sedibus, Delphos usque [1], ad Apollinem Pythium atque ad oraculum orbis terræ vexandum ac spoliandum profectæ sunt. Ab iisdem gentibus sanctis, et in testimonio religiosis, obsessum [2] Capitolium est, atque ille Jupiter, cujus nomine majores nostri vinctam [3] testimoniorum fidem esse voluerunt. Postremo his quidquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis [4] eorum aras ac templa funestant? ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam [5] prius scelere violarint. Quis enim ignorat, eos usque ad hanc diem retinere illam

5. *Contra omnium religiones.* Hic causæ magis quam veritati servit orator; Gallorum enim maxime religionibus, ac suis diis addictam fuisse gentem testatur Cæsar non semel, et expresse significat Liv. V, 46, tom. II, p. 211, edit. nost.

XIII. 1. *Delphos usque.* Nota est historia ex Justini libro XXIV, quam et Strabo attigit lib. IV, et Tit. Livius, XXXVIII, 48.

2. *Obsessum Capitolium.* Non alius quisquam, credo, atque Cicero Gallos impios dixit, quod romanam arcem obsedissent; et sane quam pravissime verbis abutatur h. l. orator ridendi locus esset, nisi tristis simul animos cogitatio subiret, sic omni ætate rerum et verborum sensum ad propriam libidinem potentiores ultro detorsisse.

3. Lallem. Beck. al. *numine... sanctam.* J. V. L.

4. *Humanis hostiis.* Hunc Gallorum morem cognosces ex Commentariis Cæsaris de Bell. Gall. VI, 16, qui plerumque scelestorum tantum sanguine litari animadvertit. Plinius XXX scribit usque ad suam memoriam eum morem a Gallis retentum ac conservatum, sed Tiberii principatum eorum Druidas sustulisse. Ceterum prodigiosa illa sacra non Carthagine tantum, in urbe commercio polita, sed in ipsa Roma, quoties Galli invadebant, facta sunt.

5. Schütz. addidit *ipsam* ex edd. Camerar. et Gothofred. Sic jam Olivet. et Lallem. J. V. L.

immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? Quamobrem, quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam deos immortales arbitrentur hominum scelere et sanguine facillime posse placari?

Cum his vos testibus vestram religionem[6] conjungetis? ab his quidquam sancte aut moderate dictum putabitis? Hoc vestræ mentes tam castæ, tam integræ, sibi suscipient, ut, quum omnes legati nostri, qui illo triennio[7] in Galliam venerunt, omnes equites romani, qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores ejus provinciæ, denique omnes, in Gallia qui sunt, socii populi romani atque amici, M'. Fonteium incolumem esse cupiant, jurati privatim et publice laudent; vos tamen Gallis credere malitis[8]? quid ut sequuti esse videamini? Voluntatemne hominum? Gravior igitur vobis erit hostium voluntas, quam civium? An dignitatem testium? Potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio ac nomini, bonis ac fidelibus et sociis et civibus anteferre?

XIV. An vero dubitatis, judices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes et habeant et gerant cum populi romani nomine? Sic existimatis eos hic sagatos braccatosque[1] versari, animo demisso atque humili,

6. *Vestram religionem.* Sacramenti vestri fidem, quam fideliter unquam servaverint Romani, satis tot decepti reges, per dolum subactæ gentes declarant.

7. *Illo triennio.* Quo Fonteius prætor Galliæ præfuit. Prætoriæ provinciæ quamvis in annum unum obtinerentur; plerumque prorogabantur, ut Verri, ut Pisoni, ut aliis innumeris.

8. Faern. Lambin. Gruter. e codd. Vatican. et Franc. *cum Gallis jurare malitis.* J. V. L.

XIV. 1. *Sag. b. Sagum*, non illud quo utebantur romani milites, stragulæ vestis genus erat, non absimile cilicio. Bracca autem stricta vestis erat varii coloris, quæ crura ac tibias includebat. Inde Braccata et Sagata Gallia dicitur ea quæ trans Alpes jacet;

ut solent ii, qui affecti injuriis ad opem judicum supplices inferioresque confugiunt? Nihil vero minus. Hi contra vagantur læti atque erecti passim toto foro, cum quibusdam minis, et barbaro atque immani terrore verborum [2]: quod ego profecto non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul, judices, audissem, quum præciperent, ut caveretis, ne, hoc absoluto, novum aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M'. Fonteium, judices, in causa deficerent omnia; si turpi adolescentia, vita infami, magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, convictus virorum bonorum testimoniis [3], invisus suis omnibus, in judicium vocaretur; si in eo judicio colonorum populi romani Narbonensium, fidelissimorum sociorum Massiliensium, civium romanorum omnium testimoniis tabulisque premeretur: tamen esset vobis magnopere providendum, ne, quos ita afflictos [4] a vestris patribus majoribusque accepissetis, ut contemnendi essent, eos pertimuisse, et eorum minis et terrore commoti esse videremini. Nunc vero, quum lædat [5] nemo bonus, laudent omnes vestri cives atque socii; oppugnent ii, qui sæpissime hanc urbem et hoc imperium oppugnarunt; quumque inimici M'. Fonteii vobis ac populo romano minentur; amici ac propin-

Togata vero, Cisalpina, ubi togis, ut Romani, utebantur. Confer Diodor. V, 3; Plin. Hist. Nat. III, 4; Pomp. Mela, II, 5, etc.

2. *Terrore verborum*. Certis quibusdam minis, et importuno ac fero verborum sono, qualis exspectari potest ab hominibus barbaris nullaque disciplina excultis. Sic dicitur stoica sententia, quæ dolorem malum esse negat, «immanitas verborum», de Fin. IV, ubi hæc lectio bene a Gœrenzio defenditur. Amm. etiam, XV, 12, Gallos describens «metuendæ voces complurium et minaces, placatorum juxta et irascentium».

3. Interciderunt aliquot verba. Probabiliter addunt multi, *legationibus flagitiose obitis*. Alii aliter. J. V. L.— Schütz. loco «suis» correxit «sociis».

4. *Quos ita afflictos*. Ne istos timuisse videamini, quos ita debilitaverunt vestri majores, ut jam tuto illos contemnere possitis.

5. *Lædat*. Vituperet; quo in sensu sæpius ponitur.

qui supplicent vobis : dubitabitis, non modo vestris civibus, qui maxime gloria ac laude ducuntur [6], verum etiam exteris nationibus ac gentibus ostendere, vos in sententiis ferendis civi parcere, quam hosti cedere [7] maluisse?

XV. Magna mehercule causa, judices, absolutionis cum ceteris causis hæc est, ne qua insignis huic imperio macula atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, senatum, equitesque [1] populi romani, non testimoniis Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem judicasse. Ita vero [2], si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius [3], qui Induciomaro isti, minaci atque arroganti, par in belligerando esse possit; excitandus Cn. Domitius [4], et Q. Maximus, qui nationem Allobrogum et reliquas suis iterum armis conficiat atque opprimat; aut, quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus, M. Plætorius [5], ut suos novos clientes a bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos atque horribiles impetus deprecetur; aut, si non poterit, M. Fabium [6]

6. *Laude ducuntur.* Qui maxime ignominiæ metu tanguntur, quam ex damnatione Fonteii, civis sui, et multis honoribus affecti, consequentur.

7. *Cedere.* Quum illi vos oppugnare et minis terrere conentur.

XV. 1. *Senatum equitesque.* Maximi illud est momenti, ut quo tempore sit habita hæc oratio, definiatur, quæ Manutio auctore, ad annum 684 satis probabiliter possit referri.

2. *Ita vero.* Ironice dictum, ut sequentia.

3. *C. Marius.* Nemo nescit quam stragem ille quartum consul fecerit Ambronum Teutonumque gentis ferocissimæ, quæ cum immani exercitu in Italiam invaserat.

4. *Cn. Domitius.* Cn. Domitius cum Arvernis, Q. Fabius Max. cum Allobrogibus acerba et diuturna bella gesserunt.

5. *M. Plætorius.* Hic est Fonteii accusator in quem Ciceronis locus ex hac ipsa oratione a Quintiliano memoratur, VI, 3, 51, quem ad argumenti calcem subjecimus. Hic per ironiam ejus novi clientes Galli vocantur, quorum patroni erant Fabii.

6. *M. Fabium.* Creditur hic alienus a Fabia gente fuisse, et tantum per jocum interpositus. De subscriptori-

subscriptorem ejus rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen est amplissimum : ut velint isti aut quiescere, id quod victi ac subacti solent; aut, quum minantur, intelligere, se populo romano non metum belli, sed spem triumphi ostendere.

Quod si in turpi reo[7] patiendum non esset, ut quidquam isti se minis profecisse arbitrarentur : quid faciendum vobis in M'. Fonteio arbitramini? de quo homine, judices (jam enim mihi videor hoc, prope causa duabus actionibus perorata, debere dicere), de quo vos homine, ne ab inimicis quidem ullum fictum probrosum non modo crimen, sed ne maledictum quidem audistis. Ecquis umquam reus, præsertim in hac vitæ ratione versatus, in honoribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis, sic accusatus est, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ a libidine, aut a petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore objiceretur, si non vera, attamen ficta[8] cum aliqua ratione ac suspicione?

XVI. M. Æmilium Scaurum, summum nostræ civitatis virum, scimus accusatum a M. Bruto[1]. Exstant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta : falso; quis negat? verumtamen ab inimico dicta et objecta. Quam multa M'. Aquillius[2] audivit in suo judicio? quam multa

bus, qui se primo accusatori adjungebant, et secundas, tertias partes sustinebant, sæpius jam diximus, et adeas licet ad calcem prim. volumin. excurs. de Judic. public.

7. *In turpi reo.* In causa sceleratissimi hominis.

8. *Attamen ficta.* Cod. Vatic. « at deficta ». Lamb. « at conficta ».

XVI. 1. *M. Bruto.* Jurisconsulto, turpi viro et accusationibus dedito, de quo Brutum alterum alloquens dixit Cicero, Brut. 34, « in quo magnum dedecus, Brute, fuit generi vestro ».

2. *M'. Aquillius.* Repetundarum a P. Lentulo accusatus; alter etiam fuit Aquillius de repetundis postea ab Antonio maximo oratore defensus, qui

L. Cotta[3]? denique P. Rutilius[4]? qui, etsi damnatus est[5], mihi videtur tamen inter viros optimos atque innocentissimos esse numerandus : ille igitur ipse homo sanctissimus ac temperantissimus multa audivit in sua causa, quæ ad suspicionem stuprorum ac libidinum[6] pertinerent. Exstat oratio hominis, ut opinio mea fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi atque eloquentissimi, C. Gracchi; qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, quum hominem invenire nequam[7] neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur : quem quum in concionem Gracchus vocari juberet, et viator[8] quæreret, quem Pisonem? quod erant plures : « Cogis me, inquit, dicere inimicum meum Frugi ». Is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset[9]; qui uno cognomine declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset : tamen in falsam atque iniquam probrorum insimulationem vocabatur. M'. Fonteius ita duabus actionibus

quum peroraret, rei tunicam discidit, ut cicatrices adverso corpore exceptas ostenderet.

3. *L. Cotta.* De repetundis ab Africano Minore accusatus, absolutus est ne nimiis adversarii viribus oppressus fuisse videretur.

4. *P. Rutilius.* Cognomento Rufus, quem innocentissimum virum fuisse non semel scribit Cicero. De quo sic Florus : « P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, qui legatus C. Marii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exsilium missus est ». Cf. et Vell. Pat. II, p. 66 ed. nost.

5. *Etsi damnatus.* Hoc addit, quia quos antea nominavit, illi sunt omnes absoluti.

6. Alii, *libidinem*. J. V. L.

7. *Nequam.* Inde *homo nequam* videtur *homini frugi* opponi, ut contrarium, et illud proprie ad homines luxu perditos, id ad summæ temperantiæ viros pertinet. Vid. Burmann. ad Quintil. VIII, 3.

8. *Viator.* Viatoribus, quod præconum genus erat, tribuni plebis utebantur; consules vero et prætores lictoribus.

9. *Nisi ante laudasset.* Quem ipse inimicus tantum laudando poterat designare.

accusatus est, ut objectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. Non modo nullum facinus hujus protulerunt, sed ne dictum quidem aliquod reprehenderunt. Quod si, aut quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenii; non meliore fortuna ad probra non audienda [10] Fonteius, quam illi, de quibus antea commemoravi, fuisset.

XVII. Frugi igitur hominem, judices, frugi, inquam, et in omnibus vitæ partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis, videtis positum in vestra fide ac potestate, atque ita, ut commissus sit fidei, permissus potestati. Videte igitur, utrum sit æquius, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum, dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus, an reddi amicis; præsertim quum tot res sint, quæ vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent: primum generis antiquitas, quam Tusculo ex clarissimo municipio profectam, in monumentis rerum gestarum incisam ac notatam [1] videmus; tum autem continuæ præturæ [2], quæ et ceteris ornamentis, et existimatione innocentiæ maxime floruerunt; deince recens memoria parentis, cujus sanguine [3] non solum

10. *Non audienda.* Feliciore fortuna ad non audienda probra Fonteius usus esset, quam illi magni viri qui audierunt. Camerarius correxerat « nunc audienda ». Frustra.

XVII. 1. *Incisam et notatam.* In marmoribus incisam, in quibus et rerum a Fonteiis gestarum, et antiqui generis memoria exstaret. Porro ad nos usque devenerunt Fonteiæ gentis numismata.

2. *Continuæ præturæ.* Nimirum anno Urb. 587 prætor fuit M'. Fonteius; an. U. C. 653, C. Fonteius, Manii filius; an. U. C. 675, ille qui ab oratore defenditur.

3. *Cujus sanguine*, etc. Belli Socialis initio, quum Italiæ populi se ad

Asculanorum manus, a qua interfectus est, sed totum illud Sociale bellum[4] macula sceleris imbutum est; postremo ipse, quum in omnibus vitæ partibus honestus atque integer, tum in re militari quum summi consilii et maximi animi, tum vero usu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominum, qui nunc sunt, exercitatus[5].

XVIII. Quare, si etiam monendi estis, judices, a me[1], quod non estis, videor hoc leviter pro mea auctoritate vobis præcipere posse, ut ex eo genere homines, quorum cognita virtus, industria, felicitas in re militari sit, diligenter vobis retinendos existimetis. Fuit enim major[2] talium virorum in hac republica copia : quæ quum esset, tamen eorum non modo saluti, sed etiam honori consulebatur. Quid nunc vobis faciendum est, studiis militaribus apud juventutem obsoletis; hominibus autem[3], ac summis ducibus partim ætate, partim civitatis discordiis[4] ac reipublicæ calamitate consumptis? quum tot bella aut a nobis necessario suscipiantur, aut subito atque improvisa nascantur? nonne et hominem ipsum ad dubia reipublicæ tempora reservandum, et ceteros studio

bellum populo rom. inferendum compararent, obsidesque inter se darent, Servilius ea de re admonitus, quum ad Asculanos profectus, eos gravius objurgare instituisset, una cum Fonteio legato et omnibus, quotquot in urbe erant cives romani, est interfectus. Tit. Liv. epit. LXXII; Appian. de Bello civili, lib. I.

4. *Sociale bellum.* Quod, ut omnes sciunt, ideo est conflatum, quod socii sibi negatam a Romanis civitatem armis vindicare quærebant. De hoc bello vide Flor. III, 18, pag. 255, et Vell. Paterc. II, 15, pag. 68, nost. ed.

5. Ita codd. Olim, *exercitus.* J. V. L.

XVIII. 1. Faern. Græv. Oliv. Lallem. e codd. Vatic. *si etiam monendi estis a me, judices.* J. V. L.

2. *Fuit enim major.* Fuit tempus quo Romæ multo plures quam nunc, numerabantur imperatores.

3. Lallem. auctore Grævio, *claris autem hominibus.* J. V. L.

4. *Civitatis discordiis.* Bellis civilibus, quæ, victore Sulla, amplius centum millia hominum absumpsere, omissis quatuor millibus et septingentis, quos Sulla in publicas proscriptionis tabulas retulit.

laudis ac virtutis inflammandos putatis? Recordamini, quos legatos nuper in bello L. Julius[5], quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit: scietis fuisse tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullam, prætorios homines, belli gerendi peritissimos; præterea C. Marium[6], P. Didium, Q. Catulum, P. Crassum, non literis[7] homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditos. Age vero, nunc inserite oculos in curiam; introspicite penitus in omnes reipublicæ partes: utrum videtis nihil posse accidere, ut tales viri desiderandi sint? an, si acciderit, eorum hominum copia populum romanum abundare? Quæ si diligenter attendetis, profecto, judices, virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum ac disciplinam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem, domi vobis ac liberis vestris retinere, quam inimicissimis populi romani nationibus et crudelissimis tradere et condemnare[8] maletis.

XIX. At infestis prope signis inferuntur Galli in Fonteium; et instant, atque urgent summo cum studio, summa cum audacia. Nos vero, judices, non et multis et firmis præsidiis, vobis adjutoribus, isti immani atque intolerandæ barbariæ resistemus? Primum objicitur contra istorum impetus Macedonia[1], fidelis

5. *L. Julius*. Scilicet in bello Sociali, primo imperavere anno L. Julius Cæsar, P. Rutilius Lupus consules, postea L. Porcius Cato et Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, sequentis anni consules, qui omnes eo bello interierunt.

6. *C. Marium*. Post prætorios viros nominat consulares, qui omnes ante bellum Sociale consulatum gessere.

7. *Non literis*. Nemo nescit qui modo Sallustium legit, quam ferociter suum literarum contemptum Marius jactaret; et ea quæ dicit Cicero ad hunc præcipue pertinent, excipiendus enim ex his nominibus Q. Catulus, quem doctissimum fuisse virum in Brut. Cicero scribit.

8. Ingeniose Faern. emendavit *condonare*, ut in orat. pro Cœl. c. 32, et sæpius. J. V. L.

XIX. 1. *Macedonia*. Videtur Fon-

et amica populo romano provincia : quæ quum se ac suas urbes non solum consilio, sed etiam manu Fonteii conservatam esse dicat, ut illa per hunc a Thracum adventu ac depopulatione defensa fuit, sic ab hujus nunc capite Gallorum impetus terroresque depellit [2]. Constituitur ex altera parte ulterior Hispania, quæ profecto non modo religione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam sceleratorum hominum perjuria testimoniis ac laudationibus suis refutare. Atque ex ipsa etiam Gallia fidelissima et gravissima auxilia sumuntur. Venit huic subsidio, misero atque innocenti, Massiliensium cuncta civitas, quæ non solum ob eam causam laborat, ut huic, a quo ipsa servata est [3], parem gratiam referre videatur; sed etiam, quod ea conditione atque eo fato se in his terris collocatam esse arbitratur, ne quid nostris [4] hominibus illæ gentes nocere possint. Pugnat pariter pro salute M.' Fonteii Narbonensis colonia, quæ per hunc ipsa nuper obsidione hostium liberata, nunc ejusdem miseriis ac periculis commovetur. Denique, ut oportet bello Gallico [5], ut majorum jura moresque præscribunt, nemo est civis romanus, qui sibi ulla excusa-

teius in Macedonia et Hispania legatus fuisse; nam supra de legationibus ejus dicitur; ex novis autem fragmentis patet in Hispaniam post triumviratum ac quæsturam legatum missum, eo ipso anno quo Sulla, Mithridate victo, in Italiam rediit, ann. U. C. 672.

2. *Terroresque depellit.* Nempe missis legationibus quæ Fonteium publice laudarent.

3. *Ipsa servata est.* Nam Fonteius cum Gallis pugnasse supra dictus est; et ipsa comprobat Narbonensis coloniæ mentio, quam ille ab hostium obsidione nuper liberavit.

4. *Nostris hominibus.* Sæpius enim ac fidissime Massilia a Romanis contra ceteros Galliæ populos stetit.

5. *Bello Gallico.* Usque eo, inquit Appianus, Galli Romanis terribiles sunt, ut in lege de vacatione militiæ, quæ sacerdotibus et senibus permittitur, illud adscriptum sit, nisi Gallicum bellum exoriatur. Tradit etiam T. Liv. VIII : « Exorto tumultu Gallico, Mamercum cos. jussum scribere exercitum sine ulla vacationis venia; quin opificum quoque vulgus et sellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur ». Idem lib. X : « Senatus

tione utendum putet; omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, ceteri negotiatores, uno animo M'. Fonteium atque una voce defendunt.

XX. Quod si tantas auxiliorum nostrorum copias Induciomarus ipse despexerit, dux Allobrogum ceterorumque Gallorum; num etiam de matris[1] hunc complexu, lectissimæ miserrimæque feminæ, vobis inspectantibus, avellet atque abstrahet? præsertim quum virgo Vestalis[2] ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, vestramque, judices, ac populi romani fidem imploret: quæ pro vobis liberisque vestris tot annos in diis immortalibus placandis occupata est, ut ea nunc pro salute sua fratrisque sui animos vestros placare possit. Cui miseræ quod præsidium, quod solatium reliquum est, hoc amisso? Nam ceteræ feminæ gignere ipsæ sibi præsidia, et habere domi fortunarum omnium socium participemque possunt: huic vero virgini, quid est, præter fratrem, quod aut jucundum, aut carum esse possit? Nolite pati, judices, aras deorum immortalium, Vestæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoveri[3]. Prospicite, ne ille ignis æternus, nocturnis Fonteiæ laboribus vigiliisque servatus,

justitium indici, delectum omnis generis hominum haberi jussit, nec ingenui modo, aut juniores, sacramento adacti sunt: sed seniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati ».

XX. 1. *Matris*. Utramque scilicet et matrem, et sororem, in hoc pulcherrimo ac vehementissimo epilogo productas esse, et locus demonstrat, et patet ex more, qui ex his verbis Verr. III cognoscitur, quæ infra subscribimus: « Cur cogis sodalis uxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui contra te testimonium dicere? prudentissimas lectissimasque feminas in tantum virorum conventum insolitas invitasque prodire? »

2. *Virgo Vestalis*. Sex erant tunc temporis Vestales, quas annos triginta cœlibes esse oportebat; ac primo quidem decennio religionem ediscebant, altero sacra faciebant, tertio alias docebant, quo exacto illis nubere licebat; sed perpaucæ fecerunt, et quibus hoc accidit, eas exitus vitæ infelix attigit. Dionys. Hal.

3. *Commoveri*. Indignari et irasci deos, qui omnem in vos potestatem

sacerdotis vestræ lacrymis exstinctus esse dicatur. Tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices, easdem, quas pro vobis diis immortalibus tendere consuevit : cavete, ne periculosum superbumque sit, ejus vos obsecrationem repudiare, cujus preces si dii aspernarentur, hæc salva esse non possent.

Videtisne subito, judices, virum fortissimum, M'. Fonteium, parentis et sororis commemoratione lacrymas profudisse? Qui numquam in acie pertimuerit, qui se armatus sæpe in hostium manum multitudinemque immiserit, quum in ejusmodi periculis eadem se solatia[4] suis relinquere arbitraretur, quæ suus pater[5] sibi reliquisset : idem nunc perturbato animo pertimescit, ne non modo ornamento et adjumento non sit suis, sed etiam cum acerbissimo luctu dedecus æternum miseris atque ignominiam relinquat. O fortunam longe disparem, M'. Fontei! si deligere potuisses, ut potius telis tibi Gallorum, quam perjuriis intereundum esset. Tum enim[6] vitæ socia virtus, mortis comes gloria fuisset : nunc vero qui est dolor, victoriæ te atque imperii pœnas ad eorum arbitrium sufferre, qui aut victi armis sunt, aut invitissimi paruerunt? A quo periculo defendite, judices, civem fortem atque innocentem; curate, ut nostris testibus plus, quam alienigenis credidisse videamini; plus saluti civium, quam hostium libidini consuluisse; graviorem duxisse ejus obsecrationem, quæ vestris sacris præsit, quam eorum audaciam, qui cum omnium sacris delubrisque bella gesserunt :

habent. Faernus dedit e MS Vatican. « commoneri ». Recepit Schütz.

4. *Ead. solatia.* Decus scil. et honestæ mortis fortiter dimicando gloriam.

5. *Suus pater.* Quum Asculi pro patria mortem oppeteret.

6. *Tum enim.* Faernus maluit *Tunc.* J. V. L.

postremo prospicite, judices, id quod ad dignitatem populi romani maxime pertinet, ut plus apud vos preces virginis Vestalis, quam minæ Gallorum [7] valuisse videantur.

7. *Minæ Gallorum.* Illa est extrema cogitatio, cujus veluti aculeum in audientium animis fixum relinquit, ita ut non jam judices quid æquum sit securi considerent, verum imminentem, et romanorum civium ruina subnixum Gallum, præpostera spe properent deturbare.



TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE SECUNDÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

FINIS TOMI SECUNDI SECUNDÆ PARTIS.

